R. BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III.
RACCOLTA
VILLAROSA
B
131(1
NAPOLI

Racc. Villarosa B. 131

Digitized by Google

Digitized by Google

LUCUBRATIONES
IN SURRENTINORUM
ECCLESIASTICAS
CIVILESQVE
ANTIQUITATES.

Digitized by Google

IC

LUCUBRATIONES IN SURRENTINORUM ECCLESIASTICAS *CIVILESQUE* ANTIQUITATES

NUNCUPATÆ

Sanctiſsimo Domino Noſtro

CLEMENTI XII. PONT. MAX.

A PHILIPPO ANASTASIO
PATRIARCHA ANTIOCHENO
Pridem Archiepiſcopo Surrentino.

PARS PRIMA.

ROMÆ, MDCCXXXI.
Typis Johannis Zempel prope Montem Jordanum.
SUPERIORUM PERMISSU.

NAZIONALE NAPOLI

Digitized by Google

IC

Digitized by Google

Ad Sanctiſſimum PATREM,

AC DOMINUM NOSTRUM

CLEMENTEM XII.

PONTIFICEM MAXIMUM.

DIcaturus, *Pater Sanctissime*, *venuſtus, egregiuſque Poëta carmina ſua Cornelio Nepoti nobi-*

Digitized by Google

nobiliſſimo æque, ac doctiſſimo viro, conſilj ſui rationem verſiculis iſtis expreſſit:

Catullus. Quoi dono lepidum novum libellum
Arida modo pumice expolitum,
Corneli? Tibi; namque tu ſolebas
Meas eſſe aliquid putare nugas.

Idipſum mihi repetendum duxi, poſtquam opus hoc meum impolitum ſane, ac rude, & properanter abſolutum, ut ſummam, quam percepi de ampliſſima tua, ſupremaque humanarum, divinarumque rerum dignitate, qua DEI immortalis providentia nuper auctus es, lætitiam, atque impenſum obſequium meum pa-

teſa-

Digitized by Google

teſacerem, Tibi nuncupare mecum ipſe ſtatui, ac tandem auſus ſum. Is enim es, qui alias meas quiſquilias, meaque ſtudia, ut accepi, non modo non abegiſti; ſed benigne probare, commendareque dignatus es; qua quidem re nihil mihi optatius, nihil jucundius, nihil accidere poterat præclarius. Quid enim homini præſtantius, quam a digniſſimo Principe divina mente, acerrimo judicio, omnigenaque literatura ornato non improbari? Qualem Te Florentia Italarum civitatum præſtantiſſima, ex qua pa-

rentes

Digitized by Google

rentes optimi , ac nobiliſſimi Te procrearunt , præſtitit , atque admirata eſt .

Heic vero de Patria Tua , & de CORSINA *gente nonnihil attingere quam volupe mihi eſſet , atque hiſce præclaris fontibus hortulos meos irrigare , niſi duo hæc pertimeſcerem , alterum , ne in tam vaſto ſalo vela pandens vix litus , quo appellendum eſſet , eminus conſpicerem : alterum , ne in tanta rerum copia , ac magnitudine quid ſeligendum , quid omittendum maxime ignorarem . Itaque illud mihi accidere videtur , quod ruſtico cui-*

que , quum primum eximiam civitatem triumphali pompa inſtructam ingreditur , qui præ mirifico , pulcherrimoque , ac inſolito rerum apparatu tanta admiratione , ſtuporeque percellitur , ut ad propria reverſus vel linguæ debilitatem contraxiſſe , vel tantum obmuteſcere didiciſſe videatur .

Quid enim de Florentia referre fas eſset , antiquiſſimane ejus jam inde a Romanis jacta fundamenta , ac prima mœnia , egregiaſque naturæ prærogativas , ſelectiſſimas ab arte ædium ſtructuras , ſive urbanas , ſive villicas in ad-

Leonard. Aretin. Hiſtor. Florent. init. lib. 1. Vincenz. Borghin. par. 1. De' Diſcorſi dell' Origine della Citta di Firenze.

jacentium collium, quibus tamquam naturali theatro circumambitur, tumulis concinne excitatas, quæ ſimul collectæ, ut egregius Poëta canebat, binas ſane Romas excederent? An vero commemoranda præclariſſimorum virorum ingenia: quæ mechanicas, ac liberales artes excoluerunt, ſummoque literariæ Reipublicæ emolumento non modo illuſtrarunt, ſed ampliarunt, ditaruntque; quinimmo proprio Marte nonnullas excitarunt? Sed quis in tanto negotio finis eſſet dicendi? quum ii, qui vel ſimplicem illorum in-

Lodovic. Arioſt.

dicu-

Digitized by Google

diculum contexuerunt, magna compleverint volumina; neque tamen adhuc opus pro dignitate eſt abſolutum. Singulas igitur diſciplinas ſi percurres, in ipſarum unaquaque turmatim ſcitiſſimi Florentini obvenient, & inter ipſos, velut inter viburna Cupreſsi, alij alios excedentes. Ecquem enim inter Scultores, ac Statuarios uni Laurentio Bartoluccio Florentino æquabis, qui æneas fores templi ſancti Johannis Baptiſtæ civitatis ſuæ tanta peritia anaglyptices efformavit, ut illas Paradiſi liminibus congruere ſcitiſſimus vir

V. Criſtofor. Landin. Nell' Apologia di Dante, e di Fiorenza con l'aggiunta del Sanſovino.

venuſtiſſime dicere conſueverit ? Aut quem non exceſſit unus Michaël Angelus Bonarota, qui Simulacris marmoreis vitam, ſibi vero immortalitatem dicitur comparaſſe ?

V. Giorgio Vaſari Fiorent. Nelle Vite de' più Eccellenti Pittori, Scultori, ed Architettori.

Quis deperditam picturam, vel horridam, incultamque, ac deformem temporum injuria redditam, niſi Cimabues Florentinus, tum Gjottus vel reſtituerunt, vel ornavere ? Quis ad perfectionis apicem niſi omnium ſeculorum memoria digniſſimus Bonarota evexit ? Quis Architectonicen e Gothico horrore melius uno Leone Baptiſta Alberto Flo-

Dante. Nel Purg. Cant. 11. ter. 21.
Credette Cimabue ne la pittura
Tener lo Campo, ed or ha Giotto il grido.

renti-

rentino eripuit, & ad Græcorum ornamentum, excellentiamque reſtituit? qui vere ætatis ſuæ alter Vitruvius eſt dicendus. Quis melius Hydrographicas Mediterranei tabulas primo emendavit Chriſtophoro e Bondelmontium antiquiſſima, & præclariſſima Florentina Familia orto?

Age vero Muſices tria Græca Genera quis melius, quis enucleatius Vincentio Galilæo exploravit? Hic duorum Chromatici ſcilicet, & Enharmonici jacturam deflevit, & Diatonici, quo modo utimur, imperfectionem detexit, omniaque

V. Vincenz. Galil. Della Muſica antica, e moderna.

que inſtaurandi, & reficiendi viam aperuit. Aut quis penitius Muſicæ theoriam pervaſit Jo: Baptiſta Dono, qui ejus arcana nobiliſsimo inſuper Latino ſtylo expreſsit?

At vero quem in Geometria, in Mechanica, in Dioptrica, in Aſtronomia, in Phyſicis rebus acutiorem, peritioremque uno Galilæo Galilæi unquam deſideraveris? qui novum circinum proportionis, perutile ſane opus, & innatantium in fluidis de novo naturam excogitavit, & Teleſcopium adinvenit, quo novas ſtellas Mediceas prius incom-

pertas

Digitized by Google

pertas detexit , & circa viæ Lacteæ , ac Lunæ ſtructuram omnem prorſus dubitationem amovit ? Alter ſane hic Italiæ noſtræ Archimedes , in excogitando ingenio pari , in inveniendo feliciori . O beatam Florentiam civitatem , quæ tanti viri Phyſica veſtigia conſectans , celeberrima inſtituta experimentali Academia , tot naturæ arcana detegere valuiſti !

Accademia del Cimento .

Miſſos facio heic tot Botanicarum rerum peritiſſimos hiſtoricos , qui Petri Andreæ Matthioli Senenſis tam inſigne , ac tam eruditum opus mirum in modum excoluerunt ,

atque

atque ditarunt, de quorum, & præcipue unius Franciſci Redj, olim mei amantiſſimi, operibus quid non ſama loquitur? tot expertiſſimos Medicos, tot Peripateticæ, tot Platonicæ doctrinæ, quos inter præcipue Marſilium Ficinum, explanatores; ſed quis ſilentio præteribit Petrum Victorium, quem qui legit, Ariſtotelem Tullj lingua loquentem ſibi videtur audiviſſe?

Quid vero dicemus de * *Hiſtoricis, de Oratoribus, de Poëtis, qui vernacula lingua ſcripſerunt? Eſtne ulla ex Italicis regionibus, quæ uberiores,*

* Gio: Matteo, e Filippo Villani. Ricordano Maleſpini, Segret. Fiorentino, Benedetto Varchi &c.

riores , quæ ſelectiores , elegantioreſque ediderit ? Eccui in memoriam non venerint heic Dantes Aligherius , Franciſcus Petrarcha , Jo: Boccacius , Johannes Caſa , Angelus Politianus optimi qua carmine , qua ſoluta oratione dicendi magiſtri , aut Leonardus Salviatus nobiliſſimus Eques , qui Italicas dicendi leges in illis acutiſſime vidit , accuratiſſimeque ſelegit ?

V. I due volumi degli Avvertimēti della lingua ſopra il Decamerone.

Lionardo Salviati. Avvertimēti della lingua ſopra il Decamerone del Bocc. to. 2.

At vero quô oblivioſus ipſe prolapſus ſum maximum Heroëm Americum Veſpucium commemoratis omnibus præfici digniſſimum præteriens ; qui

continentem novi Orbis partem, immenſaſque illas geminas Peninſulas primus detexit, quibus ſuo de nomine nomen fecit Americæ? Quanta, Bone Deus! in uno homine Hydrographiæ, & Geographiæ inerat ſcientia, quanta ventorum, aut Magnetis peritia, quanta ſiderum cognitio, quanta totius Nauticæ intelligentia, quanta denique animi præſtantia, ac magnitudo, quantaque conſtantia, ac virtus; qua duce, ſecunda etiam comite fortuna, tot ſepoſitas, remotaſque regiones pervaſit, tot impervia

maria

Digitized by Google

maria trajecit, tot barbaras, & ferocientes nationes ſubegit, tot, tantaque pericula feliciſſime ſuperavit. Illi profecto robur validum, & æs triplex circa pectus fuit, qui commiſſis immenſo, incognitoque Oceano ratibus, Chriſtianorum Regum ditiones, atque imperia, &, quod potiſſimum eſt, Chriſtianam ipſam Religionem tanta gentium varietate, tantaque regnorum acceſſione cumulavit.

V. Relat. Ramusj. Tom. 3. alioſque paſſim.

Mira igitur acerrimorum, & ſapientiſſimorum ingeniorum ubertas! Mira tot præclariſſimorum virorum Florentia

Digitized by Google

fœcundiſſima mater, ac benigniſſima nutrix! Quapropter ego ab ineunte ætate inſignem adeo civitatem ſumma ſemper veneratione, ſummoque ſtudio ſum proſecutus.

Cic. De legib. lib. 1.

Movemur enim, neſcio quo pacto, locis ipſis, in quibus ſummorum virorum, quos admiramur, adſunt veſtigia; quamobrem minus ægre ferent Lectores, ſi de Te, Tuiſque locuturus, SANCTISSIME PATER, de Florentia patria tua genio meo indulgens aliquanto juſto amplius, quam hic fortaſſe locus ſinebat, viſus ſum pati orationem excurrere.

Sed

Digitized by Google

Sed quamvis adeo illuſtris civitas cunctorum animos ſua gloria, ſuique admiratione compleverit: tamen multo magis id effecit præclariſſima, & antiquiſſima ſummis, frequentibuſque imaginibus referta Familia Tua, quæ Rempublicam Florentinam facundiſſimis Oratoribus, quibus ad Summos Reges mittendis, ubi tempus tulit, feliciſsime uſa eſt, ſtrenuiſsimis belli Ducibus, atque Imperatoribus, prudentiſsimis Senatoribus, ac Moderatoribus, antiquis, poſterioribuſque temporibus locupletavit. Utinam opportunum

Digitized by Google

mihi tempus daretur longius diſſerendi de Majoribus tuis, quid materiæ non ſuppeditaret ad dicendum (a) *N*ERIUS *C*ORSINUS *jam inde ab anno* 1265. *Anteſignanus, & Collegj Princeps creatus Florentiæ? Quid non* (b) *Gherardus, quid non* (c) *Thomas Petri Cardinalis pater, cui uni eloquentiæ ubertate, ac dexteritate in obeundis negotiis celeberrimo, quum miſſus* (d) *eſſet Legatus ad Ludovicum Hungariæ Regem una cum pluribus aliis, unanimi conſenſu a Sociis latine alloquendi Regis provincia com-*

(a) V. Scipion Ammirat. dell' Iſtor. Fiorent. lib. 4. an. 1292.

(b) V. eumdem lib. 9. an. 1342.

(c) V. eumdem l. 13. an. 1370.

(d) V. eumdem l. 10. an. 1347.

Digitized by Google

commiſſa fuit ; quique apud (e) Imperatorem Carolum etiam legatione fungi juſſus fuit, ac deinde ob res præclare geſtas Patriæ (f) Anteſignanus renuntiatus ? Quid non (g) Philippus, cui a Patria ſua legatio etiam demandata fuit, & deinde ad plures Europæ Reges (h) legatus deſtinatus, ad Imperatorem ſcilicet, & ad Galliæ (i) Regem ; quo in munere ita ſe geſſit, ut Florentiæ Anteſignanus pluries fuerit conſtitutus ? Quid ultimis temporibus non Gherardus (k) Bertoldi Corsini *filius Mediceæ* *factic-*

(e) V. eumdem ibidẽ an. 1352.

(f) V. eumdem ibidẽ an. 1353.

(g) V. eumdem l. 12. an. 1364.

(h) V. eumdem l. 13. an. 1368.

(i) V. eumdem l. 15. an. 1389.

(k) V. Benedict. Varch. Iſtor. Fiorentin. ſtampata in Colonia l'anno 1721. l. 2. pag. 25. 29., e 30. verſo l' anno 1526., e lib. 7. Pag. 174.

factioni addictiſſimus, amantiſſimuſque Patriæ ſuæ, & Civium, vir ſummæ auctoritatis, & primis honoribus ab ipſa Florentia donatus? Quid non Rinaldus (l) Philippi filius; quid non Alexander, (m) quem ut unum ex primis Florentiæ familiis natum, ita virum ſui temporis facile principem appellat Varchius? Quid non Bertoldus (n), ſexcentique alii, qui & Patriam, & CORSINAM Familiam ſummis honoribus auxerunt? At, quod rariſſimum, plures utroque tempore pacis, & belli temperantem ſapientiam cum ſum-

(l) V. eumdem lib. 8. pag. 190. ann. 1528.

(m) V. eumdem l. 10. pag. 293. ann. 1529., & l. 12. pag. 471. ann. 1531.

(n) V. eumdem l. 15. pag. 596. ann. 1536.

ſummo animi robore, & fortitudine ita conjunxerunt, ut quum enituerint in pace, non obſoleverint in bello.

Ecquis vero non demiretur a CORSINA *gente Romanam Eccleſiam plurimis fuiſſe ditatam, in dieſque ditari Præſulibus ſapientiſſimis! quorum plures Epiſcopalibus, & Archiepiſcopalibus infulis inſigniri, ut S. Andreas* (o) *Feſulanæ Eccleſiæ Epiſcopus, &* NERIUS (p) CORSINUS *ſancti Andreæ frater, & in eadem Eccleſia Succeſſor; Paulus Volaterranæ* (q) *Sedis Præſul; Americus ultimus*

(o) V. Scipion. Ammir. de' Veſcovi di Fieſole, Volterra, ed Arezzo con l'aggiunte di Scipione Ammirato il giovane. Ne' Veſcovi di Fieſole pag. 34., & Ughell. tom. 3.

(p) V. eumdem ibidē pag. 36., & Ughell. ibidem.

(q) V. eumdem de' Veſcovi di Volterra pag. 116., & Marium Giovannelli nobilem Volaterranum. Nella Cronitto

 (r) *Flo-*

(r) Florentiæ Epiſcopus, primuſque ejuſdem civitatis Archiepiſcopus; Octavius Corsinus (s) Archiepiſcopus Tarſenſis, qui prima munia, & legationes etiam ad Reges obivit, in Romana Curia adeo celebris, ut ejus adhuc extet memoria, ac per ora virorum fama volitet; Alii vero ſacra Purpura donari meruerunt, ut Petrus (t) Corsinus Volaterranæ Eccleſiæ, deinde Florentinæ Epiſcopus, qui feliciſſima legatione apud Carolum IV. Imperatorem functus, non ſolum ſibi, ſuiſque ſucceſſoribus Principis nomen, honoreſque,

ria dell' Antichità, e Nobiltà di Volterra pag.165. & Ughell. Tom. laudat.

(r) Vincentium Borghini p. 2. Nel Diſcorſo della Chieſa, e Veſcovi Fiorentini pag. 595. Scipion. Ammirat. Nell' Iſtor. Fiorent. l. 18. an. 1412., & Ugell. T. 3.

(s) V. Ughell. tom. 3. de Archiep. Florent. fol. 204. primæ editionis.

(t) V. Vincent. Borghin. p. 2. Nel diſcorſo della Chieſa, e Veſcovi Fiorentini pag. 594. Mar. Gjovannell. Nella Croniſtoria dell' Antichità, & Nobiltà di Volterra pag. 165. Scipion. Ammirat. De' Veſcovi di Volterra pag. 154. Et Ughell. T. 3. de Epiſcop. Florent.

reſque, ſed etiam, quum omnibus ſcientiis eſſet excultus, ut patet ex operibus manu exaratis, quæ in præclariſſima tua Bibliotheca ſervantur, Florentinæ Academiæ ad bonarum artium incrementum ampliſſimum privilegium ab eodem Imperatore obtinuit; ut ſeculo ſuperiore N*ERIUS* [u] C*ORSINUS*, *qui omnibus pene dignitatibus in Romana Curia auctus, demum ab Alexandro VII. ſacro Cardinalium Collegio aſcriptus fuit. Ne quid dicam de* N*ERIO* C*ORSINO Nepote Tuo digniſſimo, qui in Legationibus,*

(u) V. Alphonſ. Ciaccon. cum recognitione, & acceſſione Auguſtin. Oldoin. Roman. edit. ann. 1677. T. 4. ſub Alexandro VII. fol. 757.

 quibus

quibus apud Reges functus eſt, tantam ſcientiam, tantam prudentiam, tantam denique ingenj dexteritatem teſtatam fecit, ut jam pridem ſummos conſequi honores debuerit, & ſupremam, qua a SANCTITATE TUA *nuper auctus eſt, Cardinalatus dignitatem. Neque hic* CORSINÆ *gentis limes, vel cardo eſt. Siquidem non ſolum terram, ſed, quod potiſſimum eſt, Cœlos ipſos virtutum ſplendore exhilararunt* CORSINI*, ornaveruntque, a Catholica Eccleſia, vera, & triumphali Apotheoſi donati.*

Digitized by Google

Quid vero fruſtra conor in anguſto ſcypho vaſtum concludere Oceanum? Provinciam hanc Poëmatibus, & præclariſſimis dignam hiſtoriis percurrant alii. Tu enim ſolus, ſi vires mihi ſuppeterent, celebrandus exiſteres. Tu, inquam, qui Dei imaginem in terris gerens, ut in S. Ignatj Martyris epiſtola ſcriptum eſt, tantum & Atavis tuis, ceteriſque hominibus præſtas, quantum anima corpori, Cælum terræ, Deus creaturis. Tu, cujus poteſtas non Orbis Terraquei cardinibus concluditur, ſed & terræ centrum, & Cæ-

Taſſo nell'Orazione in lode della Caſa de' Medici. I Vicarj di Criſto, i quali poſſono aprire, e ſerrare il Cielo, e l'Inferno, e dare i Regni, e le Corone, e traſportar gli Imperj con quella poteſtà, che divinamente è lor conceduta.

& Cœlos conterminos habet . Ad Te igitur redibo , qui adeo ſublimi genere natus , ampliſſimaſque naturales dotes nactus , & a parentibus optimis educatus , primo liberales artes , & humanas , ſacraſque ſcientias non ſenſim , ut aliis uſuvenit , didiciſti , ſed veluti pernicibus alis percurrere viſus es . Juvenem Te perinde Roma , totius Orbis theatrum , excepit earum Eccleſiaſticarum , moraliumque virtutum ſupellectile inſtructum , quæ ſæpe deſiderari ſolent in Senibus , Pietate ſcilicet , Caritate , Juſtitia , Mo-

deſtia ;

Digitized by Google

deſtia , Comitate , Suavitate morum , & ipſa Eloquentia præſtantiſſimum , atque ita demum officj plenum , ut ad Tui admirationem omnium ora , vultuſque converteris . Hinc quicumque Te norant , O Juvenem , dicebant , altiſſimæ expectationis , ac ſpei , magni quidem animi , ſed nihil elati , majeſtate , ac gravitate præditum , ſed nihil omnino ſuperbientem ! en quam dexter in exequendis , quam gravis in differendo , quam maturus in pronuntiando , quam fortis in veritate tuenda ; nihil in eo juvenilis le-

vita-

Digitized by Google

vitatis, nihil inane, nihil varium, nihil poteſt infirmum deprehendi: digniſſimus profecto, cui omnes Romanæ Curiæ honores, primæque Eccleſiæ dignitates accedant. Hæc Sapientiorum hominum præſagia, ſpes, expectatio minime fruſtrata. Statim enim ac Prælaticia toga indutus fuiſti, ac ad capeſſendam Sacræ Reipublicæ adminiſtrationem deſcendiſti, non unum ad Te, ſed plura ſimul munia confluxerunt, e quorum ſingulis licet defatigari nonnulli, atque obrui ſæpenumero conquerantur: tamen Tu ita cuique præ-

ſto

ſto aderas, tamque ſatis cumulate faciebas, ut non aliis diſtractus curis, ſed uni tantum vacare totus viderere. Itaque operoſum minime Tibi fuit, implexiſſimas lites dirimere, ardua negotia abſolvere, ſacri Ærarj præfecturam tanta juſtitia, tanta fidelitate, integritateque gerere, ut & oppreſſos levare, & ditare Ærarium, & cunctos vitæ ſuavitate pellicere potueris, eaque omnia tanta celeritate, felicitateque perficere, ut inter curas vacuus, inter negotia otioſus, inter labores ruſticari videreris. At hæc,

Digitized by Google

& id genus alia , quæ nunc curſim innuo , ac perſtringo , extenuans potius , quam laudans , o quam lubenter ego proſequerer , expromeremque , niſi maximo modeſtiæ Tuæ offendiculo eſse dubitarem . Optimos enim viros nihil gravate magis ferre , quam proprias audire laudes ſæpenumero expertus ſum . Sed quod ſumma admiratione dignum eſt , inter hæc non Tu ſacram Purpuram , verum Te tanto meritorum cumulo auctum potius ſacra Purpura , ſummum Eccleſiaſticæ dignitatis ornamentum , efflagitabat ,

jam ,

Digitized by Google

jam, quod Te non cito indueret, non vivido rubore, ſed mœrore potius ſquallens. Verum quum illam tandem induiſti, gaudio exilire Roma, exultare Eccleſia, cuncti lætari viſi ſunt, non ſine admiratione intuentes Te exterioris mutatione veſtis interiores animi habitus, atque ornamenta non modo nihil variaſſe, ſed auxiſſe potius, ac penitus perfeciſſe. Hinc Te ex humano humaniſſimum, ex ſolerti ſolertiſſimum, ex juſto juſtiſſimum experti ſunt. Et quamvis plura, ac majora Tibi obvenerint tunc negotia,

Digitized by Google

Congregationum ſcilicet , in quas aſcitus fuiſti , Signaturæ , cui datus Præfectus , Religioſorum Ordinum , Confratriarum , quibus regendis Te Summi Pontifices Prædeceſſores Tui merito admoverunt: tamen nec laboris pertæſus , nec tot rerum varietate fractus , ſumma diligentia , admirabili juſtitia , incredibili dexteritate , ac prudentia ſemper in officio eſſe , omnia ſapienter , ac pro dignitate moderari , omnibuſque cumulatiſſime ſatisfacere numquam intermiſiſti , & factus juxta Apoſtolum omnibus omnia ,

Digitized by Google

omnium animos, voluntateſque devinxiſti.

Magna quidem hæc, quæ præſens noſtra ætas admiratur, quæque futura numquam deſinet memoria recolere; ſed illud præclariſsimum eſt, quod literarum, bonarum artium, ſcientiarumque omnium patronum præſentiſsimum, facilemque Mecœnatem Te præbueris, præcipue Quiritum Academiæ, in quam omnigenæ literaturæ viri optimi cooptati ſunt. Et tunc, quum illius patrocinium lubens inieviſti, reviviſcere ſtatim, ac florere bonæ artes, lætarique quam maxime, ac vi-

res

Digitized by Google

res ſuas reſumere deſpecta jamdiu Sophia viſa eſt, ſimulque tibias inflare non ficticiæ jam, ſed veraces illæ Muſæ, quibus plurimum ſemper in votis fuit, ut vel Summi Principes philoſopharentur, vel regnarent philoſophantes; proinde, ut Tu non modo in Philoſophiæ ſtudiis verſatiſſimus, ſed quod majus eſt, egregius, eximiuſque ſane Theologus, ad ſacræ Reipublicæ magnis, tetriſque calamitatibus jactatæ, ac ſummo fluctuantis periculo gubernacula accederes, vehementi deſiderio flagrabant.

Harum

Digitized by Google

Harum vero, totiuſque Orbis Chriſtiani votis ſatis jam factum eſſe elapſis diebus rumor fuit, & fama univerſam civitatem pervaſit, CORSINUM jam Pontificem Maximum electum eſſe. Quis animorum hilaritatem, exultationemque, quam omnes vultu patefaciebant, verbis poſſet exprimere? Maximas Deo grates pro ea electione referunt: enixis electo precibus perpetuam conteſtantur felicitatem. Verum, quum Urbs tanta lætitia diffueret, en ſubita vox, adverſumque murmur evulgatur, CORSINUM tantam dignitatem ſum-

Digitized by Google

ſumma animi temperantia, Chriſtianaque humilitate reſpuere, cunctoſque enixe rogare Patres, ut impoſterum ad digniorem virum animum appellerent; atque his excuſationibus tantum conari a ſe honorem avertere: Noſſe ſcilicet ſe ſe, ſuamque tenuitatem tenere, ac ſenium, noſſe ineffabilem Papatus dignitatem infinitis oneribus obnoxiam: Noſſe difficillima tempora, quibus ea eſſet adeunda, res Romanorum acciſas, illas vero totius Eccleſiæ afflictas, Ærarium exhauſtum, Orbem Chriſtianum tot diſſi-

diis,

diis, belliſque gliſcentibus mirum in modum agitatum, ſummoque timore concuſſum: ideoque illum a Purpuratorum, qui ſpiritu Dei aguntur, Senatu eligendum, qui virtutum omnium corona redimitus, & infracta præſertim Chriſtiana fortitudine firmatus valeret malis omnibus viriliter occurrere.

At quid agis, quid moliris virtutum omnium præſtantiſſima temperantia, & quæ raro inter homines excoleris, ſolida, non autem affectata Evangelica humilitas? Tu dum honores declinas, in il-

Digitized by Google

los impingis invita ; dum omni induſtria ſtudes deliteſcere , tunc maxime in publicum theatrum prodis ; dum populorum favores ex animo exhorreſcis , Pæan , & manuum plauſus te te excipiunt . Ita prorſus Tibi , BEATISSIME PATER *, accidit ; quo magis enim ſupremum honorum apicem præterire conaris , eo magis modeſtia tua allecti Patres , illum Tibi deferre nituntur ; ſolidiorem enim eo modo virtutem tuam experiuntur : & quo magis obluctaris , eo melius pectoris Tui conſtantiam deprehendunt , & humi-*

lita-

Digitized by Google

litatem illam tuam revera Chriſtianam nihil habere cum animi imbecillitate, abjectioneque commune: & ſenium licet corporis vires aliquantulum pro hominum conditione dejeciſſet, nihil omnino menti offeciſſe, eaque iſta tua ætate tantum Te valere, quantum vix ſolent juniores. Quamobrem talem Te Papam fore rentur, qui humilitatem decenti ornatam faſtu oſtentans ſupremam dignitatem exteriori pompa ob oculos ſis oblaturus, atque comitate morum, hilaritate vultus, ſuavitate loquendi, &

Digitized by Google

Chriſtiana caritate ita Principis Majeſtatem temperaturus, ut nec tua humilitas vilitatem, nec ſuperbiam tua magnitudo ſaperet: quemadmodum ſanctus Gregorius Nazianzenus, qui dum Conſtantinopolitanum Patriarcham gereret, exteriorem famulatum, & cultum non reſpuit, dignitatis ſuæ decus una cum Chriſtiana caritate, humilitateque conjunxit. Quantum enim ab hujuſmodi pompis, illecebriſque animo abeſſet, ſatis, ſuperque aperuit, quando illis ultro ſeſe abdicavit.

Hæc in Te ipſo perſpiciens

Digitized by Google

Sacer Purpuratorum Senatus concordi voto in Tui electionem conſpirat. Itaque unanimi omnium conſenſu, ac ſuffragiis Summus Pontifex renuntiaris, qui, nomine CLEMENTIS XII. aſſumto, Eccleſiæ DEI gubernacula, non modo Roma, ſed Orbe ipſo lætitia perfuſo, inis. Sed quæ ſacri Principatus initia? quæ prima facinora, qui finis præfixus? Salus æterna populorum, ſalus quoque temporalis totius Eccleſiaſticæ ditionis ſuprema lex eſt. Quæritas primum juxta Chriſti præceptum Regnum DEI, & juſtitiam

ejus,

Digitized by Google

ejus, ut fauſta omnia adjiciantur. Ad hæc animum intendens principio optimos Conſiliarios, Miniſtroſque aſciſcis; in quibus tantum egregius quidam Literatus ponebat, ut ſi data optio eſſet ad alterutrum eligendum, maluiſſet non bonum Principem cum bonis Adminiſtris, quam bonum cum ſui diſſimilibus. O felicem igitur ætatem noſtram, o beata ſane tempora, quibus datum eſt optimum Principem experiri cum ſelectiſſimis Adminiſtris! At de his non hic loquendi locus. Verum quamvis egregios Mini-

Paul. Manut. Epiſt. ad Cardinal. Farneſ. præfix. Lucubrat. ad Attic.

ſtros

ſtros ſumma integritate, ſummaque juſtitia percelebres elegeris: nibil tamen a ſacris negotiis Tibi facis otj; bonam diei partem excipiendis, audiendiſque petentibus impendere, reliquum tempus Conſiſtorialibus Conſultationibus, Romanæ Urbis commodo, Eccleſiaſticæ ditionis utilitati, Paſtoribus Eccleſiaſticis ſeligendis, totiuſque Chriſtiani Orbis curæ, rebuſque devovere in deliciis Tibi eſt. Nulla alia majori voluptatis jucunditate perfunderis, quam miſerorum temporibus accurrere, pauperum egeſtati largiſsima, qua

potes,

potes, liberalitate ſervire. At ſi tantum ſpatj in principio motus tranſcurritur, quantum in acceleratione abſolvetur? Si vix exoriens hic Sol adeo vehementi fulgore, atque calore radiat, quid quum medium tenebit axem? Ego jamjam videre mihi videor ad diſſitas Ethnicorum, qui adhuc ſuperſunt, nationes novos Apoſtolos prædicationis gratia expediri, Chriſtianos Principes bellorum tumultu æſtuantes ad optimam concordiam revocari, publicas omnes, privataſque ſimultates componi, Urbem ad felicitatem tradu-

ci, totam Eccleſiam tranquillitati reſtitui, juſtitiam denique juxta omnia ſua genera, & præcipue diſtributivam obtinere. Sed quorſum hæc? aut quo me impulit veritatis æſtus, & ſtudium? quaſi facile ſit tanti Pontificis laudes juſta oratione complecti. Colligam igitur me, meique auſus veniam a clementiſſimo Patre imploravero. Pro facto cauſſabor innatam in me quamdam, non dicam, modeſtiam, ſed timorem, quem non aliter quodammodo expuliſſem, niſi maximam SANCTITATIS TUÆ *dignitatem cum*

pari humanitate conjunctam commemoraſſem, quæ, ut ad pedes tuos me proſternerem, ac levidenſe hujuſce operis proferrem munus, impulerunt. Quod ſi ejus percurrendi tædio non afficieris, ſpero Te non improbaturum, quæ de ſancti Petri Surrentinæ Eccleſiæ fundatoris adventu Romam, ut vetuſtum quibuſdam novis argumentis profligarem errorem, procudi, quæque de Epiſcoporum poteſtate ab Apoſtolis ordinatorum, eorumque juriſdictione inquiſivi, vel quam de ſacrarum Diœceſum prima diviſione, de Pallj priſco uſu,

& de

Google

& de Martyrologiis, anſa arrepta, ſententiam tuli, aut quæ denique contra Launojum, alioſque miraculorum obtrectatores ediſſerui: neque faſtidíturum philoſophica, quæ libavi, poſtquam Surrentini Cœli ſalubritatem, ac fertilitatem terræ deſcribens, e Theologicis ad humana deſcendi, neque argumenta, quibus nænias illas hiſtoricas circa primos poſt Diluvium Italiæ incolas, & quæ de Sirenum origine commenti ſunt, non inconcinne refelli, neque denique ſtructuras Græcorum, aut Latinorum ædificiorum, quas elucubravi. Quæ

 qui-

Digitized by Google

quidem, atque alia ſi non accurate, & pro dignitate tractavi, parcendum ſane mihi eſt. Opus enim tam varium, tamque propter vetuſtatem, quam effodio, operoſum ſenio pene confectus, annum ſcilicet ſeptuageſimum tertium agens, aggreſſus ſum, ut petitionibus dilectiſſimorum quondam filiorum meorum ſpiritualium indulgerem. Non me clam eſt doctiſſimum Varronem octogeſimum primum ætatis annum attingentem optimum, teſte Cicerone, edidiſſe librum. Sed ſcio etiam Marchulphum Monachum vi-

rum

Digitized by Google

rum ſua quidem ætate gravem, atque ſpectatum prolixam excuſationem afferre apud Landericum Pariſienſium Antiſtitem, ſi tractatum De Formulis Eccleſiaſticis *incomtum, & imperfectum ei dicet, quod illum condiderit ſeptuageſimum egreſſus annum. Verumtamen qualecumque meum hoc opus eſt,* SANCTITATIS TUÆ *erit illud innata, qua polles, lenitate, humanitateque, & ea tua, qua maxime omnium præditus es, quæque præ ceteris ſupremos Principes decet,* CLEMENTIA; *(Ipſa enim, ut cum Seneca loquar, magnum*

V. Bignonium in præf. ad Marculphũ.

gnum

gnum timoris mei remedium eſt) ac lubenti animo, atque exporrecta fronte excipere; dum Ego a ſummo bonorum omnium datore BEATITATI TUÆ, *cujus humillime pedes deoſculor, Supremam Felicitatem, ac Neſtoreos precor annos.*

Romæ V. Kalendas Januarj MDCCXXXI.

SANCT. TUÆ

Humillimus Addictiſsimus,
& Obſequentiſs. Famulus
Philippus Patriarcha Antiochenus.

AP-

Digitized by Google

APPROBATIO.

*L*Ucubrationes in Surrentinorum Eccleſiaſticas, Civileſque Antiquitates* a Viro clariſſimo *Philippo Anaſtaſio olim Archiepiſcopo Surrentino, nunc Patriarcha Antiocheno exaratas*, quum ex commiſſione Reverendiſſimi Patris Benedicti Zuanelli Sac. Pal. Apoſt. Magiſtri attente, ſummaque animi voluptate perlegerim, non modo nihil in iis offendi, quod a Fide Catholica ſit alienum: verum etiam eas pleniſſimam ſacrarum rerum Scientiam, Eruditionem, Criticenque fideliſſimam, & cum Romanæ, tum Surrentinæ Eccleſiæ diſciplinam, & inſtituta luculenter continere deprehendi. Quare non ſolum ad doctorum hominum commodum, ſed ad Surrentinorum quoque populorum pietatem augendam erga ſuos Epiſcopos, quorum patrocinio è cœlis foventur, ſi ita, ad quos ſpectat, viſum fuerit, cenſeo evulgandas.

In Collegio Nazareno VIII. Kalendas Auguſti Anno MDCCXXXI.

Anſelmus a S. Matthæo de Cl. Reg. Scholarum Piarum.

IM-

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſsimo Patri Magiſtro Sac. Pal. Apoſt.

N. Epiſc. Bojan. Viceſg.

IMPRIMATUR,

Fr. Jo: Benedictus Zuanelli Sacri Palat. Apoſt. Magiſt. Ord. Præd.

PARS I.

Digitized by Google

PARS I.

De Chriſtianis Surrentinorum Antiquitatibus.

PROLUSIO.

QUum Surrentinæ Archiepiſcopalis Eccleſiæ nobis licet immeritis regendæ, moderandæque onus a ſupremo omnium Moderatore, atque ab Innocentio XII. Summo immortalis memoriæ Pontifice impoſitum fuiſſet: poſt annos viginti ſex ea nos Paſtorali cura abdicandi pro majori Dei gloria, & ad ſacrorum Canonum præſcriptum recta cupido inceſſit, facultatemque a Summo Pontifice Benedicto XIII. felicis recordationis tandem aliquando impetravimus; libere dimiſſam a nobis Eccleſiam idem Sanctiſſimus Pater, & Dominus ea, qua pollebat, maxima animi magnitudine, ac liberalitate Nepoti noſtro deferre, noſque ſummo Antiocheni Patriarchatus honore, dignitateque augere dignatus fuit.

Interea, Romæ nobis degentibus, Eccleſiæ Surrentinæ Archiepiſcopus, Capitulum, ac nobiliſſimi Laici Magiſtratus humaniſſima nobis rependen-

Digitized by Google

tes officia pium, ac ſumma commendatione dignum, quo flagrabant, deſiderium aperuerunt, ut ſanctorum ſcilicet, quos Surrentina civitas Patronos colit, & ſancti Catelli Stabienſis Tutelaris, quem, erecto ſub ejus nomine inſigni templo, piiſſime precantur, venerantur que, horas canonicas, peculiaribus inſertis lectionibus, ſibi recitare fas eſſet. Quod ubi cumulatiſſime a Sanctiſſimi Patris, ac Domini munificentia facile fuit impetratum, ut ſcholiis, vel commentariis eas breves lectiones illuſtraremus, inſuper efflagitarunt. Quiſnam rem tam piam, honeſtamque petentibus non facile obſecundaret?

Paruimus igitur viris optimis, filiis cariſſimis, amicis ex animo, neceſſariiſque jucundiſſimis; & licet ſumma ſenectute confecti, infirma valetudine, & corporis moleſtiis afflictati, alieniſque curis diſtenti manus operi nihilominus admovimus; præcipue ut Surrentinæ civitatis Divis Tutelaribus obſequium noſtrum conteſtaremur. Ut vero cariſſimis Surrentinis noſtris uberiori fœnore officia rependeremus, rem altius repetentes, opus hoc *De Surrentinorum Chriſtianis, Gentilibuſque Antiquitatibus* adornavimus, in quo non preſſe res tractare, atque perſtringere ſtatuimus, ſed ſpatiari aliquando in eorum, quæ narrantur, cauſſis inveſtigandis, & per ſalebroſas antiquitates divagando nobiſmetipſis fortaſſe pluſquam par eſt, indulgere decrevimus; ut hac extrema ætate ad ea ſtudia, quæ non modo remiſſa aliquantulum obortis temporibus, ſed longo inter-

intervallo intermiſſa, ac pene rejecta fuerunt, veluti repubeſcentes animum revocaremus. Volupe ſiquidem Surrenti quandoque experti ſumus, arduas montium ſuperaſſe vias, ut aſſequeremur in jugis amplas planities, virentia prata, culta vineta, ſuaviſſimumque proſpectum, unde ſubjecta maria, litora, oppida ſpeculari dabatur; eoque jucundius, quo improbior, ac durior fuit itineris labor: ita in præſenti longos vetuſtatis anfractus permeaſſe, obſcuraſque difficultates perrupiſſe, ut in veritatis hilariſſimam, ac fulgentiſſimam lucem evaderemus, non mediocri nobis delectamento fuit. His igitur rationibus adducti uberius officia reddere conati ſumus.

Digitized by Google

LIBER I.

De Eccleſiæ Surrentinæ Origine, ac Progreſſu.

CAPUT I.

Quando Fidem Chriſtianam amplexa fuerit Eccleſia Surrentina.

I. SUrrentinam Eccleſiam a ſancto Petro Apoſtolorum Principe, quando Antiochia Romam verſus profectus eſt, fundatam, & ad Chriſtianam Sapientiam inſtitutam fuiſſe conſtans, & communis eſt Surrentinorum traditio, quam firmare plurimis conjecturis Maſſæ Lubrenſis accolæ ſtudent apud Ughellum, contendentes ab eodem ſancto Petro Evangelicam lucem ſe accepiſſe, ſuoſque proinde majores in eo territorio celſiſſimum templum Supremo Numini ſub ſancti Petri invocatione excitaſſe ad maris litus altis firmatum columnis, & vermiculato ſtratum pavimento; quod deinde ſancti Benedicti, vel potius ſancti Baſilj Monachi, quibus ea ora olim ſcatuit, Abbatiæ titulo auctum tenuerunt.

V. Ughell. Ital. Sacr. Tom. 6. In Præf. ad Archiep. Surr., & in Præfat. ad Epiſc. Lubren.

II.

II. Pia quidem opinio, ſed in multis ratione deficiens; primo, quod Maſſæ Lubrenſis accolæ Surrentinorum communi antiquitus nomine appellati fuerunt, neque peculiare ſortiti ſunt, niſi poſt factam ſequioribus ſeculis diviſionem inter Surrentinam diœceſim, & ſuffraganeam Lubrenſem. Præterea ſemper templum illud, de quo heic agimus, Surrentino ſolo, ut modo, adhæſit. Tandem, quoniam idipſum templum longe ante ſancti Petri ævum à Tuſcis conditum, & Junoni Argivæ dicatum (ut ex Plinio poſteriori hujus Operis parte demonſtrabimus) multo poſt elapſo temporis ſpatio, ut ſolenne erat Chriſticolis, vero Deo nuncupatum, & in beati Petri honorem hujus ipſius nomine inſignitum eſt, ut ex dicendis liquebit.

Maſſæ Lubrenſis oppidulũ Surrentinorum olim Pagi.

III. Exibilabunt profecto hæc ij præfractæ frontis hæretici, qui ſancti Petri Romam adventum vel in dubium revocarunt, ut primum fecit Guilelmus Johannis Wiclefi magiſter, vel omnino explodere non erubuerunt, ut Vdalricus Velenus Lutheranus, qui librum integrum pro adeo falſa cauſſa tuenda edidit, Illyricus, Magdeburgenſes, eorumque Sectatores, præcipue vero Claudius Salmaſius. Irridendi potius ipſi tot, tantiſque a noſtris impetiti ſacrorum hiſtoricorum, atque vetuſtiſſimorum Patrum graphicis teſtimoniis rem indubiam reddentibus, deletis etiam omnibus, quibus nos urgebant, difficultatibus, ac ſophiſmatis: itaut plures, qui videri noluerunt inepte prorſus, ſtolideque pertinaces palinodiam canere adacti ſint, & a ſuorum in

V. Thom. Valdenſ. lib. 2. de Doctrin. Fid. art. 1. cap. 7.
Illyr. contra Primatum Papæ. Magd. Centur. 1. lib. 2. c. 20., col. 161.
Salmaſ. In Apparat. ad lib. De Primat. Papæ 6.
S. Irenæus lib. 3. cap. 3.
Euſeb. lib. 2. Hiſt. cap. 14.
S. Hieronym. Epiſt. ad Marcellã.
Arnob. lib. 2. contra gentes.
S. Epiphan. Hæreſ. 22.
S. Jo: Chryſoſt. in Pſalm. 48.
Paul. Oroſius Hiſt. lib. 7. cap. 6.

in poſterum ſententia omnino recedere; quo circa Hugo Grotius admiratur, Salmaſium defendere ſententiam a toto Orbe deſtitutam.

IV. Recentiores vero quidam omnem calumniandi anſam arripere ſatagentes quum intelligant Romam ſancti Petri adventum nullo modo negari poſſe, ſaltem ibi moram vigintiquinque annorum, quæ communiter aſſeritur, in Epiſcopatus adminiſtratione ſtudent convellere, loca quædam Actuum Apoſtolorum cauſſantes, quibus eo tempore, quo nos Catholici S. Petrum Romæ immoratum tenemus, Jeroſolymæ potius fuiſſe colligitur; quæ doloſa machinamenta valide concuſſit, ac ſtravit poſt Baronium, & Bellarminum doctiſſimus Cardinalis Perronius aſſerens ſanctum Petrum, poſtquam Romæ Epiſcopatum inſtituit, non ſemel ipſa Roma alio progreſſum, indeque Romam reverſum. Quod quamvis ex ſuo arbitrio, nulloque fundamento commentum fuiſſe Perronium criminetur recens quidam ejuſdem furfuris * nebulo: tamen quis non videt, id non Perronj commentum, ſed ſatis probabilem conjecturam? Quum enim ſanctum Petrum Claudj tempore Romam adventaſſe teſtentur complures ſancti Patres, & vigintiquinque annos Romanæ Sedi præfuiſſe, ut Euſebius, ceterique; (quidquid ex adverſo nimis confidenter more ſuo ſtatuat ex noſtris alioqui eruditus, ſed audax Papebrochius) atque ex Actibus Apoſtolorum conſtet, eumdem ſanctum Petrum intra id temporis ſpatium Jeroſolymitano Concilio interfuiſſe,

S. Leo Serm. 1. De Natal. Apoſt.
Theodoret. in cap. 1. ad Rom.
S. Gregor. Turon. Hiſt. lib. 1. cap. 25.
Theodoſ. Imperat. In Cod. L. Cunctos populos tit. de Summ. Trinit. & Fid. Cathol.

Heretici adventum S. Petri Romam inficiantes facile convicti.

Baron. ad ann. Chriſt. 39. cap. 10.
Bellarm. Tom. 1. lib. 2. cap. 1. & ſeqq.
Le Card. du Perron Archeveque de Sans dans le Replique a la Reſponſe du Sereniſſime Roy de la Grand Bretagne Livre premier obſervation premiere, Chapitre 31. Des Difficultes de l'Eſcritture touſchant le ſejour de saint Pierre a Antioche, & a Rome.
V. Leon. Allat. De Eccl. Orient. & Occidet. conſenſ.
V. etiam Auguſt. Calmet. In Proleg. & Diſſert. in Sacr. Scriptur. Tom. 2. pag. 282. In Diſſert. De Itiner. Roman. S. Petri.
* Georg. Hornius in Hiſt. Eccleſ. period. 1. art. 1. n. 15.

fuiſſe, nonne aperte, accommodeque conjicitur, Roma Jeroſolymam aliquando remeaſſe? Cur potius arguendum numquam Romam pedem intuliſſe, quam Roma Jeroſolymam quandoque reverſum? quum illud vetuſtorum Patrum auctoritati reclamet, hoc vero maxime cohæreat. At ea eſt illorum conſuetudo, qui partium ſtudio, non veritate ducuntur. Hæc Perronj reſponſio æqua, & commendabilis eruditiſſimis viris viſa eſt, eamque firmarunt, præcipue doctiſſimi Binius, & Labbeus ſcribentes: *Petrum in hac Cathedra Romana uſque ad mortem ſediſſe, intelligendum eſt de auctoritate, poteſtate, & præfectura gubernandi Eccleſias univerſas, non de ſitu locali. Conſtat enim, quum hanc Cathedram ſeptem annis adminiſtraſſet, anno Chriſti 51., & 9. Claudj, cujus edicto omnes Judæi, ac Chriſtiani Roma expellebantur, Petrum etiam expulſum Jeroſolymam rediiſſe, & Jeroſolymitano Concilio tertio interfuiſſe; mortuo tamen Claudio, Romam rediit, & ibidem vitam finivit*. Quod ex Baronio hauſerunt, qui pluribus in locis idem omnino aſſerit, & præſertim anno Chriſti 39., licet Pagius, quem in errorem pertraxit Baluzius, ab hac Baronj ſententia non adeo prudenter receſſerit, putaritque primum Sedis Romanæ a ſancto Petro inſtitutæ annum cum primo Neronis eſſe inchoandum. Verum quum hac de re uberrime diſſeruerint Tilemontius, Emmanuel a Schelſtrate, atque hujus veſtigiis inſiſtens eruditiſſimus Blanchinus, aljque quamplurimi, nos a ſermone longius protrahendo ſuperſedemus.

V. Pe-

Papebroch. In Conat. Hiſto. Diſſert. 2. De Petri Cathedris Romæ, & Antiochię conſtitutis.

Georg. Hor. hæret. ibidem n. 6.

Bin. & Labb. apud Blanchinum Tom. 2. pag. 7. In Not. ad Anaſt. Biblioth. ad verba. *Annos* 25.

Baronius ann. Chriſt. 39. n. 20. & ad ann. 45. n. 9. & ad ann. 51. n. 2.

Pag. In Critic. Hiſtoric. Chronolog. in Ann. Baron. ad Ann. 43. n. 2. & 3., & ad ann. 54. n. 3.

Baluz. ad Cap. 2. Tractat. Lactantj de Moribus Perſecutorum.

Tilem. Memoire par l'Hiſtoire Eccleſ. Tom. 1. par. 2. art. 30.

Schelſt. In Antiquit. Eccl. Tom. 1. Diſſert. 1. art. 4. & 5.

Blanchin. in Not. ad Anaſt. Biblioth. tom. 2. p. 8. 9. & 10.

Henſchen. Exerc. 4. ad Chronol. Pontif. n. 28.

Digitized by Google

V. Petrum igitur Romam veniſſe adeo compertum eſt, ut extra controverſiam noſtra ætate eſſe videatur, Romæ quoque Sedem fixiſſe, eique 25. annorum curriculo præfuiſſe, ac tandem ſub Nerone martyrio coronatum fuiſſe in confeſſo eſt. At eo contendens ad complura loca divertit; cujus rei potius traditione, & argumentis, quam ſcriptura firmatæ nobilia pluribus in locis adhuc ſuperſunt antiqua monimenta; & præſertim Neapoli (nam de ceteris non tanti noſtra intereſt heic ſermonem inſtituere) celebris eſt memoria, ubi, poſtquam ad Neapolitanum litus appulit, ſacrum cum ſuis fecit, ut pervetus traditio eſt, quam omnes fere noſtrates hiſtorici, & præcipue Baronius ſcriptis conſignarunt. Unde licet pedeſtri itinere Romam petiiſſe, nonnulli tradant: ferunt nihilominus alii eo litore ſolventem ventorum vi Liburnum delatum, indeque Piſas adiiſſe, ubi extra mœnia non ignobile templum conſpicitur, quod vulgo audit: *San Piero in Grado*. Hoc pervetus tantæ rei monimentum, uti Piſani tenent, non pauci hiſtoriographi memoriæ prodiderunt.

Godofred. Vendelin. In Divin. De Clement. & ejus Epiſt. tempore, quam lege apud I. B. Cotelerium in SS. Patrum, qui Apoſtolorum tempore floruerunt, oper. edit. & ined. Vol. 1. pag. 138. & 139. aliique.

V. præ ceteris nuperum ſcriptorem Emanuelem a Schelſtrat. cap. 1. & 2. Diſſert. de Auctorit. Patriarchar. & Metrop.

Anton. Caracciol. In Monim. Eccleſ. Neapol.

Barth. Chiocc. In Catal. Antiſtit. Neapol. Eccl. a 1. pag. uſq. ad 18.

Johan. Villan. In Chronol. Neapol. lib. 1. cap. 34. & ſequ.

V. L'antichità di Napoli di Benedetto Falco prope finem.

Baron. Tom. 1. Annal. ad ann. Chr. 44. n. 26.

Cornel. a Lapid. In Actibus Apoſt. cap. ult. v. 12.

VI. Quod vero ſanctus Petrus Neapolim venerit, non levem conjecturam ſuppeditat locus Actorum, ubi de navigatione Pauli ad Cæſarem miſſi ſic legitur: *Et quum veniſſemus Syracuſas, manſimus ibi triduo, inde circumlegentes devenimus Rhegium: & poſt unum diem, flante auſtro, ſecunda die venimus Puteolos, ubi inventis Fratribus rogati ſumus manere apud eos dies ſeptem, & ſic venimus Romam.* Heic Fratrum

Actor. cap. ult. v. 12. 13. & 14. Id negat Spanhemius in Diſſert. De temere credita Petri in Urbem profectione art. 1. & 2.

Solida conjectura de adventu ſancti Petri Neapolim.

trum nomine nulli dubium, quin Chriſtifideles veniant. Quæ quum ita ſint, a quonam Fratres illi ad Chriſti Fidem fuerant antea inſtituti, niſi a ſancto Petro, qui unus prior eas oras luſtraverat, lucemque Chriſtianæ Religionis noſtra prius radendo litora Romanis arcibus invexerat?

Neque adeo ſolidam conjecturam enervabis commento Veleni effingentis ſanctum Barnabam Tiberj ævo Romam appuliſſe, atque Evangelium prædicaſſe. Ex Actibus enim Apoſtolorum docemur, gentibus revelata a Chriſto myſteria non antea expoſita fuiſſe, quam de ea re ſanctus Petrus divino oſtento lintei e Cœlo delapſi monitus fuiſſet. Quo tempore Barnabas cum Paulo in Oriente verſabatur. Cap: 10. & 11. V. Bellarm. loc. citat.

VII. Itaque, quum Petrus Neapolim conceſſerit, & Neapolitanam Eccleſiam conſtituerit, conſonum eſt, ut credamus vicina etiam loca, & præſertim Surrentum, celeberrimam id temporis civitatem, ut infra demonſtrabimus, vel quum ex Oriente Neapolim tetendit, vel poſtquam Neapolitanam Eccleſiam firmaverat, peragraſſe.

Veroſimilis ergo Surrentinorum eſt traditio, quam immemorabilem a patribus acceperunt; Apoſtolorum ſcilicet Principem eam promontorj partem, quam ipſi incolunt, exploraſſe, & collecto populo extra civitatis mœnia de noſtra Religione ſermonem primum habuiſſe eo in loco, qui *Sanctus Petrus inventus* pridem dicebatur, poſtea corrupta locutione vulgo *San Pietro a Mele*. Ibi pervetuſtum S. Petrum Surrentum appuliſſe piiſſima extat fama.

B exta-

Digitized by Google

extabat ſacellum patrum memoria ſumma veneratione habitum; quod jam ſenio confectum, ut inſtauraretur, ipſi curavimus, hac addita inſcriptione:

SACELLUM EXCITATUM
UBI APOSTOLORUM PRINCIPEM
CONCIONANTEM
CONSTITISSE FERT ANTIQUA
SURRENTINORUM FAMA
INSTAURATUR
ANNO DOMINI MDCCXXI.
PHILIPPO ANASTASIO
ARCHIEPISCOPO SURRENTINO.

In mſ. Cod. cui titulus: Note, e Conſiderationi ſu la Serie de' Veſcovi, ed Arciveſcovi della Chieſa Sorrentina pag. 3.

VIII. Sed alteram non omittamus ſurrentinorum traditionem, quam in mſ. codice nobis legendam exhibuit vir nobiliſſimus, & pietate præſtantiſſimus Hieronymus Serſalius nobis, dum in vivis eſſet, amicitia conjunctiſſimus, ſibi dono dato ab Antonino Capicio Patritio Surrentino, atque antiquario peritiſſimo. Quod ſcilicet longe ab urbe Surrentina quatuor circiter ſtadiis ſecundum viam, quâ conſuetum iter ad Planum Surrentinum, olim ædicula S. Crucis extiterit, ubi Crux in duro lapide anaglyptica ſervabatur in memoriam plantati ibidem primum a S. Petro Crucis vexilli. Collapſo deinde temporis injuria eo ſacello idem Cruce inſcultus lapis ſervatus, & adnexus fuit muro, qui rus PP. Benedictinorum a via diſterminat, quâ prætereuntes omnes Crucem ipſam religioſe deoſculantur, violaſque perpetuo redolere ſentiunt. Utinam tandem

tandem aliquando ſanctæ Crucis templum eo in loco ſervandæ tantæ memoriæ gratia inſtauretur! Ceterum num hæc inconcuſſam fidem mereant, viderint alii. Nos tamen (non enim in illorum numero ſumus, qui tum maxime eruditi videri volunt, quum piis quibuſdam vulgi traditionibus fidem adimere conantur; qui mos mirum, quantum noſtra præſertim tempeſtate apud ſciolos quoſdam inoleverit) pietati ſtudentes ſuſcipienda, ac veneranda ducimus. Placet enim quod olim *Deſiderius Eraſmus*, qui licet impudentiæ accerſatur, tamen non abſimili in re, de piis ſcilicet, ut dicunt, contemplationibus ait: *Ita modeſtiæ Chriſtianæ eſt, non rejicere petulanter, quod piorum hominum religioſa contemplatio prodidit vel ad ſolatium, vel ad eruditionem credentium.*

Deſid. Eraſm. in Explic. in Symb. Apoſt., & Decalog. in art. *Deſcendit ad Inferos* pag. 123. edit. Lugdun. Batav. ann. 1641.

IX. Antiquiſſima igitur ſunt Eccleſiæ Surrentinæ incunabula, quippe quæ inſtitutionem ſuam, originemque ab ipſo Apoſtolorum Principe divo Petro non ſine probabili conjectura, ac fundamento repetit, a quo credibile ſane eſt cum ipſa Chriſti fide primum etiam Epiſcopum accepiſſe. Quid enim profuiſſet ibi ſemina Chriſtianæ fidei diſperſiſſe, eaque imbuiſſe populos, niſi, ut eos confirmaret, ſpeculatorem gregis Chriſti, quemadmodum etiam Neapoli fecit, ibidem conſtituiſſet?

X. At quamvis ſuum Epiſcopum in ipſo partæ ſalutis initio Eccleſia Surrentina habuerit, ut fama eſt: tamen antiquiſſimus, qui reperiri potuit, ſumma adhibita diligentia ab Antonio de Petio Ar-

Nomina priſcorum Epiſcoporum Surrentinæ civitatis vetuſtate obliterata.

chiepiſcopo Surrentino de ſacris ejus civitatis vetuſtiſſimis memoriis optime merito, ope Bartholomæi Chioccarelli Neapolitanarum antiquitatum peritiſſimi, eſt ſanctus Renatus, de quo inferius diſſertationem inſtituemus. Verum in ipſa ſancti Renati vita anteceſſor ejus Epiſcopus innuitur; ex quo patet etiam ante ſanctum Renatum extitiſſe Epiſcopos, ſed eorum nomina, & acta annorum longinquitate, ac temporum aſperitatibus, ut fuſius infra dicetur, excidiſſe; ſicut etiam admonuit Ughellus. Quapropter PP. S. Mauri ſcribentes de Johanne Epiſcopo Surrentino: *Hic fuit quintus Epiſcopus electus anno 580. qui Synodo R. a ſancto Gregorio habitæ ſubſcripſit anno 595., & obiit anno 598. cui ſucceſſit Amandus*, intelligendi ſunt ita, quod ſcilicet Johannes ſit quintus Epiſcopus inter eos, quorum memoria ſupereſt, non quintus a primo Surrentino illo Epiſcopo, qui forte a ſancto Petro fuit inſtitutus. PP. ſancti Mauri ſecuti ſunt ſeriem Ughelli Tom. 6. *De Archiepiſcopis Surrentinis*. Poſt ſanctum Renatum eorum, qui fuerunt Epiſcopi, ſeries ab illuſtriſſimo de Petio continuata eſt: & in aulæ Archiepiſcopalis palatj parietibus cum Epiſcoporum nominibus, inſignibus gentilitiis, & annorum notula, quibus floruerunt, depicta eſt: tametſi aliquando etiam interrupta, quum neque omnium, qui ſubſecuti fuerunt, Epiſcoporum memoria ab ipſis antiquitatis tenebris multa opera, ac magno labore potuerit erui. Verum de his tertio libro agemus.

V. Noſtr. Comment. ad Lection. S. Renat.

Ughell. Tom. 6. Ital. Sacr. In Præf. ad Archiep. Surrent.

PP. Congreg. S. Maur. In Not. ad Epiſt. 42. lib. 1. Indict. x. S. Greg. Magn. lit. b

CA-

CAPUT II.

De Sanctis Martyribus Surrentinis.

I. QUod autem jam ab adventu ſancti Petri Neapolim Surrentina civitas ad leges, & Chriſtiana inſtituta conformari cœperit, minus veroſimile alicui videri fortaſſe potuerit, præſertim quod omnes fere urbes, quibus ante datam Eccleſiæ pacem Chriſtianæ veritatis lumen effulſit, effuſo martyrum ſanguine redundarint, quos nullos habuiſſe Surrentina regio aliquibus viſa eſt. Hæc difficultas quanti facienda ſit, facile agnoſcit quicumque ſecundam hujus operis partem percurrere non recuſabit: ex qua intelliget, Surrentum principio Græcam rempublicam fuiſſe, deinde Rom. municipium, vel fœdere conjunctam, & ſuis legibus, ac moribus vixiſſe, nec ſævientium Imperatorum Romanorum in Chriſtianos conſtitutionibus mancipatam; quod de Neapolitana republica quoque ſentit Camillus Peregrinius. Quapropter, num re vera martyres ſuos Surrentum habuerit, opportunam heic inſtituendo Diatribam, quæ ad illuſtrandas Surrentinas ſacras antiquitates plurimum confert, inquirere, operæ pretium duximus.

II. Næ tu incautus, fortaſſe heic dixerit quiſpiam, qui deciſum negotium adhuc in diſputationem revocas. Aperte ſiquidem in Romano Martyrologio ſcriptum legimus: *Surrenti ſanctorum martyrum* xiv. Kal. Aprilis.

Digitized by Google

tyrum Quinti, Quintillæ, Quartillæ, & Marci cum aliis novem. Ita profecto, ni Martyrologj auctoritatem quidam labefactare, licet incaſſum, conati eſſent; Godefridus enim Henſchenius, & Papebrochius hac ſuper re ita ſcripſerunt: *Quamvis Surrentum jactet ſuos martyres Quintum, Quintillam, Quartillam, Marcum cum aliis novem, ut legitur in Martyrologio Romano: tamen hi nec martyres videntur fuiſſe, nec Surrentini*. Heribertus autem Roſweidus in indice nominum ſanctorum, qui in veteri ſuo Romano Martyrologio adſcripti ſunt, ubi nomen, mortis conditionem, locum, & tempus ſolet adnectere, relatis ſanctis hiſce Surrentinis nihil de mortis genere addit, quaſi dubium, incertumque eſſet, Martyres ne, an Confeſſores occubuerint; quod etiam feciſſe Uſuardum advertit Auguſtinus Lubin Auguſtinianus, qui poſtquam de hiſce ſanctis Martyrologj Romani verba recitavit, ſubdit: *De his Beda, Ado, & Uſuardus, qui an martyres fuerint, haud obſervat*.

Henſchen.& Papebroch.inBollan. oper.Tom.3.Martj die 19. pag. 17. n. 3.

Auguſt. Lubin. In Adnotat. ad Martyrolog.R.die 19. Martj.

III. Præterea in ms. Tornacenſi ſancti Martini de *ſancto Quinto* mentio reperitur, & confeſſor potius fuiſſe ſubindicatur; legitur enim: *In Africa depoſitio ſancti Leonis Epiſcopi, & ſancti Quinti*, ut etiam videre eſt in Martyrologio Bedæ cum auctario Flori, & aliorum ex codice Divionenſi in opere Bollandi, ubi XIV. Kal. Aprilis habetur: *In Africa depoſitio ſancti Leonis Epiſcopi, & Confeſſoris, & ſancti Quinti*. Quæ vox *depoſitio* Confeſſoribus potius, quam Martyribus tribui conſuevit.

V.Henſch. loc. cit.

Apud Bollan. Tom. 2. Martj in princ.

Unde

Unde etiam *S. Quintum* ex Africa potius, quam noſtratem fuiſſe elicitur; quod & de ceteris adſtrui poſſe videtur, ſi conſulas ſingulos quatuor codices inſcriptos: *Martyrologium ſancti Hieronymi*, qui teſte Henſchenio habent: *In Africa depoſitio Leonti Epiſcopi, Sorenti, Quinti, Quintilli, Quartillæ Marci cum aliis novem, Florenti, & Vonectæ*, ubi vox illa, *Sorenti*, ſancti veroſimilius nomen, quam urbem videtur indicare. Ita etiam codex ms. Labbeanus: *Theodori, Baſſi, Baſiliæ, Leontj Confeſſoris, Sorenti, Marci, Florenti*. Et in ms. Auguſtano ſancti Udalrici ſic ſcribuntur. *Theodoti, Baſſi, Baſiliæ, Leotj Confeſſoris, Sorentì, Marci, Florenti*. Et in ms. Richenovienſi ita: *In Africa Baſſi, & aliorum xx., Lucillæ, Fiſſiani, Pomeni, Apollonj, Leontj Epiſcopi, Marci cum aliis novem*. In ms. Tamlactenſi ad diem 20. Martj, non vero 19. ut in Romano Martyrologio, junguntur *Marco* ſeptem alii, & novem Florentio, ſed loco *Leonti*, & *Sorenti* legitur: *Leotini, & Soretini*. Ms. Patricianum, quod Neapoli apud Clericos regulares aſservatur, habet: *In Africa ſancti Baſſi, depoſitio ſancti Leontj Epiſcopi, Orietini cum aliis novem*; quapropter Henſchenius ait: *En qui prioribus Sorentus, & in Tamlactenſi Soretinus eſt heic Orietinus dicitur*. Martyrologium Gellonenſe, ſive S. Guilelmi de Deſerto pervetuſtum tenet: *xiv. Kal. Aprilis Theodori, Baſſi, Baſiliæ, Leonti Confeſſoris, Sorenti, Marci, Florenti*. Præterea Hermannus Greven relatis in Martyrologio Uſuardi ſanctis Surrentinis adjicit: *Ipſo die ſan-*

De Martyrol. S. Hieronym. V. Pamelium, & quæ nos alibi dicemus.

Henſchen. Tom. 3. Martj die 19. n. 3. pag. 27.

V. Soller. Tom. 7. Junj ſive p. 2.

Martyrol. Gellon. apud Dacher. In Spicil. Tom. 2. ult. edit. Pariſ.

Henſchen. loc. cit.

Digitized by Google

ſanctorum Apollonj , Baſſi , Sorenti , & Leontj Epiſcopi : quaſi *Sorentus* martyris nomen fuerit . Et Lucas Dacheryus in Indice Martyrologj ſancti Hieronymi (auctore Henſchenio) a ſe edito *Sorentum* quoque ſanctis hujus diei annumerat : qui Dacheryus in eo Martyrologio revera hæc affert: *In Africa Lucelli , Baſſi , Fiſciani , Pomeni , Joſeri , Apolloni , Ammoni , Saturnini , Baſiliæ, & aliorum novem, Theodori Epiſcopi , Gagi , Gadulini , & depoſitio ſancti Leonti Epiſcopi , Sorenti , Quinti , Quintili , Quartillæ , Marci cum aliis novem , Florenti , & Vonocte* . Hinc eſt quod perſpicax æque , atque eruditus Henſchenius ſcripſerit : *Alia difficultas exoritur , quod Sorentus videatur conſtitui inter Sanctos martyres , non Surrentum civitas* .

Apud Dacher. Tom. 2. Spicil. edit Pariſ. ann. 1723. in vetuſt. S. Hieronym. nomine inſignit. Martyrol. xiv. Kal. Aprilis.

Henſch. loc. cit. in princ. n. 3.

IV. At vero , etſi nobis compertum ſit Surrentinos ſuis propriis legibus , moribus , inſtitutiſque ſine ullo Romano Præſide vixiſſe , reſque ſuas per ſeipſos temperaſſe ; nihilominus credibile eſt Chriſti Religionem inveterato jam Idolorum cultui obſiſtentem , calumnias ſuas , ærumnas , calamitateſque Surrenti quoque paſſam fuiſſe . Et fortaſſe , dum crudeliſſima illa ſub Nerone toto orbe Romano in Chriſtianos deſæviit perſecutio , Surrentinus Conſul ſive a potentiſſimo , ac truculentiſſimo Imperatore quidquam mali ſibi metuens , ſive ei ablandiendi ſtudio novæ quoque Religioni bellum indixit ; quo tempore martyres ſuos forſitan habuit Surrentina reſpublica .

Argumentum de Ss. martyribus Sur.

V. Porro martyres ſuos obtinuiſſe Surrentum lucu-

luculentiſſimum argumentum prodere videtur ſanctus Gregorius Magnus, qui Johanni Epiſcopo Surrentino, Agnello Epiſcopo Terracinenſi, & aliquibus aliis Epiſcopis ſcribens ait: *Glorioſus filius noſter Gregorius Expræfectus* (is forſitan eſt hic Gregorius Expræfectus, cujus ſanctus Gregorius Magnus poſſeſſiones, homineſque in Surrentina diœceſi poſitos eidem Johanni commendat, ut alibi dicemus) *Sanctuaria beatorum martyrum in diœceſis veſtræ locis quieſcentium ſibi poſtulat debere concedi; in quorum honorem Baſilicam propriis ſumtibus ædificare deſiderat. Et ideo, cariſſimi, præfati viri deſideriis ex noſtra vos præceptione convenit obedire, ut devotionis ſuæ in conſecratione, quam poſtulat, potiatur effectu.* Quod nomine illo *Sanctuaria* ſanctorum martyrum reliquias intellexerit ſanctiſſimus Pontifex Gregorius, liquet cum ex hoc loco, tum ex multis aliis ſuarum epiſtolarum: & præſertim ex epiſtola 5. lib. 2. Indiction. 10. ex epiſt. 12. ejuſdem libri, & ex epiſt. 54. lib. 1. Ind. 9. ubi PP. ſancti Mauri id confirmant.

ex S.Gregorj Epiſtolis petitum.

S.Greg. lib. 9. Indict. 2. epiſt. 25. juxta ordinationē PP. S. Mauri.

Idem lib. 10. Indict. 3. Epiſt. 59.

V. Notas PP. S. Mauri ad hanc epiſt. 12. lib. 2. lit. h

V. eoſdem ad epiſt. hanc 54. lib. 1. lit. d

VI. Et ſane abſque martyrum lipſanis altaria conſecrare, & publice dedicare ex antiquiſſima Eccleſiæ diſciplina nefas erat, ut ex Patribus, & poſitivis Theologis docemur, præcipue dum producunt locum illum Apocalypſis: *Vidi ſubtus altare animas interfectorum.* Ita prorſus facere conſuevit ſanctus Johannes Papa primus, qui, teſte ſancto Gregorio Turonenſi, Arianorum Eccleſias ritu catholico dedicavit; quod deinde ſub depoſitionis pœna

Non ſine Sanctorum Lipſanis Aræ conſecrandæ.

Apocalyp. cap. 6. v. 9.

V. S.Greg. Turon. Lib. de Glor. Martyr. cap. 40. Baron. in Annal., & Sever. Bin. In

C con-

Not. ad vitam S. Johan. Pontific. Rom., & Natal. Alex. Hiſt. Eccl. Tom. 5. ad ſeculum 6. Hiſtoricæ Synopſis cap. 2. art. 3.

Jo: Diacon. In vita S. Gregor. Magn. lib. 2. n. 31. pag. 29. edit. Rom. 1588. Tom. 1. Operum Siſti V. juſſu emendatorum, & auctorum.

Durant. De Ritib. Eccl. Cathol. lib. 1. cap. 25. n. 4.

conſtitutum, atque indictum fuit omnibus Epiſcopis. Sanctum autem Gregorium noſtrum, refert Johannes Diaconus, curaſſe inſtar ſancti Johannis Papæ I., ut ſacra quædam Ædes Romæ in regione Suburræ propter impietatem Arianorum antea diu obſerata expiaretur, illatis in eam Reliquiis beati Sebaſtiani, & ſanctæ Agathæ martyrum, (non autem ſanctorum Stephani, & Agnetis, ut male tradit Johannes Stephanus Durantus) &, ubi fuiſſet catholico ritu jam dicata, aperiretur.

Id ipſum accepimus ex multis Conciliis ita, ut Theologi quamplures, & canonum interpretes diſputent: num ſine ſanctorum Reliquiis irrita, atque inanis prorſus ſit conſecratio altaris firmi, vel portatilis.

V. Durandum In Ration. lib. 1. cap. 7. n. 23.

Loco ſacrarum Reliquiarum ipſum Euchariſticum Panem conditum aliquando in aris ipſis fuiſſe, memoriæ proditum eſt; veluti etiam ſupra pectus humandorum Chriſtifidelium cadaverum aptari conſuevit; qui mos poſtea merito antiquatus.

Propterea igitur ſanctus Gregorius Epiſcopo Surrentino mandat, ut lipſana ſanctorum, quæ *Sanctuaria* nuncupat, Gregorio Expræfecto concedat, qui extruendæ, conſecrandæque ſacræ Baſilicæ piiſſimo ſtudio flagrabat.

VII. Tempore igitur ſancti Gregorj, ut in viam redeamus, exploratum erat, martyrum corpora Surrentinam civitatem ſuo ſinu confovere. Qui autem hi fuerint, quum ad poſterorum memoriam alia nomina non pervenerint, niſi illa *Quincti*, *Quin-*

Quinctillæ, *Quartillæ*, *Marci cum aliis novem*, non erit abs re conjicere, hos omnino fuiſſe, qui id temporis martyrum loco habebantur. Ad hæc accedit antiquiſſima Surrentinorum traditio martyres Surrenti hos fuiſſe teſtantium; atque vetus Eccleſiæ Surrentinæ Kalendarium idem omnino innuens; ac demum conſuetudo recitandi divini Officj ad eorum martyrum memoriam recolendam ſub communi martyrum ritu. Cujus officj inſtitutio adeo antiqua eſt, ut quando peculiariter facta fuerit, temporum longinquitas occuluerit; quapropter uſque a primis Eccleſiæ ſeculis in veneratione habiti fuiſſe creduntur. Præterea oſtendunt Surrentini locum extra mœnia, ubi ſacra corpora quieſcunt; ibique pervetus templum D. O. M. & in eorum honorem, eorumque nomini antiquitus excitatum Carmelitæ ſeculo 16. perbelle inſtaurarunt; ut etiam refert Ughellus; quod templum fortaſſe jam inde a ſancti Gregorj temporibus extruxit Gregorius ille Expræfectus, de quo ſermo eſt in allata paulo ante ipſius ſancti Pontificis epiſtola. Quapropter dubitandum omnino non eſt, quin hi & martyres fuerint, & in Surrentina civitate paſſi, ut in Romano Martyrologio habetur. (Ughell. Tom. 6. In Præfat. ad Archiep. Surr.)

Quod autem, ut Henſchenius innuebat, *Sorenti* ſancti martyris nomen potius, quam civitas Surrentina videatur, id eruditis non probandum; hodie enim etiam Surrentinæ civitatis nomen exteri varie pronuntiant, varieque emolliunt, & nimis multi *Soriento*, *&* *Sorento* noſtra etiam memoria proferunt.

Unde veroſimile eſt, ipſos etiam antiquos exteros *Surenti*, aut *Sorenti* juxta eorum pronuntiationem ſcripſiſſe; idque certum efficiunt PP. ſancti Mauri, qui in notis ad epiſtolam ſancti Gregorj Anthemio datam ad verba illa: *Amandum presbyterum a Surrentinis ad Epiſcopatum electum eſſe cognoſcas*; ſubdunt: *vel Sorentinis, ut in Regio, & in pleriſque ms. legitur*. Iidemque in alia epiſtola, ubi de Amando dicitur: *Qui ad Epiſcopatum Surrentinæ civitatis &c. Sorentinæ* in aliis ms. reperiri teſtantur. Unde Franciſcus Maria Florentinius nobilis Lucenſis, qui vetuſtius, ut credit, Eccleſiæ Occidentalis Martyrologium produxit, de noſtris martyribus diſſerens advertit *Sorenti* de *Surrento* intelligendum, ut Beda, Uſuardus, Ado, Notkerus, & Petrus de Natalibus. Videant igitur eruditi, ſi ſcrupulus, qui Henſchenium, alioſque vexavit, is eſt, ut ſanctos hoſce martyres poſſit Surrentinæ civitati ſubducere?

PP.S. Maur. In Not. ad epiſt. 18. S. Greg. lib. 10. Ind. 3. lit. b & in Not. ad epiſt. 19. ejuſdem libri.

Florentin. In Not. ad xiv. Kal. Aprilis.

Petr. de Natal. lib. 12. n. 91.

VIII. Ad confirmandam vero Martyrologj Romani auctoritatem accedit, quod antiquiora etiam Martyrologia hoſce martyres Surrento tribuerint. In veteri enim Romano Martyrologio ab Heriberto Roſweydo ex ms. codice ſancti Pantaleonis, quæ celebris eſt Abbatia ſancti Benedicti Coloniæ, eruto (quidquid de eo Florentinius, & Dacheryus) xiv. Kal. Aprilis legimus: *Apud Surrentum Quinti, Quintilli, Quartillæ, Martiæ cum aliis viii.* ideſt octo. Licet Amanuenſium fortaſſe incuria ſcriptum ſit cum aliis octo, non novem, ut in aliis reperitur. In Martyrologio Uſuardi item: *Eodem*

Florentin. In Vetuſt. Eccl. Occid. Martyrol. In Admonit. prævia 4. Dacher. Tom. 2 Spicil.

Eodem die apud Surrentum ſanctorum Quinti, Quintilli, Quartillæ, Marci cum aliis novem. In illo Adonis Archiepiſcopi Viennenſis (de hoc quædam obiter infra attingemus): *Eodem die apud Surrentum ſanctorum Quinti, Quintilli, Quartillæ, Marci cum aliis novem*. In Martyrologio ſecundum Curiam Romanam a Bartholomæo de Palazolo Eremita Auguſtiniano emendato, atque impreſſo Papiæ anno 1487. cura, & impenſis Johannis Antonj de Birretis, & Franciſci de Ghirardenghis ſociorum XIV. Kal. Aprilis in fine hæc reperiuntur: *Eodem die apud Surrentum ſanctorum Quirici, Quintilli, Quartillæ, Marci cum aliis novem*. Centulenſe ms. habet, ut Sollerius tradit: *Eodem die apud Surrentum ſanctorum Quinti, Quintilli, Quartillæ, Marci cum aliis novem*. In alio Martyrologio ſecundum morem Romanæ Curiæ a Magiſtro Bellino de Padua (ut inſcribitur ibi) Frat. Erem. ſancti Auguſtini correcto, typiſque edito Venetiis anno 1522. per Johannem Antonium, & fratres de Sabio die 19. Martj legere eſt: *Eodem die apud Surrentum ſanctorum Quinti, Quintilli, Quartillæ, Marci cum aliis novem.* Franciſcus Maurolycus Abbas Meſſanenſis vir Mathematicarum rerum peritiſſimus in Martyrologio anno 1576. literariis formis evulgato XIV. Kal. Aprilis ſcripſit: *Apud Surrentum ſanctorum Quinti, Quintilli, Quartillæ, & Marci cum aliis novem*. Marcus Conſtantius Felix medicus in Kalendario ſuo, ſive Ephemeride hiſtorica Italico idiomate adornata, editaque anno 1577. hæc adnotavit: *Quin-*

Apud Jo: Molan. XIV. kal. April. in fin.

Adon. Martyrol. apud Roſvveyd. XIV. Kal. April. in fin. quem etiam lege in Biblioth. PP. tom. 16. pag. 830. col. 2.

Hoc Martyrol. extat Romæ in Biblioth. Angelic. S. Auguſtin. in pergamena.

Jo: Soller. Tom. 6. Junj, ſive 1. par. Martyrol. Uſuardi in Auctariis ad 14. Kal. Aprilis.

Digitized by Google

M. Conſt. Fel. xiv. Kal. April.

Gal. xiv. Kal. April.

Quinto, *Quintilio*, *Quartilla*, *&* *Marco con altri nove a Sorrento.* Petrus Galeſinius in ſuo Martyrologio habet: *Surrenti in Italia ſanctorum martyrum Quinti*, *Quintilli*, *Quartillæ*, *Marci*, *Florentj*, *& ſociorum novem*: qui in annotationibus ad idem ſuum Martyrologium ſubdit: *Addidimus Florentj ex libris manu exaratis*. Et re vera in Martyrologio Auguſtano xiv. Kal. Aprilis legitur: *Theodoti*, *Baſſi*, *Baſſiliæ*, *Leoti Confeſſoris*, *Sorenti*, *Marci*, *Florenti*. Atque in Labbeano ita eodem die: *Theodori*, *Baſſi*, *Baſiliæ*, *Leonti Confeſſoris*, *Sorenti Marci*, *Florenti*; quæ lege apud Sollerium. Hæc antea adnotaverat etiam Henſchenius. Ex his forſitan *Florentium* hauſit Galeſinius. Verum Martyrologium Aquiſgranenſe *Lorentium* loco *Florentj* habet, teſte eodem Henſchenio. At quamplura Martyrologia *Vonetem*, vel *Vonoctem* cum *Florentio* conjungunt; ut advertit Florentinius, quo teſte, vetuſtiſſimum ms. Antuerpienſe ſic tenet: *Theodori Epiſcopi*, *Catuli*, *Leonti Epiſcopi*, *Sorenti Quinti*, *Quintilli*, *Quartilli*, *Segregori*, *Marci cum aliis novem*, *Florenti*, *Vonectæ*. Ubi præter *Florentium*, & *Vonectam*, *Segregorus* legitur ante *Marcum*. Et in antiquo codice Martyrologj ſancti Hieronymi interponi ſanctum Gregorium ante Marcum advertit Henſchenius. In Martyrologio Corbejenſi juxta eumdem Florentinium reperitur. *In Africa Lucelli*, *Baſſi*, *Fiſciani*, *Pomeni*, *Joſeri*, *Apolloni*, *Ammoni*, *Saturnini*, *Baſiliæ*, *&* *aliorum novem*, *Theodori Epiſcopi*,

Soller. Tom. 7. Junj ſeu par. 2. In Martyrol., quæ ibi affert.

Henſchen. Tom. 3. Martj die xix. pag. 28. n. 1.

Idem ibidem.

Florentin. In Not. ad Vetuſt. Eccl. Occid. Martyrol.

Henſch. Tom. 3. Martj die 19. pag. 27. n. 2.

ſcopi, Gagi, Gadulini, & depoſitio ſancti Leonti Epiſcopi, Sorenti Quinti, Quintili, Quartillæ, Marci cum aliis novem, Florenti, & Vonocte. In ſuo autem Martyrologio ipſe Florentinius affert: *Sorenti Quinti, Quintili, Quartillæ, Marci cum aliis novem, Florenti, & Vonete*. Fere idem in Martyrologio ſancti Hieronymi nomine inſignito apud Dacheryum, niſi quod non *Vonete*, ſed *Vonocte* legitur. Et quatuor antiqui codices Martyrologj ſancti Hieronymi, teſte Henſchennio, poſt *Marcum*, & alios novem tenent *Florentium, & Venectam*, ſeu *Vonoctam*. Qui igitur Surrentinis martyribus *Florentium* voluerit adnectere, ut Galeſinius fecit, opus eſt, ut *Venectam*, aut *Vonoctam* etiam addat, quæ cum *Florentio* conjuncta reperitur; & *Segregorum*, ſive *ſanctum Gregorium*, qui ante *Marcum*, ut diximus, in aliquibus ms. etiam interſeritur. At nos id non audemus; licet non videretur omnino improbandum. Ex his tamen deducitur de *ſanctis Quincto, Quinctilla, Quartilla, Marco cum aliis novem martyribus* nullo modo eſſe dubitandum.

Florétin.loc.cit. xiv. Kal. April.

Apud Dacher. Spicil. tom. 2.

Henſch. loc. cit. n. 3.

IX. Quod autem horum martyrum nomina varie deſcripta reperiantur, amanuenſium vitio dandum putamus; qui adeo ea immutant, depravantque, ut quid ſtatuendum ſit, ignoremus. In aliquibus enim ms. loco *Quintilli* legitur *Quintili, Quintilis*, & *Quinctilli*; & loco *Quartillæ* in ms. Vallicellano, & Trevirenſi *Quintillæ*, ut ſcriptum ſit in hiſce: *Quintus, Quintillus, Quintilla, Marcus*. Sicut etiam notat Henſchenius. Et Sollerius in varia lectione ad

Henſch. loc. cit. n. 2.

XIV.

Soller. Tom. 6. Junj, ſive par. 1. Martyrol. Uſuard.

xiv. Kal. Aprilis Martyrologj Uſuardi ſubnectit: *Praten. pro Quintilli legit Quintili forte ex aliquo apocrypho Hieronymiano, certe ſic in Adone non reperitur*. Et apud Roſweydum *Matiæ* loco *Marci* legitur, uti diximus. At non mirum, quum hæc nomina fœde etiam corrupta inveniantur apud Ughellum exſcriptorum inſcitia, ut credit Henſchenius. Ille enim in præfatione ad Archiepiſcopos Surrentinos ait: *Die xiv. Kal. Aprilis ſolennis fit commemoratio ſanctorum Quarti, Quartilli, Quintillæ, Marci, novemque iterum* (fortaſſe item) *ſociorum, qui martyrio in hac civitate coronati ſunt, quorum meminit Martyrologium Romanum*. At Martyrologio ipſe non adhæſit. En ut error nullo fundamento facillime inducitur, qui aliis poſtea ſcrupulum injicit. Atque ipſemet Henſchenius, dum nomina illa fœde deſcripta apud Ughellum notat, Ughello ipſi ea verba tribuit, quæ aliquanto aliter apud eum leguntur; ait enim Henſchenius: *Additque* (Ughellus ſcilicet) *die xiv. Kal. Aprilis ibi ſolennem fieri commemorationem ſanctorum Quarti, Quartilli, Quintillæ, Marci, novemque item ſociorum, qui beatiſſimi cives exiſtimantur martyrio in hac civitate coronati, quorum meminit Martyrologium Romanum, eorumque Eccleſia præterito ſeculo a Carmelitis reſtituta eſt*. Ubi licet afferat Henſchenius nomina martyrum ſicuti ſunt apud Ughellum, ut manifeſtum faciat hunc ipſum Martyrologium Romanum citaſſe quidem, ſed ab eodem diſceſſiſſe inconſulto, & oſcitanter nomina ipſorum

Henſch. loc. cit. n. 1.

Henſchen. loc. cit. n. 1.

rum martyrum aliquantulum invertendo: tamen eodem tempore ſcribit Ughellum tradere, quod ii martyres Surrentini cives exiſtimentur; quod apud Ughellum edit. Romanæ anni 1659., ex qua ea verba potuit tranſcribere Henſchenius, non ita legitur. Ibi enim ipſemet Ughellus, poſtquam ſanctos Patronos Surrentinæ civitatis, Renatum ſcilicet, Valerium, Athanaſium, Baculum, & Antoninum commemoravit, ſtatim ſubdit: *Quorum nomine, tutela, miraculis regio nitet, & beatiſſimi cives exiſtimantur*, hoc eſt: cives Surrentini exiſtimantur beatiſſimi nomine, tutela, & miraculis illorum ſuorum Patronorum. Nihil igitur Ughellus ibi ſtatuit de patria ſanctorum Surrentinorum martyrum, neque de loco, ubi nati ſint illi Surrentinæ urbis Tutelares. Id adjecimus, ut conſtet, quam facile res incuria vel amanuenſium, vel Typographorum implicentur quandoque. Sed verba Martyrologj Romani in medium proferamus, ut videat lector quam ab illis diverſa attulerit Ughellus. Sunt igitur hujuſmodi: *Surrenti ſanctorum Martyrum Quincti, Quinctillæ, Quartillæ, & Marci cum aliis novem*: quod ſecutus eſt Ferrarius, & quotquot de iis poſtea ſcripſerunt: atque ita tenere Bedam, Uſuardum, Adonem, Bellinum, Maurolycum teſtatur ipſius Martyrologj auctor Baronius, quocum ſentire videtur, qui Notkerum addit, Henſchenius. At id, pace eorum dicam, oſcitanter Baronius, & Henſchenius. Nos enim apud hos fere omnes Marty-

Ferrar. In Catal. SS. Ital. 19. Martj.

Baron. In Not. ad diem 19. Martj Martyrol. Roma. Henſchen. loc. ſæpe laudat. n. 2.

rologos loco *Quinctillæ*, ut eſt apud Baronium, *Quintillum* potius legimus, ut quiſque etiam facile videre poteſt; quum paulo ante eorum verba recitaverimus. Non inficiamur tamen ms. Dacheryanum habere: *Surrentum Quincti*, *Quinctillæ*, *Quartillæ*, omiſſo *Marco cum ſociis*; & plura alia ita prorſus tenere, ut advertit Sollerius his verbis: *Munerat*. (ſcil. codex) *aliam inflexionem ſequitur, dum Quintillæ feminæ nomen viro ſuppoſuit, quod plures alii faciunt*. Verum quantum nos evolvimus, multo numeroſiora ſunt Martyrologia, quæ *Quinctillum* tenent, eadem & antiquiora; quamobrem, ſi lectori non diſpliceret, potius legeremus: *Surrenti ſanctorum martyrum Quincti, Quinctilli, Quartillæ, Marci cum aliis novem*. At eos, qui Martyrologj Romani auctoritate duci voluerint, minime rejicimus.

CAPUT III.

Diſſeritur utrum Eccleſia Surrentina in ipſa fundatione Archiepiſcopalem Poteſtatem, an vero tractu temporis aſſecuta ſit.

I. Illico forſitan ſtatueret audacter quiſpiam, & inconſiderate, ſancti Gregorj Magni ævo nondum fuiſſe Archiepiſcopali decoratam poteſtate Eccleſiam Surrentinam, iis adductus epiſtolis, quas ſanctus Pontifex non ad Archiepiſcopum, ſed ad Epiſcopum Surrentinum dedit; & præterea quod Pallj uſum,

uſum, auctoritatemque non niſi poſt multa ſecula, ut & Archiepiſcopale nomen obtinuerit.

Verum craſſa ſane Minerva rem ageret; omni enim Eccleſiæ tempore ſive majores, ſive minores Epiſcopos, ipſoſque Patriarchas, immo & ipſos Romanos Pontifices Maximos communi Epiſcoporum nomine appellatos fuiſſe, cunctis, qui vel primis labiis Eccleſiaſticas antiquitates deguſtarunt, in propatulo eſt. Quinimmo modeſtiæ ergo Sacerdotes, & Presbyteri vel ipſi Epiſcopi nominabantur: Et Papæ nomen commune primum erat Epiſcoporum, ſed deinde in obſequium primæ Sedis ſoli Romano Pontifici relictum eſt.

V. Dionyſ. Petav. De Eccleſ. Hierarch.
Ludov. Thomaſ. De Veter. & Nov. Eccl. Diſcipl. circa beneficia p. 1. lib. 1 cap. 3.

Quod autem pertinet ad Pallium, illud non ipſis Eccleſiæ incunabulis Archiepiſcopi induerunt, ſed diu poſt, ut inferius dicemus.

II. Propterea, ut propoſitam quæſtionem ad inſtitutum noſtrum detegendi ſacras Surrentinorum Antiquitates maxime neceſſariam aliquanto attentius abſolvamus, tres prius quæſtiunculæ omnino inſtituendæ videntur. Et primum inquirendum quo jure diſtinctio inter majores, & minores Epiſcopos invecta ſit. Deinde quibus in locis juxta Apoſtolorum diſciplinam majores Epiſcopi collocati. Demum quæ Archiepiſcoporum poteſtas circa creationem minorum Epiſcoporum.

ARTICULUS I.

Inquiritur cujus Juris ſit diſcrimen inter tres gradus Epiſcopales.

S. Epiphan. in Panario hæreſi 75. n. 3.

Aërj error circa Epiſcoporum dignitatem.

De Eccleſ. Hierarch.

I. ANtiquus fuit error Aërj in pluribus Conciliis proſcriptus, de quo agit ſanctus Epiphanius, aſſerentis omnes presbyteros ex Chriſti inſtitutione eſſe æquales: humana autem conſuetudine factum, ut ex presbyteris unus eligeretur, quem Epiſcopum, inſpectorem ſcilicet appellarunt, ut ceteris præeſſet. Hanc hæreſim furioſam vocat ſanctus Epiphanius, & merito quidem, quippe quæ ab æterna Sapientia rectiſſime inſtitutam rempublicam evertere, ac demoliri conetur. Petrus Cellotius Jeſuita Aërium ſuam hæreſim a Simone Mago repetiiſſe auctor eſt, frivolis tamen conjecturis adductus.

Contra quæ tu V. præcipue Thomam Valdenſ. In Doctrinal. Fid. lib. 2. art. 3. cap. 6.

II. Eundem hunc errorem innovarunt Wiclefus Anglus, Calvinus, Lutherus, Kemnicius, apoſtata Spalatenſis Eccleſiæ Præſul Marcus Antonius de Dominis illico illuſtri cenſura ab Academia Pariſienſi notatus. Deinde pluribus tutari conatus eſt Claudius Salmaſius ſub ementito nomine Vallonis Meſſalini, quem ita ſtrenue profligavit Dionyſius Petavius, ut nemo melius.

Salmasj errores aliquot.

III. At idem Salmaſius, qui nihil diſcriminis jure divino agnoſcit inter Epiſcopos, & Presbyteros, multum ſtatuit inter Apoſtolos, & Epiſcopos:

pos: contenditque, non omnes Apoſtolos Epiſcopos fuiſſe; Apoſtolus enim, ut nebulo iſte Grammaticus ſentit, qui voces, ſyllabaſque perſcrutatur, latine miſſus vertitur; veluti Hæbraice ii, qui ad Patriarchas, ſeu Principes viros illos, qui diſperſis Judæis præerant, mittebantur, ut adeſſent, variaque negotia expedirent, שלוחים vel שליחים etiam dicti. Itaque munus Apoſtolicum vult Salmaſius fuiſſe curſitandi, & prædicandi variis regionibus, non vero conquieſcendi, & decernendi e Throno, ut faciunt Epiſcopi. At quas nugas heic referimus? Qui in ſolidam Theologiam ſtudium, & operam conferunt, Evangeliumque exponunt juxta ſanctorum Patrum intellectum, fatentur Chriſtum Dominum ſingulis Apoſtolis pleniſſimam contuliſſe poteſtatem omnium ordinum Eccleſiaſticorum, etiam Epiſcopalem, quum iiſdem Apoſtolicum munus demandavit dicens: *Euntes in mundum univerſum docete omnes gentes, baptizantes &c.* quibus verbis eximius ſane Theologus ſubdit: *Paucis verbis comprehendit Dominus univerſam functionem Apoſtolicam, quæ eadem nunc omnibus Epiſcopis, & Paſtoribus communis eſt.*

V. S. Epiph. hæreſ. 30.

Et Lib. 14. Tit. 41. De Judæis in cod. Theodoſ. Nec non Benedict. Juſtinian. In Epiſt. D. Paul. Diſſert. de Apoſtol. cap. 1.

Perav. De Eccl. Hierarch. lib. 1. cap. 6. n. 2.

Matth. 28. & Marc. 16. v. 15.

Eſtius in Matth. cap. 28.

IV. Verum quam ſingulis Apoſtolis, dum ad celſiſſimam illam expeditionem miſit, ſimul contulit omnem poteſtatem, gradatim a ſucceſſoribus obtinendam eſſe voluit, incipiendo a minoribus uſque ad Epiſcopatus apicem, in quo omnem Eccleſiaſticam poteſtatem contineri Patres plerumque docent cum ſancto Ambroſio, & hoc ipſo

V. Ludov. Thomaſ. De vet. & nova Eccl. diſcipl. circa Beneſ. p. 1. præcipue lib. 1. c. 7.

Apoſtolis non gradatim, ſed omnes ſimul Eccleſiaſtici Ordines collati a Servatore noſtro.

S. Ambroſ. ad cap. 4. epiſt. ad Epheſ.

ipſo prior ſanctus Ignatius Martyr luculentiſſime in genuinis epiſtolis, quas ab apocryphis, & interpolatis diſcrevit diligentiſſimus, doctuſque vir Cotelerius.

Jo: Baptiſt. Coteler. De Patrum qui temporibus Apoſtol. floruerunt, oper. edit. atque ineditis.

V. Neque quempiam heic moretur, quod diximus ſingulis Apoſtolis poteſtatem pleniſſimam a Chriſto Domino datam fuiſſe, quaſi vero Petrus nihil ſupra ceteros obtinuerit, qui omnium princeps fuerat. Doctus enim Dominicanæ familiæ Theologus Pater Victoria reponet, ceteros Apoſtolos a Chriſto ita ſuam poteſtatem ſuſcepiſſe, ut tamen Petro tamquam proprio capiti, & principi parendum eſſet. Præterea ampliſſimam Petri poteſtatem, ac jurisdictionem non cum eo extinguendam, ſed ad ſucceſſores integram tranſmittendam fore: illam autem ceterorum Apoſtolorum univerſalem jurisdictionem ad ſucceſſores ſuos non tranſituram. Sed de his alibi ſatis diximus.

S. Petrus poteſtatem ordinariam a Servatore noſtro obtinuit ſucceſſoribus tranſmittendam, ceteri demandatam.

Vict. In Relectionib. de Poteſt. Eccl. 2. quæſt. Princip. n. 28.

VI. Conſentiunt profecto cordati noſtri Theologi Apoſtolos Epiſcopos fuiſſe, proindeque jure divino ceteris presbyteris eſſe ſuperiores, ut definitum eſt in Concilio Tridentino. Quapropter Aërj vomicas, & carcinomata olet idem docens ex Galliæ juriſconſultis Franciſcus Duarenus auctoritatem allegans, & verba ſancti Hieronymi, idque ebiberunt quidam recentiores. Unde parum, aut potius nihil omnino hac ſuper re audiendus Duarenus cum nonnullis Theodoreto ſcilicet, Chryſoſtomo, Primaſio, Sedulio, Theophilacto, aliiſque antiquis Patribus, qui materiales hæretici, erran-

Trid. Seſſ. 23. de Sacramen. Ordin. can. 6.

Refellitur Duar.

Duaren. de Sacr. Eccl. Miniſt. ac Benef. lib. 1. cap. 1.

errantes nimirum ſine contumacia, aut obſtinatione audacter a Michaële Medina audiunt; quod res id temporis nondum plane ab Oecumenicis Conciliis explanata, ac definita fuerat. Sed lenius, ac modeſtius illos doctiſſimus Petavius interpretatione emollit, præcipue Hieronymum in expoſitione epiſtolæ ad Titum ajentem: *Audiant Epiſcopi, qui habent conſtituendi presbyteros per urbes ſingulas poteſtatem &c.* quam poteſtatem non ab hominibus, ſed jure divino illis traditam aliis in locis luculentiſſime docet. Quei igitur æquales divino jure dicemus Conſtituentes & Conſtitutos, Patres & filios, Imperatores & Milites?

Ad Tit. cap. 1.

V. etiam pro S. Hieronym. & aliis Patrib. Cornel. a Lapid. epiſt. ad Tit. cap. 1. v. 5.

VII. Quapropter mirari ſubit, adeo obſtinate a doctiſſimis alioqui Theologis inter Epiſcopum & Presbyterum nullam ſacri Ordinis diverſitatem adſtrui; quum evidens ſit, differentiam ordinum ab inferiori, & ſuperiori poteſtate diſcerni. Utcumque tamen hæc quæſtio ſe habeat, illud firmiſſime nunc tenendum, poſtquam huic liti Colophonem impoſuit Tridentinum, jure ſcilicet divino ſtatutos eſſe Epiſcopos presbyteris ſuperiores, & magnum inter utroſque ineſſe diſcrimen, quod licet alii in ordine, alii vero non in ordine, ſed in poteſtate contendant conſiſtere: tamen nos in utroque nimirum tam in ordine, quam in poteſtate poſitum tenemus.

VIII. At non ita ſatis exploratum, num jure divino gradus Epiſcoporum diſcriminentur, quorum tria enumerantur genera, Patriarcharum ſcili-

V. Socrat. in Hiſt. lib. 5. cap. 8.

ſcilicet, Archiepiſcoporum, & ſimplicium, ſive ſuffraganeorum Epiſcoporum: qui quidem, ſi poteſtatem ordinis ſpectes, nihil inter ſe differunt. Ea enim una poteſtate (ut cum ſancto Ambroſio paulo ante dicebamus) nulla potior, aut excellentior recte excogitari poteſt, niſi per errorem Montaniſtarum, qui tres gradus ordinis inter ſe diſterminabant; primumque dabant de Papuza Phrygiæ Patriarchis; ſecundum illis, quos appellabant Cenones; qui duo primi gradus ſupra Epiſcopatum erant juxta illorum figmenta; tertium Epiſcopis. At vero licet poteſtate ordinis omnes Epiſcopi æquales ſint: circa exercitium tamen, juriſdictionem, auctoritatemque non omnes pares eſſe liquet ex univerſa hiſtoria Eccleſiaſtica, & ab ipſis Eccleſiæ incunabulis; quum a ſancto Petro tres Patriarchæ, ſive Epiſcopi fuerint inſtituti, Romanus, Alexandrinus, & Antiochenus; de quibus hæc habet ſanctus Gregorius Magnus ad Eulogium Patriarcham Antiochenum ſcribens: *Itaque quum multi ſint Apoſtoli, ipſo tamen principatu ſola Apoſtolorum Principis ſedes in auctoritate convaluit, quæ in tribus locis unius eſt. Ipſe enim ſublimavit ſedem, in qua* (Romam ſcilicet) *etiam quieſcere, & præſentem vitam finire dignatus eſt. Ipſe decoravit ſedem, in quam* (nimirum Alexandriam) *Evangeliſtam diſcipulum* (nempe Marcum) *miſit. Ipſe firmavit ſedem, in qua* (Antiochiam videlicet) *ſeptem annis quamvis diſceſſurus ſedit. Quum ergo unius, atque una ſit ſedes, cui ex auctoritate di-*

Montaniſtarum error circa gradus Epiſcopales.

S. Hieron. epiſt. 54. ad Marcellam adverſus Montanũ: *Apud nos Apoſtolorũ locum Epiſcopi tenent: apud eos Epiſcopus tertius eſt. Habent enim primos de Papuza Phrygiæ Patriarchas, ſecundos, quos appellant Cenones; atque in tertium, ideſt pene ultimũ locũ Epiſcopi evolvuntur.*

S. Greg. lib. 6. Indict. 15. epiſtol. 37. veter. ordinat.

Ex S. Gregorio divina auctoritate fuerunt primi Patriarchatus erecti.

te divina (nota verba *ex auctoritate divina*) *tres nunc Epiſcopi præſident, quidquid ego de vobis boni audio, hoc mihi imputo. Sed quidquid de me boni creditis, hoc veſtris meritis imputate.* Putavit igitur Maximus hic Pontifex, & Eccleſiæ doctor auctoritate divina Patriarchas ſummos eſſe Epiſcopos.

IX. Hos nedum a Chriſto fuiſſe Petro commendatos putat egregius vir Franciſcus Hallier; ſed inſuper prænuntiatos mille ferme ante annos, quam humanam naturam Chriſtus ipſe indueret, celeberrimo illo vaticinio, quo juxta omnes ſacros Expoſitores Apoſtolica miſſio indicatur: *Et ponam in eis ſignum, & mittam ex eis, qui ſalvati fuerint, ad gentes in mare, in Africam, & Lydiam tendentes ſagittam, in Italiam, & Græciam, ad inſulas longe, ad eos, qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam. Et annuntiabunt gloriam meam gentibus.* Heic primos tres Patriarchatus manifeſte prædici vult perſpicax Hallier: primum ſcilicet Alexandrinum, quem per ſanctum Marcum Princeps Apoſtolorum primo inſtituit, nomine Africæ deſignatum, quum totius Africæ Orientalis Ægypti, & Lybicæ Pentapolis Alexandria caput extiterit. Per Lydiam vero Hæbraice לוד Lud, non illam Aſiæ minoris celeberrimam regionem intelligendam eſſe animadvertit, ut paſſim explicant præcipue Cornelius a Lapide, Malvenda, ceterique ſacri Interpretes, ſed Coeleſyriam, quæ ab urbe Lud Lydia nominabatur.

Hallier de Eccl. Hierarch. lib. 3. cap. 3.

Patriarchæ a Prophetis prænuntiati.

Iſajæ cap. 66. v. 19.

In laudat. loc. Iſajæ, & in Gen. cap. 10. v. 23.

Digitized by Google

Lydia quippe in Aſia minori ſita Iſajæ temporibus non quidem Lydia, ſed Mæonia appellabatur. Quare per Lud tam apud Iſajam, quam in Geneſi, & Judith intelligenda ſane eſt Melothi, in qua fuit Sem, qui *Lud* etiam dicebatur, & a ſe dictam civitatem *Lud* condidit, quæ deinde Antiochia ab Antiocho dicta fuit. Hanc nos tam acris ingenj conjecturam pluribus alibi comprobavimus; ibi enim tendentes ſagittas fuiſſe demonſtravimus. Per Italiam vero, & Græciam ultimus tempore inſtitutus a ſancto Petro Patriarchatus Romanus, ſed primus auctoritate, & poteſtate univerſali accipiendus. Superiores igitur Epiſcopi ab Apoſtolorum Principe inſtituti ſunt, & dignitate ceteris prælati, quod etiam innuitur a Concilio Nicæno, & fuſiſſime a ſancto Leone.

Judith. cap. 2.

In Diatriba de Partiarchat. Antioch.

Concil. Nic. 1. cap. 2. S. Leo epiſt. 64. & 89. &c.

Verumtamen Patriarcharum nomen non adeo antiquum eſt, ut recte poſt Petrum de Marca Ludovicus Thomaſſinus oſtendit; quam rem de Patriarchatu noſtro Antiocheno diſſerentes fuſius expendimus.

V. Thomaſſ. loc. cit. p. 1. cap. 3. & cap. 7. n. 5.

X. Archiepiſcopos etiam, ſive Metropolitas, etſi nomen recentius, Apoſtolorum temporibus creatos fuiſſe putant doctiſſimi quique Eccleſiaſticarum antiquitatum indagatores. Et ſane liquet e ſancti Pauli epiſtola ad Titum, qui Corintho oriundus, ut in Chryſoſtomo legimus, a ſancto Paulo baptizatus, atque ordinatus, & in magna illa Cretæ inſula relictus fuit Epiſcopus, eidemque facultas tradita, ut alios Epiſcopos in ampliſſi-

V. præcipue Franciſc. Hallier de Eccl. Hierarch. lib. 4. cap. 3. art. 6. §. 20.

Epiſt. ad Tit. cap. 1. v. 5.

Chryſoſt. in Epiſt. ad Tit.

pliſſima illa inſula, in qua centum præclara oppida extitiſſe ex profanis Scriptoribus conſtat, ubi opus poſtularet, conſtitueret. Hujus rei gratia ipſi ita ſcribit Apoſtolus: *Reliqui te Cretæ, ut ea, quæ deſunt, corrigas, & conſtituas pro civitatibus presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi*. Nomine preſbyterorum Epiſcopos etiam nuncupatos fuiſſe jam ſupra monuimus, notantque omnes ferme expoſitores, præcipue Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus, aliique. Quapropter poteſtas Archiepiſcopalis Tito a Paulo tradita eſt, conſtituendi ſcilicet alios Suffraganeos Epiſcopos.

XI. Hanc vero poteſtatem non omnibus Epiſcopis indiſcriminatim traditam fuiſſe, ut Hincmarus Remenſis putabat, patet ex pluribus, præcipue ex Can. 23., vel 35. eorum, qui Apoſtolis tribuuntur, de quorum ſaltem antiquitate conſtat; quippe qui jam noti erant ſecundo Eccleſiæ ſeculo. In ipſo enim legitur: *Debere Epiſcopos cujuſcumque nationis agnoſcere eum, qui in ipſis primus eſt, habereque eum, ut caput, & præter ſententiam illius nihil exuperans facere, ſed illa tantummodo, quæ ſuæ Parœciæ, & locis ſibi ſubjectis competunt, nec etiam ſine voluntate, & ſententia omnium quidquam facere oportere*. Idipſum in Concilio Antiocheno anni 340. vel 341. Can. 9. Extat tertia epiſtola ex relatis Julj Papæ, ex qua plures Canones apud Collectores, præcipue apud Gratianum, & Antonium Auguſtinum invenies. Sed quoniam ea epiſtola dubia eſt, ut notat etiam Se-

23. juxta Gratian. juxta Dionys. Exig. 35.
V. Coteler. De PP., qui Apoſtolorum temporib. floruerunt, operibus editis, atque ineditis. Ex adverſariis doctum ſane Michaël Beveregium.

Parœcia heic pro Diœceſi, ut alibi paſſim V. Fileſacium.

Apud Grat. Can. *Singulas* 6. q. 3.
Anton. Aug. In epit. Can. p. 1. lib. 3. tit. 1. cap. 6.
V. etiam Du-Pinum in Biblioth. tom. 2. in Julio.

Digitized by Google

verinus Binius, ſicuti aliæ ejuſdem Pontificis, præter duas illas, quæ inter opera ſancti Athanasj habentur, ab ea teſtimonium accerſere libenter omittimus.

XII. At de diſtinctione inter Epiſcopos ab Apoſtolis facta diſertiſſime ſanctus Leo ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem diſſerere videtur; de ea enim verba faciens, ac multis commendans ſubdit: *Et hæc quidem connexio totius corporis unitatem requirit, ſed præcipue exigit concordiam ſacerdotum; quibus etſi dignitas non ſit communis, eſt tamen ordo generalis; quoniam & inter beatiſſimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis, & quum omnium par eſſet electio, uni tamen datum eſt, ut ceteris præemineret. De forma Epiſcoporum quoque eſt orta diſtinctio, & magna diſpoſitione proviſum eſt, ne omnes ſibi omnia vindicarent: ſed eſſent in ſingulis provinciis ſinguli, quorum inter fratres haberetur prima ſententia; & rurſus quidem in majoribus urbibus conſtituti ſollicitudinem ſuſciperent ampliorem, per quos ad unam Petri ſedem univerſalis Eccleſiæ cura conflueret.*

S. Leo epiſt. 84. cap. ult.

Inſignis S. Leonis auctoritas.

Quibus ſane verbis inſinuare videtur Epiſcoporum diſtinctionem ab Apoſtolis ipſis ſtatutam fuiſſe, qui ita a Chriſto edocti fuerunt: *Magna* ſiquidem *diſpoſitione* id *proviſum eſt*.

Unaquæque Hierarchia in tres choros ſubdividitur.

XIII. Tres porro Epiſcoporum gradus ad ſubdiviſionem primæ cœleſtis Hierarchiæ in tres choros referendos exiſtimamus. Siquidem quod definivit Tridentinum in Eccleſia eſſe *Hierarchiam divino*

divino jure inſtitutam conſtantem ex Epiſcopis, Preſbyteris, & Miniſtris, jam Patres ante docuerant, præcipue ſanctus Gregorius ita: *Quia unaquæque creatura in una eademque qualitate vivere non poteſt, cæleſtium militiarum exemplar nos inſtruit.* Ante Gregorium Philo etiam Carpathius, qui floruit circa finem quarti, & principium quinti ſeculi, novem Angelorum choris novem Eccleſiaſticos ordines reſpondere opinatus eſt, niſi ſuppoſititia, vel ſaltem interpolata, ut aliqui cenſent, ejus ſint opera. Idem docuerunt Antiochus, & Theophylactus, qui omnes eam doctrinam mutuati ſunt ab eximio illo pridem Platonis, poſtea ſancti Pauli veræ Philoſophiæ ſectatore Dionyſio Areopagita; cujus opera genuina prorſus eſſe poſt ſanctum Maximum martyrem, ſanctum Thomam, Jeſuitam Corderium, alioſque eruditiſſime demonſtravit Natalis Alexander, & Emanuel a Schelſtrate: quidquid pleno agmine reponant Scriptores critici, præcipue heterodoxi Dallæus ſcilicet, Caſaubonus, Pearſonius, Cave, aliique.

S. Gregor. epiſt. 52. univerſis Galliarum Epiſcopis lib. 4. indid. 15. antiq. Ordin.

Phil. Carpath. in Cantic. cujus opera extant. in 5. tom. Biblioth. PP.

Antioch. Homil. 122. Theophil. in Luc. cap. 19.

Cave de Script. Eccl. in Dionyſ. Areopagit.

XIV. Verum quum omnes conveniant Eccleſiæ militantis Hierarchiam inſtar Triumphantis coagmentatam eſſe, nobiſcum in ſubdiſtinguendis Hierarchiæ Eccleſiaſticæ gradibus pariter conveniant neceſſe eſt; neque ita proprie Hierarchiam juxta ordinem, & Eccleſiaſticas poteſtates conſiderant, ut fecit ſacrum Concilium Tridentinum; ſed reſpectu chariſmatum, muniorum, ac functionum diverſimode explicant, ut abunde Cellotius.

Non deſunt Theologi dividẽtes Eccleſiaſticam Hierarchiam præter mentem Concilij Tridentini, ut Cellotius.

XV.

Cellot. Ieſuita de Eccleſ. Hierarch. lib. 1.
Guilielm. Pariſ. In Tract. De Univerſo 2. part. p. 1. cap. 167.

XV. Inter ſcholaſticos Theologos Guilielmus Pariſienſis de Eccleſiaſticorum muneribus ediſſerens tres Hierarchias conflat. Primam Cardinalium, qui Summo Pontifici Chriſtum referenti proxime adſtant. Hanc in tres partes ſcindit Cardinalium ſcilicet Epiſcoporum, Cardinalium Presbyterorum, & Cardinalium Diaconorum. Secundam Hierarchiam ſtatuit Epiſcoporum, quos iterum ſecernit in Patriarchas vel Primates, in Archiepiſcopos, & in ſimplices Epiſcopos. Tertiam denique facit ex Archidiaconis, Archipresbyteris, & Parochis.

Gerſon De Poteſtat. Eccleſ. conſid. 9. & 12. & Tract. de Statibus.

XVI. Diverſimode tamen celeberrimus Gerſon totam Eccleſiaſticam Hierarchiam ratione juriſdictionis incomta, & incommoda diviſione partitur, quam non vacat heic neque expendere, neque referre.

Concinna traditur Hierarchiæ ſubdiviſio in novem choros.

XVII. Nos vero ſacri Concilj Tridentini veſtigiis inſiſtentes Eccleſiaſticam Hierarchiam quo ad ordines ſpectamus, & primam Hierarchiam in Patriarchas vel Primates, Archiepiſcopos ſeu Metropolitas, & in Epiſcopos ſecernimus. Secundam in Vicarios ſive Chorepiſcopos, Parochos (quorum poteſtas antiquitus quam ampla fuerit, diſerte Fileſacius) & in ſimplices Preſbyteros. Tertiam demum, quæ eſt Miniſtrorum, in Diaconos, Hypodiaconos, & Acolythos, aut ſimplices alios Clericos. Atque ita novem Angelorum choros ab Eccleſiæ ordinibus apte, appoſiteque referri putamus.

Quum

Quum autem a nobis ſtatutum ſit ab Apoſtolis Hierarchiæ diſcrimen invectum, non omiſerimus advertere doctos viros proinde inferre juri divino finitimam eſſe. Ecce Thomaſſini verba: *Hæc inſtitutio, quæ Eccleſiæ ipſi pene coæva eſt, juri divino finitima eſt, ab eoque emanavit proxima, & immediata, quippe quum ab Apoſtolis profecta ſit, velut æmulatrix quædam Apoſtolici Collegj, & ejus auctoritatis eximiæ, qua Chriſtus Petrum ſupra Apoſtolos ipſos evexerat &c.*

Thomaſ. de Vet. & Nov. Eccl. Diſcipl. circa Benef. p. 1. lib. 1. cap. 7. n. 5.

XVIII. Porro id deſtrui videtur auctoritate Innocentj III. decernentis: *Quum ſit in Canonibus definitum Primates, vel Patriarchas nihil juris præ ceteris habere, niſi quantum ſacri Canones concedunt, vel priſca illius conſuetudo contulit ab antiquo.*

Diluuntur contrarię objectiones. C. Duo ſimul de Off. Ordinar.

Hoc telum facile contundet quicumque animadverterit plura fuiſſe jure naturali, vel divino ſtatuta in genere, quæ deinde ab Eccleſia peculiariter fuerunt, ut tempus poſtulavit, ordinata: ut ſanctificatio feſtorum, in quibus Sacrificio Miſſæ adſtare Chriſtifideles juſſum eſt. Ordinatio, & collatio ceterorum Sacramentorum ſunt juris divini, tempora vero quatuor anni, in quibus conferendi ſunt ordines, & ritus quamplures ab Eccleſia additi. Preces Deo jure divino præſtandæ, ſed horæ Canonicæ ab Eccleſia diſpoſitæ &c. Ita ſane Patriarcharum, vel Archiepiſcoporum confinia, appellationes, tempora convocandi ad Concilium jure Canonico diſpoſita, ac decreta ſunt.

XIX.

XIX. Hinc audaciſſimam, & a recta ratione abſonam putamus Du-Pini ſententiam, qua ſtatuit nullum prorſus inter Epiſcopos neque a Servatore noſtro, neque ab Apoſtolis ſtatutum fuiſſe diſcrimen; ſed omnes pari auctoritate, ac dignitate ornatos; tractu vero temporis ab Eccleſia humana lege differentiam inter eos inductam, quam omnem ipſam Eccleſiam mutuatam vult ab Imperj Romani ſtatu, ac diſpoſitione, in quo provinciæ a Rectoribus peculiarium civitatum, Præſidibus, & Præfectis Prætorio ordinata poteſtate regebantur. Ad ſimilitudinem igitur primorum ſimplices Epiſcopos, poſteriorum Metropolitas, poſtremorum Patriarchas conſtitutos arbitratur; præter enim ſuperius dicta quærimus ab erudito viro, quum ab Auguſto duo Præfecti Prætorio, quatuor ſubinde a Conſtantino præpoſiti fuerint, cur principio tres tantum Patriarchæ, quinque deinde in Eccleſiaſtica republica diſpoſiti, pluresque alii recentioribus temporibus additi? Eſt ne hoc ordinationem Romani Imperj, diſpoſitionemque imitari?

Argumentum vero, quod adhibet ex Can. 6. Nicænæ Synodi præſcribentis, ut circa prærogativas, ac privilegia Patriarcharum *antiqua conſuetudo ſervetur*: quo quidem argumento probare conatur, non Apoſtolorum diſpoſitione, ſed ſenſim conſuetudine exortam, & conſervatam eam diviſionem, in ipſum rectiſſime intorquetur; Concilium enim ideo antiquam conſuetudinem non

non immutandam eſſe juſſit, quod ab ipſa ſancti Petri inſtitutione deſcendere ducebat.

Ipſum etiam Du-Pinum jugulat aliud argumentum a Tertulliano petitum, plures ſcilicet Eccleſias ab Apoſtolis fundatas fuiſſe: quæ tamen Patriarchales non ſunt; ex quo potius recte concludas, illas tantum tales remanſiſſe, quas ſanctus Petrus ejuſmodi dignitate, honore, poteſtateque decoravit.

XX. Ex his modo veluti eminus proſpicere datur metam, quo tandem noſtra hæc diſſertatio tendit. Quum enim dixerimus, Epiſcopum ampliſſimo Surrentino Promontorio a ſancto Petro datum fuiſſe, ubi plures Græci degebant, ut in ſecunda parte, conſequens eſt, ut poteſtatem quoque impertitus ſit alios creandi Epiſcopos, ac proinde ab initio fuiſſe Archiepiſcopum deſignatum, quod lucidius ex ſequentibus patebit:

ARTICULUS II.

Quibus in locis ab Apoſtolis Archiepiſcopi collocati fuerint.

I. SI res ex deductis a Gratiano teſtimoniis dirimenda eſſet, ſtatim nobis occurrerent ab eo prolatæ auctoritates ſancti Lucj I., ſancti Clementis, & ſancti Anacleti docentium Apoſtolorum Principem præcepiſſe, ut ibi Patriarchæ, & Primates ponerentur, ubi primi Flamines Ethni- Can. 1. 2. & 3. Diſt. 80.

 corum

Digitized by Google

corum extabant; ubi Archiflamines impiis Numinibus thura dabant, Archiepiſcopi; ubi demum Flamines circumſcripti erant, Epiſcopi collocarentur.

Porro in ſecunda hujus operis parte Surrentum propter Templum Sirenum *Neocoram* civitatem fuiſſe, & majores habuiſſe ſacerdotes dilucide probabimus; quamobrem ſecundi gradus Epiſcopum, ſeu Archiepiſcopum, & totius ferme Campaniæ provinciæ ſacrum Rectorem jam inde ab initio obtinuiſſe concludendum eſſe videretur.

II. Verum illico naſutorum criticorum in nos laceſſiremus muſſitationes, vel apertas irriſiones, qui Gratiani collectionem parvipendentes illud in medium proferrent, quod de eo ſcriptum reliquit doctiſſimus Tarraconenſis Antiſtes, ſcilicet: *Neque Concilia vidiſſe, neque regiſtra Pontificum, neque alia ſanctorum Patrum ſcripta. Sed ea, quæ in variis collectionibus reperta ab eo ſunt, in medium protuliſſe.* Adderent epiſtolam, quam nomine ſancti Lucj prodit Gratianus, ſancti Stephani I. potius eſſe. Quas vero ex ſancto Clemente, & ſancto Anacleto, apocryphas eſſe, & ex collectione Iſidori Mercatoris, ſeu Peccatoris excerptas; quæ num commentitiæ, an incertæ ſint, celeberrima eſt inter Criticos controverſia.

Ant. Auguſt. de Emédat. Gratian. lib. 1. Dial. 4.

Verba à Gratiano tributa S. Lucio leguntur in epiſt. 2. quæ tribuitur S. Stephano illius Succeſſori cap. 6.

III. Eam collectionem primo Riculfus Moguntinus Archiepiſcopus ex Hiſpaniis acceptam evulgavit, & ubique locorum magno cum plauſu accepta fuit: præcipue in Galliis, ubi quæ coactæ fue-

Iſidori Mercatoris collectio quanti facienda ſit.

fuerunt Synodi, ex illis epiſtolis Summorum Pontificum, quæ in ea collectione continentur, plura ad mores, & diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectantia hauſerunt, & in ſuis Canonibus, & decretis inſeruerunt. Verum non multo poſt de eadem collectione apud Galliæ Antiſtites dubitari cœpit: ad quos epiſtolam dedit ſanctus Nicolaus I. anno 865. qua Iſidori memoratam collectionem propugnare ſtrenuiſſime ſtuduit. Et quoniam Epiſcopi illi urgebant, eas Decretales ſuſpectas reddi, quod non reperirentur in antiquo Canone Eccleſiæ, neque apud Dionyſium Exiguum, penes quem epiſtolæ Decretales incipiunt a Siricio Papa, ut ipſemet ſanctus Nicolaus fatebatur, qui ad hæc ita reponebat: Neque ſacra Scriptura inſerta eſt in collectione Dionysj Exigui; quis autem adeo excors, ut proinde deducat, eam nullibi extare? Sic licet epiſtolæ Decretales Pontificum ante Siricium non reperiantur in antiqua collectione Canonum, & in opere Exigui, non ideo fas eſt deducere, nuſquam reperiri.

IV. Nihilominus Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus primus, quod ſciam, qui ſtudia ſua in ſcrutandis iis epiſtolis locaverit, ut ſpurias omnino habendas eſſe concluſit. Et quoniam ſanctus Nicolaus I. allegaverat verba ſancti Gelasj dicentis: *Item epiſtolæ, quas Beatiſſimi Papæ diverſis temporibus ab urbe Romana pro diverſorum Patrum conſultatione* (male heic Hincmarus legit *conſolatione*) *dederunt, venerabiliter ſuſcipiendæ ſunt.*

Can. Sancta Romana diſt. 15. §. *Item Epiſtolæ*. Perperam hunc Canonem S. Gelasj in dubium revocat hæreticus Cave cum aliis.

Hincmar. epiſt. 7. c.22. In Opere 50. Capitulorum cap.24. & 28.

Sententia Hincmari Remenſis de Collectione Iſidori Mercatoris.

Hincmarus verba Gelaſj interpretatur de epiſtolis, quæ habentur in collectione Dionyſj Exigui, vel alibi incipientes a Siricio uſque ad ipſum Gelaſium, de aliis inquit: *Eſſe quidem venerandas, & in illis judicio, & delectu opus eſſe; quaſdam enim ex illis invicem pugnare, & etiam adverſari ſacris Canonibus poſtea reperies.* Modeſte quidem.

V. Verum poſtea præfractarum frontium, atque omnium impietatum ſentinæ Centuriatores Magdeburgenſes in Iſidorum illum tamquam in impoſtorem, verſutumque præſtigiatorem invecti ſunt. Adverſus quos Iſidorum propugnare, ac tueri conatus eſt Franciſcus Turrianus. Sed in Turrianum David Blondellus, cum quo nonnulli etiam ex noſtris veluti uno agmine facto irruerunt.

Franciſc. Turrian. adverſus Magd. pro Canonib. Apoſtol., & Epiſt. Decretal.

David. Blond. In Pſeudo-Iſid., & Turriano vapulãte.

Igitur ex adeo diſceptata Iſidori collectione, quam Gratianus avide arripuerat, quum nihil certi ſtatui poſſe eruditi viri animadverterint, alias inierunt vias.

VI. Petrus de Marca, qui præter morem abunde de hoc negotio ediſſerit, quum fateatur differentiam inter Metropolitas, & inferiores Epiſcopos Apoſtolico jure invectam, addit: *Apoſtolos orbem Eccleſiaſticum in provinciam diſtribuiſſe ad exemplum diſpoſitionis civilis, quæ per illas tempeſtates vigebat in imperio*; quam ſententiam luculenter ſe probaſſe exiſtimat auctoritate ſanctorum Petri, & Pauli, quorum primus, poſtquam in Judæa Evangelium prædicaſſet, exinde profectus curam

Petr. De Marc. In Concord. Sacerd. & Imper. lib. 1. cap. 3. & lib. 6. cap. 1., & 9.

ram ſuam convertit ad Judæos tum primæ diſperſionis, tum ſecundæ, quos Helleniſtas, aut Græcanicos ideo vocari mos erat, quod per Græcorum provincias fuerant diſperſi. Quare putat Marca Alexandriam, quæ Ægypti Metropolis erat, & in qua habitabant Judæi ſecundæ diſperſionis, ſanctum Petrum abiiſſe, inſtitutoque illic Epiſcopo ſancto Marco, mox Antiochiam profectum fuiſſe, & exinde ad antiquam Babylonem Chaldææ; ex qua urbe autumat cum Scaligero, ſcripſiſſe primam epiſtolam, in qua ait: *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt Babylone*. Idipſum confirmari poſſe putat ex eodem ſancto Petro ſcribente: *Electis advenis diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithyniæ*: ubi enumerare videtur Chriſtianos ſecundum provincias Imperj Romani; idem confirmat ex ſancti Pauli epiſtolà ad Titum. Sed de his inferius.

Petr. epiſt. 1. cap. 5. v. 13. Idem ibidem cap. 1.

VII. Verum brevis hæc Marcæ ratiocinatio longas patitur difficultates; primo, quod duas enuntiat diſperſiones, quum de una poſt martyrium ſancti Stephani, & ante ſancti Petri diſceſſum ex Judæa mentio ſit in Actis Apoſtolorum; qua quidem diſperſione divina providentia factum, ut Evangelium Gentilibus primo prædicari cœpiſſet, ut tradit Lucius Dexter (ſi tamen genuinum eſt ejus opus.) Deinde ſancti Petri epiſtolam non Babylone penes Euphratem, ſed Roma datam fuiſſe Babylonis nomine indicata propter graſſantis impietatis errores, & confuſionem, monent

Petri de Marca ratiocinatio exploditur.

V. etiam Cornel. a Lapid. in 1. epiſt. S. Petri c. 1.

Digitized by Google

V. Bellarm. lib. 2. De Rom. Pontif. cap. 1. & 2.

monent graviſſimi, & antiquiſſimi Patres; accedit, quod ſanctus Petrus ibidem vale etiam dicat nomine ſancti Marci, quem Alexandriæ reliquiſſe ipſemet Marca affirmaverat.

V. Sueton. in Auguſt. cap. 37. Tacit. Annal. 4. Dion. lib. 58.

VIII. Inſuper nemo inficiatur, Auguſtum novam inſtituiſſe Provinciarum diviſionem, quarum aliquas Senatus arbitrio, ut rectores præficeret, reliquit; atque hæ Proconſulares, vel Proprætoriæ dictæ; alias ſibi reſervavit, ad quas Legatos, aut Præſides mittebat. In quibus vero ex his Apoſtoli Metropolitas ſtatuerint, inconſulte nimis in ſolo Oriente Marca non diſtinguit. In Africa rem aliter ſe habuiſſe quiſque vel e trivio noſcere poteſt, & multo magis in Italia. Hanc enim in undecim Provincias ab Auguſto diviſam fuiſſe, luculenter tradit Plinius, quam in hac re illuſtravit Gutherius; in ea tamen neque ævo Auguſti, neque multo ſequioribus temporibus totidem fuerunt Metropolitæ, ſed vix tres.

Plin. lib. 3. c. 5. Guther. De Off. Dom. Auguſt. lib. 2. cap. 1.

Neque dictum illud hujus auctoris ferendum: '*Apoſtolos ad exemplum juris civilis Romani Orbem Eccleſiaſticum in provincias diſtribuiſſe*. Hoc ſiquidem idem eſt, ac putare divinam Sapientiam ab humana ſtultitia de ſacro Regno ſuo conſtituendo normam mutuatam fuiſſe; tum etiam quia Rectores, ſeu Correctores, aut Moderatores, vel Provinciarum Juridici non ita erant ſubordinati, ut Epiſcopi Metropolitis, & hi Patriarchis. Ulterius nonniſi duo fuerunt tempore Auguſti Præfecti Prætorj, & apud poſteriores Imperatores aliquando

V. Cujac. præcipue ad Reſponſ. Papin. l. Legatus. De offic. Præſid. & ad novell. 23.

quando unus, priuſquam a Conſtantino Magno quatuor eſſent declarati, ut in ſecunda hujus operis parte clarius patebit, ubi de Correctoribus Campaniæ verba faciemus. At vero tempore S. Petri tres tantum erant Patriarchæ.

Quam leve, ac frivolum deinde argumentum deducat Marca ad probandam diviſionem Metropoleωn Eccleſiaſticarum factam a ſancto Petro inſtar diviſionis civilis ex verbis ejuſdem Apoſtolorum Principis compellantis Hæbreos diſperſos per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Bithyniam, Aſiam, nemo ſane non videt; quæ enim vis, roburque in hac ratiocinatione ineſt? Petrus enumerat advenas juxta Provincias Imperj, ergo ibi conſtituit ſummos, & inferiores Evangelicos Rectores?

Ex noſtra autem doctrina recte percipies ſenſum, quem continent ſancti Leonis ſuperius allata verba, ut ſcilicet, *Eſſent in ſingulis provinciis ſinguli, quorum inter fratres haberetur prima ſententia; & rurſus in majoribus urbibus conſtituti ſollicitudinem ſuſciperent ampliorem, per quos ad unam beati Petri Sedem univerſalis Eccleſiæ cura conflueret*. Vides hinc, unde ideam, & exemplar diſtinguendi tres Epiſcoporum gradus Apoſtoli deſumſerint, ex ipſo ſcilicet Chriſto, qui Petrum ceteris præfecit, digrioremque eſſe voluit. Tres vero gradus juxta numerum divinarum perſonarum ipſi etiam diſtinxerunt, vel juxta Hierarchicos Angelorum choros, ut diximus.

S.Leo epiſt.86.

ARTI-

ARTICULUS III.

Sententia Canonum I. II. & III. Diſtinct. 80. Propugnatur.

I. QUamvis ex modo dictis plena fides exigi non poſſe videatur pro Canonibus per Gratianum citatis, deſumtiſque ex ſuſpecta Iſidori Mercatoris collectione, vel Hadriani, quæ eodem ferme tempore, nempe Riculfi Archiepiſcopi Moguntini, teſte Antonio Auguſtino, in lucem prodierunt: non tamen omnino improbandas eas auctoritates decrevimus; generatim enim de iis collectionibus idem ſentimus, quod doctiſſimus Cardinalis Bona, collectorem videlicet epiſtolarum Decretalium, quæ extant ante Siricium, *piam fraudem* admiſiſſe; hoc eſt licet genuinæ non ſint epiſtolæ eorum Summorum Pontificum, quorum nomina præſeferunt, aut plurimum interpolatæ: nihilominus utilia multa continent, veramque ſapiunt diſciplinam, eoſque mores eccleſiaſticos, qui eo tempore conſueti erant, quo ii Papæ vigebant, quibus affinguntur, ut putavit etiam egregius Cardinalis Aughir de rebus Eccleſiaſticis optime meritus, & nobis quondam amicitia conjunctiſſimus.

Ant. Auguſt. In Epitom. Canon. p. 1. in princ.

II. In verba optimi Cardinalis Bonæ furioſe irrumpit Guilielmus Cave Anglus, & quaſi indignum facinus ſit, eo modo *pietati fraudem* adnecte-

Cave De Script. Eccleſ. in Iſidoro.

Card. Bona ab obſtrepéte in eum Cave tuetur.

Cardinal. de Chuſis.

nectere, illum aculeato ſtylo acerrime carpit: ac ſi non hæc venuſtiſſima ſit dictionis figura, quam Antitheſim, & paradoxicam locutionem Rhetores vocant. Ea uſus eſt doctiſſimus ille Cardinalis, qui libros ſcripſit *De Docta Ignorantia*. Quinimmo in ipſo Evangelio Paradiſi lucratores *violenti, ac raptores* dicuntur. Profani ſcriptores eam paſſim adhibent; & apud Græcos ἄδωρα δῶρα legimus, & ἄγαμος γάμος: apud Ennium *artem inertem*: apud Ovidium *juſta injuſtitia*; frequentius apud Italos noſtros poëtas, ut apud Caſam: *Avverſità ſeconda*.

V. Torquat. Taſſ. Nel Diſcorſo del Poema Eroico lib. 6.

Sed eamdem prorſus doctiſſimi Cardinalis Bonæ locutionem uſurpavit nuper magni nominis recens Galliæ ſcriptor Auguſtinus Calmet inquiens, ut videre eſt in verſione latina: *Ut pia hac fraude Judæos, & paganos incredulos in ſuas partes pertraherent*. Et de Evangelio Nicodemi, atque de Pilati epiſtola verba faciens ſubdit: *Pia alicujus Chriſtiani fraude depromta eſt*. Hæc obiter ad defenſionem doctiſſimi Cardinalis. Nunc ad ea, quæ dicuntur in C. 1. 2. & 3. Gratiani redeamus, eumdemque clavum fortius recudamus.

Calmet in Prolegom., & Diſſert. De Evang. Apocryph. Tom. 2. pag. 53. v. latinæ.

III. Principio ibi ſanctus Lucius, ſive ſanctus Licinus dicit: *Urbes, & loca, quibus primates præſidere debent, non a modernis, ſed etiam multis ante adventum Chriſti ſtatuta temporibus*. Quæ verba, ut ſuperius innuebamus extant in epiſtola 2. ſancti Stephani Papæ c. 6. quam quidem & ſi adulterinam credant docti Critici: ejus ſenten-

C. Urbes Diſt. 80.

G tiam

tiam nihilominus veriſſimam eſſe liquet ex jam dictis; quum & loca Patriarcharum, & Primatum ab Iſaja prænuntiata fuiſſe probavimus.

IV. Quod ibidem in ſequenti capite additur: *In illis vero civitatibus, in quibus olim apud Ethnicos primi flamines eorum, atque primi legis doctores erant, Epiſcoporum Primates poni, vel Patriarchas beatus Petrus præcepit, qui reliquorum Epiſcoporum cauſſas, & majora, quoties neceſſe foret, negotia in fide agitarent; (ſalva in omnibus Apoſtolica auctoritate) & majores cauſſæ poſt Apoſtolicam ſedem ſunt referendæ*. Hæc poſtrema verba, quæ extant etiam apud Leonem II., S. Stephanum, & in aliis antiquis Canonum collectionibus, ut Correctores Romani, & Pithœus indicat, carpit doctus juriſconſultus Antonius Contius, quod nulla talis Protoflaminum, ſive primorum Flaminum, Archiflaminum, & Flaminum inveniatur diſtinctio. Plura his reponit Turrianus; ſed brevius, & fortaſſe ſolidius dices, de ſacerdotum generibus, & muniis nullam antiquorum ſcriptorum ad nos integram perveniſſe tractationem; vix brevia quædam, & quandoque mutila loca, & veluti laciniæ quædam ex Cicerone, Livio, Dione Caſſio, Plutarcho, præcipue vero ex Dionyſio Halicarnaſſæo ſub oculos poni poſſunt. Cetera ex antiquis marmoribus, quoad fieri potuit, ſupplentes uberiores hac de re tractatus, & diſſertationes compilarunt docti recentiores; extantque etiam qui pileorum, aliorumque ſacerdotalium Ethnicæ ſuperſtitionis orna-

Non eſt omnino commentitia Protoflaminum, Archiflaminum, & Flaminum Ethnicorum partitio.

Dionyſ. Antiqu. Rom. lib. 2.
Carol. Sigon. De Veter. Jur. Pontif. Andreas Bocus, De Pontif. Maxim., Roſinus &c.
V. Michaël. Angel. Cauſeum De

ornamentorum icones dederunt. Quum igitur hac ſuper re plura in tenebris adhuc lateant, cur ea ex Iſidori Mercatoris, vel Hadriani collectione petere non licebit, quæ antiquitatem nongentorum circiter annorum indubiam continet?

Inſignib. Pontif. Max., Flaminis Dialis &c. apud Grævium Antiq. Rom. Tom. 5.

DeCollect.Hadrian. præter ſupralaud.Ant.Aug. videPetr.deMarc. In Concord. Sacerd. & Imp. lib. 3. cap. 5.

V. Ceterum diſtinctionem inter majores, & minores Ethnicorum Flamines nemo inficiatur, proſequiturque eruditiſſimus vir Lilius Gregorius Gyraldus. Quid igitur vetat hariolari, maximos ex ipſis Protoflamines dictos fuiſſe, medios Archiflamines, poſtremos Flamines, eaſque voces fortaſſe inſertas fuiſſe in libris, qui, teſte A. Gellio, *De Sacerdotibus publicis* compoſiti fuerunt, vel Fabj Pictoris, ubi *De Ceremoniis Flaminis Dialis* fuſe ediſſeruit; vel Varronis, cujus hæc adhuc ſuperſunt verba de Flamine Diali: *Is ſolus album habet galerum, vel quod maximus eſt, vel quod Jovi immolata hoſtia albato fieri oporteat*.

Gyrald.inHiſt. Deor. Syntagm. 17. n.30.

A. Gell. Noct. Atticar. lib. 10. cap. 15.

Quod ſi verum eſt, ut veriſſimum putamus, ambigendum minime eſt, Surrentinis ſanctum Petrum, vel alium Apoſtolicum virum, quum illuc Chriſti fidem intulit, Eccleſiamque fundavit, eum dediſſe Epiſcopum, qui alios Epiſcopos dare, atque ordinare potuiſſet, præcipue quum ibidem extaret celeberrimum Sirenum Templum, ad quod, ut in ſecunda parte ex Strabone, aliiſque dicetur, non modo Surrentini cives, ſed etiam omnes Provinciales Græci confluentes donaria offerre, ac ludos, choreaſque ducere conſueverant.

VI. Neque ſcrupulum injicias, quod ſcilicet Sirenum Templo inſervire minime potuerint majores Flamines, vel majores Æditui, qui Jovi, Marti, vel aliis primis Deorum inſerviebant. Siquidem Diis Patriæ fundatoribus, ac tutelaribus majores etiam Flamines addictos fuiſſe patet ex ſancti Auguſtini notabili loco, ubi de Ethnicis

S. Aug. De Civ. Dei lib. 2. cap. 15.

verba faciens inquit: *Nam etiam Flaminem illi inſtituerunt, quod Sacerdotj genus adeo in Romanis ſacris teſtante apice excelluit, ut tres ſolos Flamines haberent tribus nominibus inſtitutos, Dialem Jovi, Martialem Marti, Quirinalem Romulo; nam benevolentia civium velut receptus in Cœlum Quirinus eſt poſtea nominatus: ac per hoc & Neptuno, & Plutoni fratribus Jovis, & ipſi Saturno Patri eorum iſto Romulus bonore prælatus eſt, ut pro magno Sacerdotium, quod Jovi tribuerunt, hoc etiam huic tribuerent, & Marti tamquam Patri ejus, forſitan propter ipſum.*

Majoris Ordinis Sacerdotes Sirenũ Templo inſerviſſe conjicitur.

Apud Græcos in majorum Sacerdotum numero etiam adſcripti erant Νεώκοροι, hoc eſt, qui in illuſtrioribus urbibus propter præclariſſima Templa, quibus erant ornatæ, ſacra faciebant, ut videre eſt apud Julium Pollucem in Onomaſtico. Neocoram autem civitatem Surrentum fuiſſe in ſecunda parte explorate, planeque conſtabit.

Lib. 7. & 8.

VII. In Neocoris porro civitatibus ab Apoſtolis Archiepiſcopi regendæ Eccleſiæ præfecti fuiſſe videntur. Theodoretus enim ut Titum Cretenſium, ita Aſianorum Epiſcopum Timotheum fuiſ-

In Neocoris civitatibus majores Sacerdotes.

Theodoret. in Paul. epiſt. p. ad Timoth. cap. 3.

ſe

ſe affirmat ; hoc eſt ſicuti Titus , ut ſupra dicebamus , in Cretæ inſula Epiſcopos conſtituere , illiſque præeſſe poterat, auctoritate ſibi facta, ab Apoſtolo Paulo: ita Epheſinus Timotheus in tota Aſia minori . Ibi vero tantæ auctoritatis Epiſcopus fuit datus ; quod civitas Proconſularis eſſet, & Neocora; immo ideo Proconſularis, quia Neocora, ut citata ſecunda parte firmabimus . Porro quum in ea civitate commoraretur ſanctus Paulus, magnas turbas adverſus eum concitavit Demetrius Argentarius in Templo Dianæ , quas ut ſedaret ſcriba quidam eloquentia pollens inquit : Ἐφέσιοι, Actor. cap. 19.
τίς γάρ ἐστιν ἄνθρωπος, ὃς οὐ γινώσκει τὴν Ἐφεσίων πόλιν Νεωκόρον v. 35.
οὖσαν τῆς μεγάλης θεᾶς Ἀρτέμιδος, καὶ τοῦ Διοπετοῦς ; Hoc eſt: *Viri Epheſj , quis enim eſt hominum , qui neſciat Epheſiorum civitatem Neocoron, cultricem videlicet eſſe magnæ Dianæ , Joviſque prolis ?* Ut igitur Epheſi factum , ita in aliis quoque Neocoris civitatibus diſpoſitum fuiſſe ab Apoſtolis putandum; quare quum ex Neocoris civitatibus fuiſſet Surrentum , majoris dignitatis Epiſcopum , ſive Archiepiſcopum accepit . Neque de hac re ambiget, qui antiquiora cum recentioribus conferet , memineritque , quod ex Capacio indicabimus , anno ſcilicet 1110. a Barbato Archiepiſcopo Surrentino datum fuiſſe , & ordinatum civibus Caſtrimaris Antiſtitem .

VIII. Verumtamen obiter heic monendus Lector, ut caveat a Duareni mendo exiſtimantis Paroeciarum , Eccleſiarumque primum diviſorem fuiſſe

Excurſus contra Duarenum , ejuſque recentem aſſeclam .

fuiſſe ſanctum Dionyſium Papam; quum pateat ex dictis teſtimonio ſancti Pauli eam diviſionem, ipſa naſcente Eccleſia, fuiſſe inductam. In hoc totum ſe ingurgitavit recens ſcriptor. Romæ vero non a ſancto Dionyſio, ſed antea ab Evariſto Papa facta erat hæc diviſio, de eo teſtante auctore Pontificalis: *Hic Titulos in Urbe Roma diviſit Presbyteris*. Tituli nomine indicantur domus ad ſacra facienda accommodatæ, atque ad conventum Chriſtianorum convocandum ab ipſiſmet Chriſtianis donatæ; quod etiam liquet ex epiſtola Synodica ſcripta a Synodo Antiochena ad Imperatorem Aurelianum anno, ut puto, æræ Chriſtianæ 272. Deinde, ut docte animadvertit Severinus Binius, quum in perſecutione Valeriani publico edicto Presbyteri ab Eccleſiis relegati fuiſſent, vel martyrio affecti, ipſarum, & cœmeteriorum iterum facta confuſio, iterumque Evariſti ordo a ſancto Dionyſio reſtitutus, ſublato Valeriano, & pace Eccleſiæ per Gallienum reddita. Duareno criticum alterum errorem addit ejus recens ſectator, putans integram ſancti Dionysj epiſtolam ab eo tradi, quum Duarenus lacinias collegerit, quæ apud Gratianum ſparſæ habentur, aliosque antiquos Canonum collectores; integram, quod ſciam, edidit Pithœus, habeturque in Tomis Conciliorum.

IX. At inexpiabilem ſane errorem continent verba illa recentioris iſtius ſcriptoris dicentis: *Male tamen Platina, & ex eo Baronius aſſerit a Diony-*

Motta de Jur. Metropol. n.57.

V. Baron. ad ann.112.

Et Severin. Bin. In Not. ad lib. Pontific. In vita S. Evariſt. & S. Dionyſ.

Bin. in Not. ad epiſt. S. Dionyſ. ad Severum.

Joſeph Motta De jur. Metropol. ibidem.

Ex fragmentis Juriſconſultorum Pauli, Ulpiani &c. integros tractatus nectere putavit etiam Labbeus.

In edit. Venet. quæ modo cuditur Tom. 1. pag. 852.

Mott. loc. cit.

Dionyſio diſtinctas fuiſſe Parochias , & Diœceſes , quum litera exprimat tantum Parochias Urbis dumtaxat .

Vah , auctorem hunc , qui multa congerit , nihil digerit , nunquam vidiſſe puto Pontificalem librum de ſancto Dionyſio referentem . *Hic Preſbyteris Eccleſias diviſit , & cœmeteria , Parochiaſque , & Diœceſes conſtituit .* Præter quamquod antiquiſſimis Eccleſiæ temporibus Parœciarum nomine Diœceſes appellatæ fuerunt , ut dilucide demonſtrat Fileſacius ſui ævi eruditus ſane Theologus , & Canoniſta Pariſienſis . Hæc quaſi per tranſennam notavimus adverſus recentem hunc Eccleſiaſticum ſcriptorem , de quo Italus Anteſignanus vates dixiſſet .

Notatur lapſus recentis auctoris.

Jo: Fileſac. de Parœciar. orig. cap. 1.

Dante.

Non ragjoniam di lui , ma guarda , e paſſa .

ARTICULUS IV.

Juxta antiquiſſimam Eccleſiæ diſciplinam Archiepiſcopis poteſtas data Suffraganeos creandi Epiſcopos , ſed effræna ſubinde licentia imminuta .

I. Apoſtoli igitur , ubi maximos Epiſcopos , Patriarchas poſtmodum dictos , in ampliſſimis Provinciis conſtituerant ; iiſdem Metropolitas in minoribus provinciis creandi poteſtatem faciebant : hi vero in oppidis alios minores Epiſcopos ſtatuebant , ut manifeſtum eſt ex epiſtola

ſancti

ſancti Pauli ad Titum, in qua ſcriptum legimus: *Reliqui te Cretæ, ut conſtituas Presbyteros*. Centum erat Cretenſis inſula populoſis referta urbibus, teſte Virgilio, Lucano, Mela &c.

Creta Jovis magni medio jacet Inſula Ponto:
Mons Idæus ibi, & gentis cunabula noſtræ.
Centum urbes habitant magnas, uberrima regna.

A quarum numero urbium celebratam eſſe notat nitidiſſimus auctor, qui nuperrime latine fecit Euſtathium Græcum enarratorem Homeri, cujus verba: Κρήτη γὰρ ἑκατόμπολις.

Creta enim centum civitatum.

Tito igitur a ſancto Paulo poteſtas facta in iis centum oppidis creandi Presbyteros, quo nomine veniunt etiam Epiſcopi, ut liquet ex Euſebio, Socrate, aliiſque.

II. Simplicibus vero Epiſcopis nulla data poteſtas ulteriores conſtituendi, licet perperam cum Hincmaro Remenſi contra nonnulli ſtatuant, niſi urgente Eccleſiæ neceſſitate, vel utilitate ad poſtulationem plebis, ut mox dicemus. Verum quum plurimam effrænamque licentiam Epiſcopos creandi etiam in ſingulis pagis, Villis, Viciſque ruſticis propriæ Diœceſeos ſibi feciſſent; idcirco cautum fuit in celeberrima Synodo Laodicena habita ſub ſancto Silveſtro anno 320. (in qua canones 59. editi fuerunt juxta interpretationem Dionyſj Exigui, 60. vero juxta Gentianum Hervetum) ne ea pernicies amplius invaleſceret; quamobrem

Virg. lib. 3. Æneid. v. 104.
Lucan. Pharſal. ſib. 3.
Jam dilecta Jovi centenis venit in armis.
Creta vetus populis.
Mela lib. 2. cap. 7. in Boeotiam.

Euſtath. ſib. 2.
Alexand. Polit. Cler. Regul. Scholar. Piar.

Euſeb. hiſt. lib. 1. cap. 57. Socrat. ſib. 1. cap. 15., & lib. 4. cap. 29.
V. Cornel. a Lapid. in cit. epiſt. S. 1. Pauli.

obrem ſtatutum fuit can. 57. ut habetur ex hujus interpretatione: *Quod non oportet in vicis, & pagis Epiſcopos conſtitui, ſed periodentas, hoc eſt, circumcurſatores, eos autem, qui prius conſtituti fuerunt, nihil agere ſine mente Epiſcopi, qui eſt in civitate; ſimiliter autem & Presbyteros nihil agere ſine mente Epiſcopi.* At ex interpretatione Dionysj Exigui: *Quod non oporteat in Villulis, vel in agris Epiſcopos conſtitui, ſed Viſitatores.* Ex collectione Iſidori Mercatoris: *Quod non oporteat in Villis, & Vicis Epiſcopos ordinari, ſed Viſitatores, hoc eſt, qui circumeant, conſtitui &c.* Neque tamen hujus Concilj canone ea in Oriente omnino eſt coërcita licentia; quapropter in Concilio Sardicenſi generali, quod eſt Nicæni appendix, coacto anno 347. can. 6. circa finem, interprete Gentiano Herveto, idem Canon Laodicenus inſtauratur; edictum enim fuit: *Non licere autem ſimpliciter Epiſcopum conſtituere in aliquo pago, vel parva urbe, cui vel unus Presbyter ſufficit; non neceſſe eſt enim illic Epiſcopum conſtitui, ne Epiſcopi nomen, & auctoritas vilipendatur. Sed provinciæ (ut prius dixi) Epiſcopi debent in iis urbibus Epiſcopos conſtituere, ubi etiam prius Epiſcopi fuerunt. Si autem inveniatur urbs aliqua, quæ adeo populoſa evadat, ut ipſa Epiſcopatu digna videatur, accipiat &c.* Hic Canon apud Dionyſium Exiguum aliter, ac apud Græcos codices diviſus eſt a præcedenti, & incipit: *Licentia vero danda non eſt ordinandi Epiſcopum aut in vico aliquo, aut in modica civitate, cui ſufficit unus Presbyter; quia non*

Apud. Gratian. C. Non debere diſt. 80.

Digitized by Google

non eſt neceſſe ibi Epiſcopum fieri, ne vileſcat nomen Epiſcopi, & auctoritas: non debent illi ex alia provincia invitati facere Epiſcopum, niſi aut in his civitatibus, quæ Epiſcopos habuerunt, aut ſi qua talis, aut tam populoſa eſt civitas, quæ mereatur habere Epiſcopum &c.

III. Ex quo quidem Canone nedum liquet neque Vicis, neque Villis, neque exiguis civitatibus peculiarem præficiendum Epiſcopum, & modum eſſe impoſitum ſingulis Epiſcopis, ne unquam alios conſtituerent: ſed rurſus patet, talem facultatem Metropolitano ſolum cum aliis Provincialibus Epiſcopis relictam fuiſſe in Oriente; ac proinde ſanctus Baſilius Cæſarienſis in Cappadocia Archiepiſcopus exiguam licet Saſinorum urbem, quum expedire viſum eſſet, in Epiſcopalem ſedem erexit, cui Gregorium Nazianzenum, etſi reluctantem præfecit, de qua re prolixe Baronius.

Baron. ad ann. 371. cap. 90. &c.

IV. Exorta fuit nihilominus magna diſceptatio inter Eunomium Nicomediæ Epiſcopum Metropolitam, & Anaſtaſium Nicætæ Epiſcopum circa ordinationem Epiſcopi Baſilinopolis, poſtquam hæc parva regio utrique Diœceſi confinis urbis prærogativas obtinuit; & ea ad Synodum Chalcedonenſem delata, ac abunde diſceptata, plures Canones editi ſunt, atque hic inter alios: *Regula ita præcepit, ut in unaquaque provincia Metropolitanus habeat poteſtatem, & ipſe conſtituat omnes, qui in provincia ſunt, Epiſcopos*

Synod. Chalced. Act. 13.

pos &c. juxta quam Regulam quum Patres animadvertiſſent, Nicomedienſem fuiſſe antiquiorem, & undequaque perfectum Metropolitam, Nicænum vero (Baluzius legit Nicætam) recentiorem, & ſolum honoris gratia, talem illi poteſtatem ordinandi Epiſcopum concordi animo conceſſerunt. Licet Aëtius Archidiaconus Conſtantinopolitanus proteſtatus fuerit, ne eâ ſententiâ ullum in cauſſa præjudicium inferretur Patriarchæ Conſtantinopolitano.

V. Ex qua definitione eruitur poſt Sardicenſem Synodum in Orientali Eccleſia abolitum fuiſſe abuſum, ſeu pravam conſuetudinem conſtituendi Epiſcopos in Vicis, & Villis, niſi poſtquam in populoſas, frequenteſque civitates excreverant; quo tempore neque ab alio, quam a Metropolitano id præſtandum erat. Elicitur quoque apud Græcos plures fuiſſe Metropolitanos honoris cauſa tantum appellatos: & tandem Nicomediam non ſuper omnem Bithyniæ provinciam fuiſſe; hujuſce enim licet exigua pars Conſtantinopolitanæ provinciæ erat addicta. Hinc parum probanda mihi videtur doctiſſimi Thomaſſini conſideratio, qua ſtatuit, Canonem Sardicenſem fuiſſe præcipue directum adverſus Tyri Synodum, in qua Iſchyras ſancti Athanasj infenſiſſimus hoſtis ruſtici cujuſdam vici creatus fuerat Epiſcopus. Re vera enim Patrum conſtitutio potius edita fuit, ut Epiſcopalis majeſtas, dignitaſque coleretur; prout Apoſtoli ipſi docuerant, & ſan-

De Benef. p. 1. lib. 1. cap. 54.

ſanctiſſimus martyr Ignatius tertius a ſancto Petro Antiochenus Patriarcha enixe, vehementiſſimeque commendarat in ſuis genuinis epiſtolis, quæ utinam eo, quo debent, animi ſenſu ubique ab iis præſertim Eccleſiaſticis legerentur, a quibus Epiſcopalis excelſa dignitas pauci ducitur, quum ad eos maxime ſpectet, illam extollere, ſuoque priſtino, veterique cultui, ac ſplendori reſtituere.

VI. Verum Sardicenſis Canon quum non æque executioni mandaretur in Occidente, præcipue apud Africanos, ut ubique obtineret, ſummo ſtudio elaboravit ſanctus Leo magnus, quemadmodum ex ejus epiſtola 87. liquet; & licet non vacet heic omnia expendere, illud tamen tacitus non præteribo.

Apud Decretal. Greg. IX. C. 1. De Privil. ubi vide Emanuel. Gonzalez. Canones alios vide apud Ant. Aug. in Epitom. can. lib. 3. tit. 22

Ex hac ſcilicet Eccleſiæ mutata quandoque diſciplina dirimi, aut componi poſſe videtur celebris illa diſceptatio: num Chorepiſcopi vere fuerint Epiſcopi, de qua abunde plurimi, præcipue Johannes Fileſacius; ſi enim vetuſtiſſimum illum morem ſpectes conſtituendi Epiſcopos in vicis, & villis, plane eos fuiſſe veros Epiſcopos colliges, qui Chorepiſcopi, ejuſdem ſcilicet provinciæ, aut Diœceſis dicebantur. Idem nomen remanſit deinde periodentibus, ſeu circumcurſantibus, aut Viſitatoribus in villis, & pagis poſt executum Canonem illum Concilj Sardicenſis, qui tamen Epiſcopi nomine tenus erant, ſed re vera noſtris Vicariis Foraneis comparandi.

Jo. Fileſ. De Parœciar. Orig. Cabaſſut. Thomaſ. Roſquet. Cironius &c.

VII.

Digitized by Google

VII. His breviter, ac neceſſario de antiqua hac Eccleſiæ diſciplina recenſitis, viam ſternimus ad illuſtrandum, cur Archiepiſcopis Surrentinis anguſta maneat modo Diœceſis; quum principio eam urbem obtinuiſſent, quæ ampliſſimæ ditionis caput erat, & princeps; & cur Maſſæ quoque, ſeu prædiorum colluvies, & Vici Surrentinæ quondam Villæ Epiſcopos obtinuerint.

Siquidem Surrentina civitas vel a ſancto Petro, ut diximus, primum Epiſcopum obtinuit, vel ab Apoſtolicis viris cum ea facultate, ut poſſet alios in ſua provincia creare Epiſcopos; quod & fecerunt Surrentini Epiſcopi Græcorum more, qui in vaſtis vicis, & villis pro arbitrio eos conſtituebant; ut accuratius fortaſſe, meliuſque paſcere poſſent ſacrum gregem; quemadmodum ipſe ſanctus Hypponenſis Antiſtes faciendum aliquando duxit. Quum enim Fuſſulum, vicus in confinio Hypponenſis Diœceſis ſitus Donatiſtis abundaret, ne omnes in ſchiſma prolaberentur, curavit, ut ibidem proprius conſtitueretur Epiſcopus, & electus fuit quidam Antonius nomine, qui a concepta per ſanctum Auguſtinum expectatione longe deinde aberravit; de cujus defectione tantum ſanctus Doctor animo cœpit dolorem, ut de eo apud Cœleſtinum Papam vehementiſſime conqueſtus ſit. Ita aliquando Deus ſanctiſſimos, doctiſſimoſque homines in conſiliis ſuis errare permiſit, ut humilitatem Chriſtianam enixius excolerent. Patres ſancti Mauri, & Thomaſſi-

V. ſequ. lib. 3.

Poſſidon. in vita V. etiam vitam S. Aug. quam PP. S. Mauri præfecerunt II. ejus oper. tom. lib. 8. cap. 4. S. Auguſt. tom. 2, epiſt. 209.

maſſinus putant a ſanctiſſimo Doctore in Fuſſulano oppido fuiſſe novum Epiſcopum conſtitutum, venia impetrata a Metropolitano, ſine cujus libito novus Epiſcopus creari non potuiſſet, veluti nec a Metropolitano ſine conſenſu ejus Epiſcopi, in cujus Dioeceſi locandus erat. Sed bona pace tantorum virorum, venia Metropolitæ minime opus erat, ſi modo recto conſilio multiplicata fidelium diſſita plebs peculiarem Epiſcopum petiiſſet, & Dioeceſani Epiſcopi acceſſiſſet aſſenſus, uti decernitur in ſecunda Synodo, quam alii tertiam Carthaginenſem faciunt, canone 5. his verbis: *Quæ nunquam Epiſcopos habuerunt, non habeant, & illa Diœceſis, quæ aliquando habuit, habeat proprium. Etſi accedente tempore, creſcente fide, Dei populus multiplicatus deſideraverit proprium rectorem, ejus videlicet voluntate, in cujus poteſtate eſt Diœceſis conſtituta, habeat Epiſcopum.* Idem præſcribitur canone 42. Synodi, quam volunt fuiſſe Carthaginenſem III., re vera autem eruditiores putant primam, ubi hæc habentur: *Multis in Conciliis hoc ſtatutum eſt a cœtu ſacerdotali, ut plebs, quæ in Diœceſibus ab Epiſcopo retinentur, quæ Epiſcopum nunquam habuerunt, non niſi cum voluntate ejus Epiſcopi, a quo tenentur, proprios accipiant rectores, ideſt Epiſcopos &c.*

Tom. 2. Concil. ad ann. 397.

VIII. Multo minus igitur antiquiſſimis Surrentinis Epiſcopis, ſeu Archiepiſcopis, qui extiterunt etiam ante Synodum Sardicenſem, alia licentia conſtituendi Epiſcopos, ſeu Chorepiſcopos in ſua

in ſua Dioeceſi opus erat; qua propter factum eſſe remur, ut ipſi in Maſſæ (quæ vox collectionem prædiorum juxta Latinorum acceptionem ſonat) Vici, & Stabianis Villis Epiſcopi ſtatuti fuerint, ut inferius dicemus.

IX. Ex hucuſque dictis in his articulis ſequens Syſtema circa primævam Epiſcoporum inſtitutionem, & electionem concinnare licebit per theſes ita diſpoſitum. Diſputatorum in præcedentibus articulis Synopſis.

I. Sanctus Petrus à Chriſto Servatore, ac Domino noſtro ſupremam, & ordinariam, hoc eſt, in Succeſſores Cathedræ Romanæ derivandam poteſtatem obtinuit; ceteris Apoſtolis Petro ſubordinatis par, & æque latepatens auctoritas data eſt, ſed delegata, hoc eſt, cum ipſis terminanda.

II. Petrus, & Apoſtoli a Chriſto ſupremo magiſtro edocti tres gradus in Epiſcopatu ſecreverunt, maximum ſcilicet eorum, qui poſtea Patriarchæ, vel Exarchi, aut Primates dicti. Mediorum, qui Metropolitæ, & Archiepiſcopi, ſeu Epiſcoporum principes nuncupati. Tertium ſimplicium Epiſcoporum, ſeu Inſpectorum.

III. Porro ſanctus Petrus tres Patriarchatus erexit Alexandrinum ope ſancti Marci, per ſeipſum autem Antiochenum, & Romanum. Conſtantinopolitanum ante Concilium Chalcedonenſe extitiſſe compertum eſt: a quo tamen erectus non conſtat. Jeroſolymitanus a Synodo Chalcedonenſi, cui ſanctus Leo Papa firmitatem dedit, inſtitu-

ſtitutus. Patriarchatus Antiochenus a Schiſmaticis in plures ſciſſus. Ceteri Occidentales Patriarchatus a ſuprema Romana Sede primum creati.

IV. Patriarchis Archiepiſcopatus erigendi poteſtas manſit, Archiepiſcopis Epiſcopatus.

V. Archiepiſcoporum effræna, qua utebantur, poteſtas in fruſta Diœceſes, datis Epiſcopis, ſcindendi a generalibus, & peculiaribus Synodis coërcita, præcipue vero a ſancto Leone Papa, a quo juſſum, ne in villis, ruſticis vicis, aut pagis Epiſcopatus conſtituerentur.

VI. Provinciæ limites non omnes æquales, & minus recte a Canonum Collectoribus ſtatuti ex epiſtola quadam Pelagj II., quæ aut prorſus aſcititia, aut interpolata eſt.

VII. Circa loca, in quibus Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi primum fuerunt conſtituti, excipienda ſententia Canonum 1. 2. & 3. Diſt. 80. licet ex ſuſpecta, aut potius rejecta Iſidori Mercatoris collectione ſint deducti.

VIII. Etſi Archiepiſcopis imminuta fuerit conſtituendorum Epiſcopatuum poteſtas: diu tamen apud eoſdem etiam poſt generale Concilium ſecundum, & tertium Lateranenſe inſtituendi, & conſecrandi electos in eorum provinciis perſeveravit facultas.

IX. In defuncti Epiſcopi locum alium eligere, ac ſubſtituere numquam laicis conceſſum: qui ſolummodo in electione clamabant, ut teſtimonium eligendo redderent; de qua re in ordinatione Preſ-

ne Presbyterorum, & Miniſtrorum adhuc in Pontificali Romano extat veſtigium.

X. Eligere Epiſcopos ſolummodo Eccleſiaſtici potuerunt; Laicis a Suprema Romana Sede teſtimonj publice ferendi ſublata conſuetudo medendi cauſſa jurgiis, & diſſidiis, quæ exinde oriebantur. Perinde & Clericis electionis facultas ſenſim ademta delendi cauſſa ſimonias, quæ intercedere cœperant. Paucis Eccleſiis præcipue Germaniæ antiquus mos relictus.

Patriarchæ Metropolitas confirmabant per manus impoſitionem, vel per Pallj traditionem ex Concilio Conſtant. 4. Action. 10. Can. 17.

Hoc Syſtema ex mox, & alibi a nobis probatis liquido conſtat.

ARTICULUS V.

Occurritur difficultatibus potioribus, quæ excitari poſſent contra aſſertam a nobis Antiquitatem Archiepiſcopatus Surrentini, ubi nonnulla de Pallio Archiepiſcopali attinguntur.

I. INter Syrtes, & ſcopulos in hoc articulo curſus tenendus, difficultateſque nonnullæ ſuperandæ, ut eæ, quas eruimus, veritates ſint in vado. Primo ſiquidem objici poſſet, Metropolitanos, ſive Archiepiſcopos eos tantum in Italia quoque fuiſſe, qui decem, vel undecim ſub ſe Epiſcopos ſuffraganeos habuiſſent juxta Gratiani Canonem deſumtum ex Pelagio II., qui eſt hujuſmodi: *Scitote certam provinciam eſſe, quæ* C. Scitote 6. q. 2.

 habet

habet decem , aut undecim civitates , & unum Regem , & totidem minores poteſtates ſub ſe , & unum Metropolitanum , alioſque ſuffraganeos x. vel x1. Epiſcopos judices : ad quorum judicium omnes cauſſæ Epiſcoporum , & reliquorum Sacerdotum , & civitatum referantur &c. Porro nunquam legimus tanto ſuffraganeorum numero ſtipatum fuiſſe Surrentinum Præſulem . Antiquis igitur temporibus , priuſquam ea Eccleſiæ diſciplina , & Pelagj , qui ad Petri Cathedram conſcendit anno 577. non 579. ut refert recens auctor , conſtitutio immutaretur , Surrentum Metropoleos honorem non obtinebat .

Motta ibidem 52.

Cui objectioni ſatis facillime fiet , ſi breviter perpendamus , quantam auctoritatem , & veriſimilitudinem contineant relata Canonis verba . Ea ex Pelagj II. epiſtola 1. data ad omnes Epiſcopos derivaſſe ferunt Canonum Compilatores tam ante , quam poſt Gratiani collectionem : re vera tamen extant ea verba in epiſtola , quæ octavo loco exhibetur in collectione Conciliorum , dataque fuit , ut putat Severinus Binius ad Johannem Conſtantinopolitanum ; qui Synodum Conſtantinopolitanam coëgit reponendi cauſſa in ſede Antiochena Gregorium ab ea per calumniam ejectum , ut factum fuit . Id vero potius prætexuit Johannes , qui re vera colorem quærebat , ut in ea Synodo ſe Epiſcopum univerſalem appellaret . Quare Synodi acta omnia a Pelagio improbata fuerunt , confirmata tantum Gregorj reſtitutione , teſte ſancto Gregorio .

Polycarp. lib. 5. Anſelm. lib. 6. c. 107. Ivo in Panormia l. 4. tit. 3. c. 3. Ant. Aug. In Epitom. veter. Jur. Pontif. p. 1. lib. 3. tit. 1. c. 9. Turrecremat.

In poſtrem. edit. Conc. Venet. tom. 6. pag. 637.

Evagrius lib. 6.

S. Greg. epiſt. 36. lib. 4. ind. 13.

Hanc

Digitized by Google

Hanc epiſtolam genuinam putant idem Binius, & Ludovicus Bail: ſpuriam vero Du-Pinus, Cave, & alii; quam criticam diſceptationem lubenter in præſentia omittentes, illud omnino ſtatuimus epiſtolam, ſi non prorſus fictitiam, interpolatam ſaltem eſſe. Quotus enim quiſque eſt, qui ex veteri Geographia Eccleſiaſtica ignoret ante, & poſt tempora Pelagj cum in Oriente, tum in Occidente plures extitiſſe Metropolitanas Eccleſias, quæ pauciores haberent ſuffraganeos Epiſcopos, pleraſque autem, quæ plures?

Binius In Not. ad idem Conc. Conſtantinop.
Bail. Tom. 2. Summ. Conc. in Addit. ubi de Pelag. II.
Lud. Du-Pin. Novell. Bibl. to. 5.
V. præcipue Geograph. Sacr. Caroli a S. Paulo cum Anim. Luc. Holſten. aliorumque.

Illud multoties in Eccleſia diſputatum, num ſcindente Imperatore unam Provinciam in plures, etiam Metropolitani juriſdictio ſcinderetur, ac decurtaretur, ſemperque reſponſum, Canonum in hac re, non Principum ſanctiones attendendas.

Animadvertendum inſuper, in verbis Canonis illius decerni, ad conſtituendam Provinciam decem, vel undecim requiri civitates, & unum Regem, quæ non congruunt Provinciis Imperj Orientalis; quapropter eadem verba non poterant ſcribi a Pelagio II. ad Patriarcham Conſtantinopolitanum, ut ejuſdem epiſtolæ defenſores putant.

Hinc vides, quam inepte ſtatuat Archidiaconus his verbis: *Licet hodie quædam provinciæ habeant plures, quædam pauciores Epiſcopos: tamen ab initio ſtatutum, ut quælibet haberet decem, vel undecim*. Quod nunquam verum fuit, etſi veriſſimum ſit, nullum Epiſcopum damnari potuiſſe, niſi judicio duodecim Epiſcoporum, vel plurium,

Archid. ad Can. Scirote. 2.

 qui

V.Can.Si quis Epiſcopus 1.&5.6. quæſt.4.aliosque; quos laudat Antonius Aug. In Epitom.Juris Pontif. tom. 1. lib. 4. tit. 60.

qui acciebantur a vicinis provinciis, ſi in propria defuiſſent, ut plerique putant in Can. *Si quis Epiſcopus*.

Verum præterea eſt, quoad numerum ſuffraganeorum Epiſcoporum conſtituentium Provinciam, nunquam pauciores fuiſſe tribus, ut uno deficiente alius ſuffici, & conſecrari a Metropolitano potuiſſet, quod conſtat ex Apoſtolicis Canonibus, qui ſaltem ad antiquos mores Eccleſiæ patefaciendos aptiſſimi ſunt.

Emanuel. Gonzalez. in Apparat. De Orig. Jur. Canonic.

Doviat. Hiſtoire du Droit Canonique.

Juſtellus &c.

Quapropter cum Pelagj II. ea verba non ſint, ſed in Collectionibus Canonum inſerta, ineluctabilem auctoritatem non continent. Quum Gratiani, aliæque priores collectiones nulla Romanorum Pontificum auctoritate roboratæ ſint.

II. Major proſilire videtur difficultas, quod ſcilicet nunquam neque in ſubſcriptionibus Conciliorum, neque alibi Surrentinus Archiepiſcopi, vel Metropolitæ nomen ſibi vindicarit; & primum Archiepiſcopum nominatum inveniamus in celebri conſecratione Eccleſiæ Caſinenſis anno Æræ Chriſtianæ 1071.

Verum principio ſatis jam factum eſt huic difficultati, quum indicatum fuit modeſtiæ gratia antiquos nec Metropolitæ, neque Archiepiſcopi nomen uſurpaſſe, qui potius primi Epiſcopi dicebantur. Immo in Africa invaluerat conſuetudo, ut nullam certam civitatem Metropolitæ tenerent; ſed is Metropolita, vel primus Epiſcopus, vel tantum Senex diceretur, qui primus in Provincia, & antiquior fuerat conſecratus; ut demonſtrat

Digitized by Google

monſtrat eruditus Galliæ Canoniſta Franciſcus Florens.

Franciſc. Florens Oper. Jurid. tom. 1. ad tit. 6. Elect. §. Obſervandum. pag. 118.

III. Potior etiam emergit objectio ex auctoritate, & uſu Pallj Archiepiſcopalis, quod ante undecimum ſeculum a Præſule Surrentino adhibitum fuiſſe nullo teſtimonio proferre poſſumus; quum tamen ejus uſum antiquiſſimum fuiſſe docti plures viri contendant. Ait enim Rupertus Abbas: *Trevirenſi Eccleſiæ Maternus a beato Petro Apoſtolo miſſus hæreditatem Pallj ſui ſucceſſoribus dereliquit*. Quod ſi hoc teſtimonium ſuſpectum habeas, utpote auctoris duodecimi ſeculi, immo incerti, ut videre eſt apud Du-Pinum, & Cave; luculentius aliud tradi poteſt ex Euſebio Cæſarienſi, & ex ſancto Maximo hoc ſacri indumenti genus primum a ſancto Lino conceſſum fuiſſe tradente his verbis: *In lege gratiæ antiquum eſſe illud Ephod noſtrum, ideſt Pallium, quod noſtri Patriarchæ arbitrantur a Lino poſt beatum Petrum ſecundo Pontifice Romano inſtitutum, & in ſingulare poteſtatis privilegium noſtris primis Præſulibus datum*. Et licet quoad auctoritatem Euſebj difficultatem moveant aliqui, quum ſermo ille de Epiphania non videatur Euſebj: tamen eam allegant Ioſeph Vicecomes, Stephanus Durantus, Emmanuel Gonzalez. Sanctus Maximus, inquiet quiſquam, ex Patribus auctor eſt recentior, ut res indubie teneri non poſſit.

Ruper. de Div. Offic. lib. 1. c. 17.

Euſeb. Cæſar. ſerm. de Epiphan. S. Maxim. Homil. De Veſt. Sacerd.

Vicecom. lib. 4. Jo. Steph. Durant. De Ritib. Eccl. Cath. lib. 2. cap. 9. n. 42. Emanuel. Gonzal. ad cap. 1. De auctorit., & uſu Pallj. n. 7.

Refert præterea Liberatus Alexandriæ conſuetudinem fuiſſe, ut Patriarcha ſucceſſor *Excubias*

Liberat. In Breviar. cap. 20.

ſuper

Digitized by Google

ſuper defuncti corpus ageret, ejuſque dexteram manum capiti ſuo imponeret, eoque humato, acciperet collo ſuo beati Marci Pallium, & tunc legitime ſederet. En tibi uſum Pallj Patriarchalis jam inde a temporibus Apoſtolorum. En ſacrorum indumentorum genera ab Apoſtolis uſitata, quæ in nos irrident pervicaces hæretici: Pallium ſancti Petri, Penula ſancti Pauli, Pallium ſancti Marci.

2. Ad Timoth. cap. 4. v. 13. Idem in Breviar. cap. 18., & 23.

Pallj Patriarchæ Conſtantinopolitani mentionem apud eumdem Liberatum habes in Breviario. Sed heic omnia referre, præcipue quæ peti poſſunt ex Græcis teſtimonia, non vacat.

IV. Porro extra aleam eſſe debet, quod de ſancto Marco Summo Pontifice, qui Eccleſiam rexit anno 336. ſcribit auctor Pontificalis, qui ait: *Hic conſtituit, ut Epiſcopus Oſtienſis, qui conſecrat Epiſcopum Urbis, tunc Pallio uteretur*. Quæ ſane verba indicant, multo prius Pallj uſum extitiſſe, quum ſummus hic Pontifex etiam Epiſcopo Oſtienſi conſecranti ipſummet Summum Pontificem tradat. Quæ antiquitas conſtat etiam ex veteri auctore operis Ceremonialis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ. Quapropter omnino improbanda Petri de Marca, doctiſſimi alioqui viri, ſententia audacter ſcribentis: *Suſpicor Pallium ætate Theodoſj non fuiſſe in uſu apud Eccleſiam; nec mihi admodum placet, quod ſcribit Anaſtaſius, Marcum Papam Epiſcopo Oſtienſi conceſſiſſe, ut Pallio uti poſſet in conſecratione ſummi Pontificis*. Siquidem ea verba non ſunt Anaſtasj Bibliothecarj, licet ſub hujus nomi-

In Pontif. apud Anaſt. Biblioth.

Animadvertit in Petrum de Marca

mine producantur, quum Anaſtaſius Monachus vitas Summorum Pontificum a variis ſcriptoribus concinnatas collegerit, una, vel altera a ſe addita; quamobrem ſub Anaſtasj nomine laudantur etiam a Ludovico Thomaſſino, Johanne Baptiſta Caſalio Romano, aliiſque. Verum nemo recte dixerit, *ſibi non admodum placere, quod Anaſtaſius ſcripſit*, ut facit Petrus de Marca; quandoquidem ea putantur verba vel ſancti Damaſi, ut vulgus ſacrorum auctorum perperam credit, vel ſaltem auctoris multo antiquioris Anaſtaſio; quum liber Pontificalis, in quo extat vita ſancti Marci, etiam a Beda laudetur, qui centum fere annos Anaſtaſium præceſſit.

Thomaſſ. De Nov. & Vet. Eccl. Diſcipl. circa Benef. p. 1. lib. 2. cap. 54. n. 5.
Caſal. In Explic. Vet. ſacr. Chriſt. Rit. cap. 35. pag. 159. edit. Rom. anno 1647.

V. Luc. Holſt. Emanuel. Schelſt. Et Blanchin. In Præfat. ad Anaſt.

V. Verum id nihil mirum; is enim eſt Petri de Marca guſtus, ut pleraque omnia, quæ viris primæ Sedi addictis ſummopere ſapiunt, illi inſuavia ſint, ſicuti in præſenti materia non arridet eidem Petro de Marca Pallium Archiepiſcopale auctoritate Romani Pontificis tradi conſueviſſe, utpote ſacrum indumentum, ut fert Baronius, ſed contendit & lubenter, Imperatorum, Regumque munificentia, auctoritateque initio conceſſum fuiſſe. Sedet profecto illi quatuor Palliorum genera diſtingui; primum Epiſcopis omnibus commune; ſecundum ſpecioſius ab Imperatoribus donatum; tertium traditum a Romanis Pontificibus; quartum Pallium quoddam peculiare Galliæ. Placet quod didicit ab Apoſtata Marco Antonio de Dominis, Pallj conceſſione Romanos Pontifices jura

ſua

ſua ampliaſſe, & coarctaſſe Metropolitanorum: quæ quidem omnia quam falſa ſint, & omnino commentitia, non hic locus explanandi.

VI. Pallium tandem ſacrum, quod recte ὠμοφόριον dictum eſt, nimia ſimplicitate ductus Johannes Andreas, cui deinde plures ex antiquis barbaris Canoniſtis adhæſerunt, docuit non *Pallium*, ſed *Palleum* potius eſſe ſcribendum; quod ſacrum Pallium geſtantes debeant jejuniis, vigiliis, rerumque ſacrarum ſtudio palleſcere, quæ Siculis gerris ſimilia merito improbat Stephanus Durantus. Siquidem Pallium tenent conſtanter omnes antiqui canones, ſcriptoreſque, & præcipue ſanctus Iſidorus Hiſpalenſis, a quo ὠμοφόριον etiam, dicitur: *Epiſcopi Pallium* ὠμοφόριον *ex lana, non ex lino contextum ovis illius, quam Dominus aberrantem quæſivit, inventamque humeris ſuis ſubſtulit, pellem ſignificat. Epiſcopus enim, qui Chriſti typum gerit, ipſius munere fungitur, atque etiam ipſo habitu illud omnibus oſtendit, ſe boni illius, & magni Paſtoris imitatorem eſſe, qui gregis infirmitates ſibi ferendas propoſuit.* Idipſum ferme invenies apud auctorem *Theoriæ rerum Eccleſiæ*, quod opus aliqui tribuunt Germano I. Patriarchæ Conſtantinopolitano, qui claruit circa annum 715. ſtrenuuſque fuit cultus imaginum aſſertor; alii Germano II. electo Patriarchæ Conſtantinopolitano anno 1222. iidemque interpolatum opus eſſe volunt; ibi enim habetur: *Humerale* ὠμοφόριον *eſt Pontificis ad exemplum Stolæ Aaron, quam geſtabant legales Pontifices ſudariis*

Durant. De Rit. Eccl. Cath. lib. 2. cap. 9. n. 41.

Iſid. Orig. lib. 1. cap. 136.

V. Du-Pin. Nov. Biblioth. Tom. 6. Oudinum in ſupplem. De Script. Eccl. in Germ: II. Cave, qui citat etiam Ricard. Simon.

riis longis lævo humero circumponentes ad ſignificandum jugum mandatorum Chriſti . Humerale autem, quo Epiſcopus circumdatur , ſignificat ovis pellem , quam errantem quum Dominus inveniſſet , ſuper humeris ſuis aſſumſit &c. Habet autem & Cruces, quia Chriſtus ſuper humeros ipſe quoque geſtavit Crucem.

VII. Vir eruditiſſimus Johannes Morinus ex verbis ſancti Iſidori arguit inter Latinorum , Græcorumque Pallium magnum diſcrimen intereſſe . Poſtquam enim primum deſcripſit , de illo Græcorum ſubdit, longam eſſe faſciam ejuſdem, aut paulo majoris latitudinis primo collum involventem, deinde e collo per medium pectus longe infra genua deſcendentem, ut in antiquis imaginibus videre eſt . Itaque ejus figura diverſa eſt a Pallio Latinorum , cujus deſcriptionem apud complures invenies.

Jo. Mor. Comment. De Sacr. Ord. p. 2. Adnot. adGræc.pag. 220. col. 1. lit. B. edit. Pariſ. anno 1677.

Putat inſuper laudatus Morinus, ut etiam Petrus de Marca, Pallium Græcorum cunctis Epiſcopis in conſecratione tradi conſueviſſe, ut ſubdiacono *Sticharium* , Diacono *Orarium*, & Preſbytero *Epitrachelium* , quod lubenter concedimus ; uti non improbamus , quod aliqui ſentiunt, in Oriente Patriarchas Metropolitis, hos Epiſcopis Pallium dediſſe.

V. Thomaſſin. Oper. ſæpecit. p. 1. lib. 2. cap. 53. n. 8.

VIII. Neque diſſentimus a Petro de Marca, Pallium Imperiale dono datum fuiſſe Romano Pontifici a Conſtantino; quod indumenti genus erat præclariſſimum, & fulgens, atque ad terram uſque demittebatur , ac faſcijs , loriſque pretioſis

DeMarc.InConcord. Sacerd. & Imp. lib.6. cap.6. n.4. & lib. 5. cap. 36. n.4

circumamictum; idque non uno teſtimonio probare conatur. Verum omnino falſum exiſtimamus, Pallium ſcilicet illud idem eſſe, ac quod Romani Pontifices olim præcipuis quibuſdam Epiſcopis, modo omnibus Archiepiſcopis tribuunt, longo detracto indumento, & ſyrmate, ſed ſervatis ſolum faſciolis, quibus ornabatur Pallium; cujus formam deſcripſerunt olim Honorius Auguſtodunenſis, Hugo a ſancto Victore, & exactiſſime Innocentius III., recenter vero doctiſſimus Cardinalis Bona. Hoc tamen Pallium antiquius ſane fuit Conſtantino, ut liquet ex allata auctoritate Iſidori Hiſpalenſis, & ex dictis de ejus antiquitate. His omnibus adde contra Marcam hæc verba ſancti Gregorj Magni: *Pallium quoque tranſmiſimus, quo fraternitas tua intra Eccleſiam ad ſola Miſſarum ſolennia utatur*. Pallium autem Imperiale etiam extra Miſſarum ſolennia adhibere fas erat.

Innoc. III. De Myſt. Miſſ. lib. 1. cap. 63.
Bona Rer. Liturg. lib. 1. cap. 24. §. 16.

S. Greg. M. lib. 4. Epiſt. 53. juxta antiqu. ordinat.

IX. Romam advenit elapſis annis e Polonia, ſive Lithuania Archiepiſcopus Poloskæ, qui in Pontificium Sacellum cum aliis Epiſcopis Pontificio Throno aſſiſtentibus conveniens, quum ceteri Epiſcopi Cappa uterentur, ipſe Pallium noſtratibus ſimile longe, lateque diffuſum uſque ad talos adhibebat exterius utrimque laciniatum, ſacriſque imaginibus, & aureis, argenteiſque oris acu phrygia egregie depictis diſtinctum juxta conſuetudinem ſuæ Eccleſiæ, multo pretioſius iis, quæ Græci Archiepiſcopi adhibere ſolent. Illudque ad

formam

formam Imperialis Pallj pro magnis Epiſcopis elaboratum ſuſpicati ſumus.

Memoria, & recordatio cujuſdã quæſtiunculę propoſitæ a S.Pontifi. Benedicto XIII.

X. Opportune heic ſcrupulum, quo hac in re tenebatur olim Benedictus XIII. P. O. M. elapſo anno e vivis ſublatus, referre non omittamus. Rerum Liturgicarum, ſacrorumque Rituum peritiſſimus Pontifex dubitaverat, num in Anniverſario omnium Defunctorum ſolennem Miſſam celebranti ipſi Pallium eſſet induendum. Videbatur enim tunc ceſſare præcipuum Pallj myſterium ovem repræſentantis, quam bonus Paſtor quærere, humeriſque ſuperimpoſitam in caulam Domini debet inferre, quod haudquaquam animabus purgantibus poteſt aptari; proinde accitis in Pontificalis Sacelli ſacrarium Eminentiſſimo Cardinali Bancherio, id temporis Urbis Præfecto in ſacris Canonibus verſatiſſimo, nobiſque, amborum ſententiam rara humilitate, pluribus auſcultantibus, expetivit: utrique ex tempore in eadem convenimus, decere ſcilicet, ut etiam in omnium Defunctorum ſolennitate Summus Pontifex Omophorium indueret; quod non omnia myſteria Pallj in ea ſolennitaté adæque ceſſarent; plurima enim in eo ſcrutantur Rituum ſacrorum ſcriptores, præcipue Alcuinus, & Innocentius III. Illud quoque nos addebamus, rem videri jam definitam ab Honorio III., qui Epiſcopo Ravennatenſi circa uſum Pallj in Defunctorum ſolennitate Apoſtolicam Sedem conſulenti reſpondit, adhiberi non poſſe, ſi is inter alios dies conceſſos

Alcuin.de Div. Offic.lib.1. Innocen. III. de Myſt. Miſſæ.

C. ult. De Auctor. & Uſu Pall.

Digitized by Google

non eſſet aſcriptus. Itaque ideo non poſſe dixit, quia eam poteſtatem ei Summus Pontifex non fecerat. Ex quo infertur poſſe Summum Pontificem facultatem hanc etiam quoad Anniverſarium Defunctorum aliis concedere; ideo poteſt ipſe juxta Honorj ſententiam, nec dedecet in ea etiam ſolennitate Pallio uti; Romanus enim Pontifex habet plenitudinem poteſtatis, quam etiam Pallium exprimit; eo igitur uti quacumque die ſolenniter, publiceque celebraverit, ipſum decet; ceteris vero Epiſcopis in partem tantum ſollicitudinis vocatis non aliis diebus Pallium induere fas eſt, quam iis, quos in conceſſione, facultateque facta Summus Pontifex expreſſerit. Hæc obiter.

XI. Ad Petrum de Marca redeuntes volentem Pallj honorem ſine Imperatoris venia non fuiſſe olim conceſſum, quod pluribus quoque firmat Ludovicus Thomaſſinus, nos omnes ab ipſis allatas auctoritates de illo Imperiali ſplendido Pallio procul dubio intelligendas ducimus. Quum enim magnificum illud, fulgidumque ornamentum ab Imperatoribus Romano Pontifici traditum fuiſſet, ut veroſimile eſt, decebat ſane, ut non ſine eorum conſenſu aliis impertiretur. Reſcriptum vero illud, quod refert Hieronymus Rubeus in Ravennatum Hiſtoria, quo Imperator Theodoſius anno 437. plurimas Ravennatenſi Metropolitæ civitates ſubjecit, eique Pallj uſum conceſſit, ab eximio Cardinali Baronio, & ab ipſomet

met de Marca tamquam mera quædam impoſtura exploditur . *Ipſæ ejus latini ſermonis ſpurcitiæ* , ut inquit , *omnem ejus auctoritatem elevant* . Sed quum in eo adhæreat Baronio , non video , quei ab eodem diſſidere poſſit dicente , Pallium ab Imperatore concedi non poſſe eoquod indumentum ſit Eccleſiaſticum : ubi optimus Cardinalis de antiquo Pallio ſacra myſteria referente , & ad ſacrificj uſum adhibendo intelligendus eſt ; quod qui inficiatur ſacræ poteſtatis eſſe, Laicis circa ſacra facultatem manifeſto errore attribuit.

Marc. In Concor. Sac er. & Imper. lib. 6. cap. 6 §. 11.

Verum quod idem de Marca ex Concilio Matiſconenſi anni 582. elicit, Pallium nempe Gallicanum, quod Archiepiſcopi in Miſſis celebrandis adhibebant, diverſum a Romano fuiſſe, modeſte ſuppreſſo Antagoniſtæ nomine oppugnat Cardinalis Bona, conciljque canonem recte exhibet.

Idem ibidem cap. 7. n. 2.

Bona Rer. Liturgic. lib. 1. cap. 24. §. 15.

XII. Verum Pallj Imperialis uſus firmari videtur auctoritate Flodoardi, qui claruit circa annum 940. Hic enim in Hiſtoria Eccleſiæ Remenſis , cujus Epiſcoporum vitas perſecutus eſt , de Hincmaro ſcriptum reliquit : *Hincmarus pro ſuæ ſanctitatis , ac ſapientiæ reverentia per interventionem Lotharj Imperatoris Pallium ad cotidianum ſuſcepit uſum a IV. Leone Papa , a quo jam aliud ſuſceperat in deſignatis ſibi ſolennitatibus debite fruendum ; quem quidem cotidiani Pallj uſum nulli umquam Archiepiſcopo ſe conceſſiſſe , vel deinceps conceſſurum eſſe idem Papa in epiſtola tunc ad eum directa teſtatur* . Hanc Flodoardi conceſſionem commen-

Flod. In Hiſt. Eccl. Remen. lib. 3 cap. 10.

mentitiam eſſe conjicit Cardinalis Bona ex reſponſione ipſius Hincmari ad ſanctum Nicolaum I. Romanum Pontificem, a quo arguebatur de cotidiano, vel frequentiore, quam par erat, uſu Pallj. Purgat ſe Hincmarus, negatque id verum eſſe, ſubditque: *Niſi in die Natalis Domini, & in die ſanctæ Reſurrectionis ejus vix in toto anno Pallio utor*. Potuiſſet ſiquidem omnem a ſe culpam amoliri cauſſando privilegium a Leone IV. obtentum, ſi re vera impetraſſet, ut refert Flodoardus.

Hincm. Tom. 2. epiſt. 26. edit. Sirmundi.

XIII. Verum ſi inter tantos viros nobis tamquam Anſeri inter Olores fas eſſet, ſententiam promere, de Pallio Imperiali, ac faſtoſo loqui Flodoardum ſtatueremus: Hincmarum vero de Pallio benedicto, atque *e corpore*, ut dicitur in Diplomate, *ſancti Petri ſublato*, ſcilicet ex ejus ara depromto locutum. Ceterum ſanctus Nicolaus utrique Pallio induendo modum fortaſſe ſatagebat imponere: Pallio ſancti Petri, ut nonniſi in Miſſis ſolennioribus adhiberetur, ſtatutiſque ab Eccleſia Romana in conceſſione feſtis: Pallio Imperiali, ne cotidiano ejus uſu luxum nimium, faſtumque viderentur Epiſcopi in veſtibus conſectari. Illud vero, quod Petrus de Marca contendit circa Pallj Gallorum Epiſcoporum diverſitatem ab utroque, nuſpiam huc uſque, quod ſciamus, præterquam apud eumdem de Marca inventum, aut auditum.

XIV. Hæc mihi in mentem inciderunt, dum quæ-

quærerem quandonam traditum fuerit Pallium Archiepiſcopo Surrentino, num ab incunabulis illius Eccleſiæ, quod non ſatis liquet, neque hariolari fas eſt. Illud inſuper veriſſimum judicamus, quod notant eruditi viri, non omnibus ſcilicet Archiepiſcopis antiquitus hunc honorem, neque omnibus Metropolitis in Occidente tributum, ſed iis tantummodo, qui celebriores, præcipuique ob Diœceſium præſertim amplitudinem, ac dignitatem erant, ut in Gallia Arelatenſis, in Hiſpania Hiſpalenſis, in Dalmatia Salonitanus, in Italia Ravennatenſis. Deinde ſenſim idem privilegium Romani Pontifices aliis impertiti ſunt, donec omnibus Archiepiſcopis indultum. Ante ejus receptionem Metropolita, etiam ſi conſecratus fuerit, nequit Archiepiſcopi nomen aſſumere, nec convocare Concilium, neque conſecrare ſuffraganeos, ordinare Clericos, conficere Chriſma, dedicare Baſilicas: de qua re vide Canones apud Antonium Auguſtinum. In Gallia temporibus Johannis VIII. antequam Pallium a Sede Apoſtolica ſuſcepiſſent, ordinationem facere audebant Metropolitæ; quapropter ab eodem Summo Pontifice redarguti, & damnati fuerunt in epiſtola ad Roſtagium Arelatenſem, quæ habetur in tomis Conciliorum.

V. Card. Bona loc. cit.

In Epitom. Can. lib. 3. tit. 4.

V. Franciſc. Florent. Tom. 1. ad tit. de Auctor. & uſu Pallj Tract. 8. in principio §. *Quamvis autem*:

Verum quamvis non conſtet quandonam Pallium Archiepiſcopo Surrentino conceſſum fuerit: tamen liquet anno 1071. Archiepiſcopum nominatum: ab initio vero Archiepiſcopalem poteſtatem exercuiſſe.

CA-

CAPUT IV.

Primæva Surrentinæ Diœceſeos confinia recenſentur, & Epiſcopatus Caſtrimaris fundatio.

I. SUperioris capitis articulo III. innuebamus ab Apoſtolis in majoribus Provinciis, præſertim Romani Imperj Metropolitanos Epiſcopos fuiſſe collocatos; rationemque etiam ab iisdem habitam, ut, ubi majores Flamines, celſiora inanium Numinum templa, & civitates Neocoræ extabant, ibi præcipui Epiſcopi crearentur; quo fieret, ut, ubi errorum magiſtri valentius impietatem edocebant, ibidem ſtrenuiores Evangelj prædicatores Chriſtianam veritatem promulgarent; & ubi ex inferis emerſæ tenebræ veram ſapientiam denſius offundebant, Evangelica lux e cœlo delapſa validius eas diſſiparet, clariuſque illuceret; & audientibus a peſtiferis receſſus, ad res vero ſalutares, veramque Chriſti fidem facilius ſuaderetur acceſſus.

Porro in ſecunda hujus operis parte dilucide probabimus Surrentinam civitatem ob Sirenum templum Neocoram fuiſſe urbem; quapropter credibile eſt, ut eouſque ejus Epiſcopalis juriſdictio extenderetur, quouſque ejus reipublicæ, de qua dicemus, longe, lateque poteſtas ſeſe explicabat, per totum ſcilicet Promontorium, & ultra in planitie, & continenti.

Amplitudo Surrentini Promontorj breviter indicatur.

II.

II. Accuratam Promontorj deſcriptionem in ſecunda parte trademus, interea ejusdem ambitum raptim circumeamus. Promontorj iſthmus e parte Septemtrionali, ad quam primum ſpectant Geographi, aſſurgere incipit a Stabiarum planitie, ubi nunc Caſtrum maris, celebrem ſane Campaniæ urbem, alluit mare, quod ad Græcam plagam ſpectat; & exinde ſinuoſe per urbem Cavam Meſocæciam verſus ad amœniſſimum *Veterem* pagum, vulgo *Vietri* per 23. mille paſſuum ſpatium porrigitur. Promontorium objectu laterum, qua Boream reſpicit, Fretum Stabienſe efficit, qua vero Auſtrum, Sinum Pæſtanum. Longitudine in mare 18. circiter milliariorum ad Occidentem hyemalem protenditur; ſi recta linea practicæ Geometriæ ope dimenſus fueris. Latera vero aliquando iſthmo ipſo latiora, alicubi anguſtiora habet; in apſide, quæ e regione Capreas inſulam reſpicit, & ubi extructum ab Ulyſſe fuit templum Minervæ, vix duorum milliariorum latitudinem complet; plures unicum Promontorium complectitur montes, altiſſimos aliquos, alios humiliores: quidam molli clivo, alii aſperiores aſſurgunt; ſecernunt valles, & compita ita, ut immane terræ ſpatium contineant, quod primo intuentium obtutum refugit.

III. In hoc Promontorio duæ ſunt Metropolitanæ Eccleſiæ; Surrentina ad Fretum Stabienſe, ſive mavis, Surrentinum, cui tres Epi-

ſcopales ſubſunt, Caſtri maris Stabienſis, Vici Æquani, & Maſſæ Lubrenſis: Altera eſt Amalphitana, quæ Pæſtano ſinui incumbit, ſub qua ſuffraganeæ quatuor, videlicet Scalenſis, & Rebellenſis in unam redactæ, Minurenſis, Literenſis, & Capreenſis. Omnium antiquiſſima eſt Eccleſia Surrentina, quæ in toto hoc Promontorio, ut humana auctoritate reſpublica, ita ſacra a Chriſto ſibi collata imperitabat.

IV. Sed non univerſo Promontorio ſolum jura dabat Surrentina reſpublica: verum etiam Campanam planitiem verſus ejus ditio extendebatur, uſque ſcilicet ad Stabianum oppidum. Siquidem Strabo ad Pompejanum uſque, quod nunc Turris Annuntiatæ dicitur, agros Surrentinos protendit inquiens: *Pompeiis conterminum eſt Surrentum Campanorum, unde Minervæ prominet Promontorium*. Hunc ſequitur Ambroſius Leo; quinimmo, ſi fidem præſtabimus Ovidio, ad Herculanum uſque, quod nunc dicitur *Torre del Greco* Surrentini fines pertingebant; cecinit enim:

Strabo lib. 5.

Ambroſ. Leo de Nola lib. 1. cap. 31

Ovid. Metamorph. lib. 15.

Inde legit Capreas, Promontoriumque Minervæ,
Et Surrentinos generoſo palmite colles,
Herculeamque urbem, Stabias, & in otia natam
Parthenopen.

Poſt Herculanum oppidum Poëta Stabias Neapolim verſus recenſet: inficiatur tamen Galenus, qui Stabias Surrento magis, quam Neapoli accedere tradit his verbis: *Oppidulum autem ipſum Stabiæ*

Galen. de Methodo medendi lib. 5.

Stabiæ apud mare in intimo maxime ſinu ſitum eſt inter Surrentum, & Neapolim, magis tamen in latere Surrentino.

Idipſum aſtruere videtur Pomponius Mela, qui oppida litoralia enumerans a Pæſtano ſinu incipientia, atque e Meridionali parte ad Borealem deveniens, inquit: *Pæſtanus ſinus*, (a) *Pæſtum oppidum*, (b) *Silarus amnis*, (c) *Petræ, quas Sirenes habitavere*, (d) *Minervæ Promontorium*, (e) *Sinus Puteolanus*, (f) *Herculaneum*. Is quum e Silaro amne commemoratis Sirenum ſcopulis, nihil aliud intercedere meminerit, niſi ſinum, quem ipſe Puteolanum, alii Crateris mare appellant, vel fretum Stabienſe, (quod nos æquius ſinum Surrentinum nuncupabimus), & Minervæ, ſeu Surrentinum Promontorium, quis non percipiet, voluiſſe innuere, quod a Silaro ad Herculaneum uſque, quidquid terræ, mariſque interjacet, totum omnino Promontorj nomine ampleꝿeretur, & quæ ibi erant civitates, & caſtella, ſub illo nomine venirent? Secus enim Salernum, Surrentum, aut Surrentinos colles, & Stabias non præteriiſſet, quemadmodum fecit Volaterranus.

Mela lib. 2. cap. 4.

(a) prope Capacium.
(b) La Sela.
(c) L'Iſole delli Galli.
(d) Il capo della Campanella, o Promontorio di Sorrento.
(e) Golfo di Napoli, o di Sorrento.
(f) Torre del Greco.

Volater. Geograph. lib. 6. de Picentin. n. 8.

V. De ſitu oppidi Stabiarum lux eſt petenda a Plinio, qui de pluribus deletis, ac ſolo æquatis oppidis verba faciens inquit: *In campaniæ autem agro Stabiæ oppidum fuere uſque ad Gneum Pompejum, & L. Carbonem Conſs. pridie Kalendas Martj, quo die Sylla legatus bello ſociali id delevit, quod nunc in villas abiit.* In his Plinj verbis men-

Plin. lib. 3. cap. 5.

Cluer. Ital.Antiq. lib.4.

dum deprehendit eruditiſſimus Cluerius, quod excriptoris vitio excidiſſe putat circa conſulatum Gn: Pompej, & L. Carbonis. Et ſane Stabiarum everſio facta fuiſſe videtur, quum Sylla bello Italico per L. Sulpicium, Mario inſtigante, revocatus fuit anno V. C. 666., ipſo Sylla cum Pompejo Ruſo conſulatum gerente.

V. Plutarch. in Sylla,& Pompejo. V.Petav.de Doct. Temp.lib.13.

VI. Sed ex villis, in quas diſperſum abiit Stabiarum oppidum tempore Plinj, una eo nomine appellata extitiſſe videtur tempore Beliſarj, ſi credamus Paulo Diacono in Miſcella, qui refert, ipſum Beliſarium increpatum fuiſſe a Sylverio Papa de dira vaſtatione Neapoli inflicta, poſtquam inclytam eam urbem obſederat; qui proinde Neapolim reverſus, ut ſuæ atrocitati modum imponeret, *Cumanos, Puteolanos, & alios plurimos Liguria degentes, & Playa, & Sola, & Piſcinola, & Locotrocola, & Summa, aliiſque villis, nec non* (*) *Molanos, & Surrentinos, & de villa, quæ Stabj dicitur, adjungens viros, & mulieres &c.*. Unam hic auctor villam numeravit, ſed plures ex Stabiarum vaſtatione concreviſſe, merito putant recentiores omnes Plinio adhærentes, inter quas præcipue Caſtrum maris, Granianum, Literæ, Pedemontium; atque ita præ ceteris Marinus Freccia. Hæ vero omnes villæ intra Surrentinos limites antiquitus ſitæ. Quapropter ſcitiſſime, me judice, Volaterranus ſcriptum reliquit: *Igitur poſt Sarni oſtia Surrentum*.

Paul. Diac.Hiſt. Miſcell. lib. 16. pag. 475.

(*) Lege *Nolanos*

Surrentina civitas comemorata tempore Beliſarj a Paulo Diacono, & Stabj vicus.

Frecc. de ſubfeud. lib. 1. tit. de Provin.&Civit.Regn. pag.83. 2.edit.

Volater. Geograph. lib. 6. de Picentin. cap.3.

VII. At neſcio quid in mentem inciderit nobili

bili ſane viro Frecciæ, quum dixit: *Stabia agri olim Picentini, nunc Lucaniæ limitibus adjuncta eſt*. Quippe neque Stabias in Picentinis olim extitiſſe, neque ad Lucaniæ (quæ modo Baſilicata dicitur) confinia unquam excurriſſe, e qua longiſſimo tractu diſtat, certo certius eſt.

Freccia notatus

Idem Frec:loc.cit.

V. ſecundam partem.

VIII. Itaque quum ſaltem ad Sarni uſque oſtia, ex ea parte, quæ ad Μεσοβέρειαν ſpectat, Surrentini limites extenderentur, eouſque ſacra etiam Epiſcopi Surrentini poteſtas excurrebat; & credibile ſane eſt juxta ſuperius recenſita, iis villis, in quas Stabiæ abierunt, Epiſcopum, vel Chorepiſcopum, ſive ſuffraganeum datum primum fuiſſe ab ipſo Surrentino Præſule, cujus partes fuerunt, quum deceſſiſſet, alium ſufficere, & canonice electum, vel poſtulatum inſtituere, & conſecrare; quem morem ſaltem uſque ad undecimi ſeculi initium perſeveraſſe, ex antiquis moninentis indubitatum eſt.

Siquidem quum a ſancto Catello Epiſcopo Stabienſi, de quo plura in commentariis ad ejus lectiones, una cum ſancto Antonino Abbate extructum fuiſſet Sacellum ſancti Angeli in monte, nunc vulgo *Faito* nuncupato, circa idem ardua deinde exorta eſt controverſia anno 1230. inter Epiſcopum Stabienſem, & Guarnerium, qui illud occuparat. In ea vero controverſia, quæ habita fuit penes Judices a Federico II. delegatos: (urgebant enim ea tempeſtate deploranda diſſidia inter Sacerdotium, & Imperium, neque

que Canonum tunc habita ratio, quibus jam decretum erat, juriſpatronatus cauſſas ad Eccleſiaſticos judices pertinere) plura antiqua inſtrumenta ab utraque parte exhibita, in quibus *Barbati*, ut inquit Capacius, *& Urſi Surrentinorum Archiepiſcoporum mentio ſit, qui veluti Epiſcopos Stabienſes conſtituebant, ita etiam Eccleſiam ſancti Angeli Gregorio, Sergio, & Johanni Epiſcopis conceſſerunt*. Vides igitur ad Barbatum, & Urſum uſque Archiepiſcopos Surrentinos, ſcilicet uſque ad annum 1110. & amplius eligendorum Epiſcoporum jus, & morem in Stabienſibus villis perduraſſe penes Metropolitam Surrentinum.

Capac. Hiſt. Neap. lib. 2. c. 10. tit. Templa pag. 480. ubi legi poſſunt vetuſta conceſſionum inſtrumenta.

Idem Capacius poſtquam factum, & diploma retulit Barbati Surrentini Præſulis, quo oppidanis Caſtri maris expetitum Epiſcopum conceſſit, addit: *Fortaſſe ejus*, ſcilicet Barbati, *erat electio, & Pontificis confirmatio*. Putans ſpeciem quamdam jurispatronatus exercuiſſe Præſules Surrentinos circa electionem Epiſcopi Stabienſis; in quo hallucinari videtur; non enim qui nominat, præſentat, aut tantum eligit, diploma inſtitutionis impertit. Potius igitur exiſtimandum, Antiſtitem Surrenti Græcæ civitatis Græcum morem ſervaſſe creandi (ut diximus) Suffraganeos Epiſcopos, & vacante Sede electos confirmandi, inſtituendi, & conſecrandi, eumque morem uſque ad Barbati tempora obtinuiſſe, & a Romana Sede toleratum, poſtea vero antiquatum fuiſſe.

Capac. ibidem tit. Epiſcopi pag. 483.

IX. Alteram commemorat idem Hiſtoricus di-

diſceptationem circa Eccleſiam in ſcopulo vulgo *Revigljano* nuncupato prope litus Pompejanum erectam a Carolo I. Andecavenſi, ut Hiſtoricus putat, Rege Neapolitano, ad cujus ſcilicet Dioeceſim ipſa ſpectet, & quæſtionem eſſe tradit inter Surrentinum Archiepiſcopum, & Epiſcopum Stabienſem. Verum omnia oſcitanter nimis, & incurioſe. Eam ipſam Eccleſiam in illo ſcopulo prope Pompejanum litus olim erectam Abbatiæ nomine tenuerunt Benedictini; exinde ejuſdem Abbatis titulo Surrentum translato, in rupe, quæ ibi Magno, ut dicunt, Litori imminet, templum a Benedictinis conſtructum fuit ſub invocatione ſancti Petri, ædeſque una extructæ ad habitandum, amœnumque conſitum pomarium. Omnis Abbatia denique in commendam, ut dicunt, verſa eſt, quam modo obtinet Seminarium Surrentinum ex largitione Summi Pontificis Innocentj XII. omnium ſeculorum immortalitate digniſſimi, qui nobis quæcumque peteremus, elargiturum quum ultro promiſiſſet, hoc unum pro ea Eccleſia, cui initiabamur, expoſtulavimus. Quamobrem hanc inſcriptionem grati animi ergo ipſius Seminarj Præfecti illius oſtio appoſuerunt.

Idem lib. cit. pag. 481.

PHI-

PHILIPPO ANASTASIO
ARCHIEPISCOPO SURRENTINO,
QUOD SEMINARIUM
A FUNDAMENTIS
INSTAURAVERIT INQUE
AMPLIOREM ELEGANTIOREMQUE
FORMAM REDEGERIT,
OPULENTISSIMIS ABBATIÆ
SANCTI PETRI
AD MAGNUM LITUS REDITIBUS
AB INNOCENTIO XII. P. M.
IMPETRATIS.
IDEM SEMINARIUM GRATI ANIMI
MONIMENTUM POSUIT
ANNO M.DCC.IX.

Cuncta autem Archiepiſcopalis Archivi Surrentini, quæ ſuperſunt, acta antiquiorem Carolo I. Andecavenſi eam translationem eſſe demonſtrant; quod argumento eſt ipſam tranſlationem factam, conſentiente Archiepiſcopo; & prima fundatio in ſuperius memorato ſcopulo indicat eouſque Surrentinum Epiſcopum ſuam aliquando protraxiſſe juriſdictionem.

X. Sed id mirum eſt in negotio, quei nempe potuerit, tamdiu facultatem eligendi, & ordinandi Epiſcopum in villis illis, in quas Stabianum oppidum disjectum eſt, apud Epiſcopum Surrentinum perſeverare. Anno enim 1110. Barbatus, ut diximus, dum Archiepiſcopali dignitate

tate Eccleſiam Surrentinam regeret, Gregorium presbyterum ad Stabienſem Sedem evexit, ordinavitque ad ipſorum Stabienſium preces, ut habetur ex ejus diplomate, quod non equidem ad Summum Pontificem pro confirmatione dedit, ut putat Capacius; nihil enim hujuſmodi in eo legitur, ſed ad illius civitatis Clerum, & Populum, ſcilicet Ordinem, & Plebem. Diplomatis vero verba non pigebit heic etiam excribere: *Barbatus Dei gratia Archiepiſcopus Sedis ſanctæ Surrentinæ Eccleſiæ omnibus fidelibus orthodoxis, Clero, (*) Ordini, & Plebi exiſtenti Eccleſiæ Stabianæ per Apoſtolicam inſtitutionem Archiepiſcopatui noſtro ſubjectis, dilectis filiis ſalutem in Domino. Probabilibus veſtris deſideriis nihil attulimus tarditatis etiam confratrem noſtrum, ſcilicet Gregorium presbyterum vobis ordinavimus Epiſcopum: eique dedimus in mandatis, ne umquam ordinationem præſumat facere illicitam: nec bigamum, aut qui virginem non eſt ſortitus uxorem, neque illiteratum, vel in qualibet corporis parte vitiatum, aut expotentem, vel Curiæ, aut cuilibet conditioni obnoxium ad ſacrum ordinem ne permittat accedere.*

Capac. lib. 2. c. 12. Tit. Eccleſia Surrent. pag. 530.

Ughell. Ital. ſacr. Tom. 6. De Eccl. Surren. in Barbat.

(*) obſerva heic antiquiſſimam Caſtrimaris nobilitatem.

XI. Mirum ſane, ut dicebamus, ad XII. uſque ſeculum perduraſſe diſciplinam ordinandi Epiſcopos in Villis, quæ jam ubique in Occidente deleta fuerat: præcipue decreto ſancti Leonis in illa præclariſſima epiſtola jam inde ab anno, ut putamus, 453. circiter ſcriptaad Epiſcopos Africanos per Mauritaniam Cæſarienſem, in

qua corruptos Africanorum mores increpat ; qui contra ſancti Pauli diſciplinam Clericis, Presbyteris, & Epiſcopis cito manus imponebant, atque Epiſcopos conſtituebant in Villis ; ex qua excertus Canon apud Gratianum, & in Collectione Decretalium Gregorj IX. Qua tempeſtate videtur ita deletus mos conſtituendi Epiſcopos in Villis, ut nullum plane veſtigium in toto fere Occidente ſuperfuerit.

Can. *Illud ne* diſt. 80.

Ex cap. 1. extra de privileg. & exceſſib. Privilegiator.

XII. Nihilominus Hincmarus Remenſis doctus ſane, ſed audax Archiepiſcopus, in cujus ſententia non multum præſidj ineſſe videtur, putat, Epiſcopos omnes nedum Apoſtolorum, ſed & ſancti Petri Succeſſores eſſe, ejuſque poteſtatem in propriis Diœceſibus integram excepiſſe ; ac proinde novos Epiſcopatus excitandi jus eos omnes obtinere. Quod ſi ita ſe res haberet, nequiviſſent ſacri Canones vel ipſorum generalium Conciliorum, vel Summi Pontifices talem eis facultatem minuere, vel adimere, & Metropolitis addicere. Et quidnam vero hoc dicto inconſultius, audacius, immo quod magis inter hæreſes ſit amandandum? Præterea ex dictis aperte liquet ab ipſo ſancto Petro gradus Epiſcopales ſecretos fuiſſe ita, ut Patriarchis Archiepiſcopos, & his Epiſcopos creandi facultas ineſſet ; ultimis vero Epiſcopis non licebat Diœceſim ſcindere, niſi urgente neceſſitate, & plebe vehementiſſime expetente.

Ceterum ſancti Petri auctoritatem ab ejuſdem Succeſ-

Succeſſoribus in perpetua , ſtabilique ; quam inſtituit , Romana Cathedra , & in qua decubuit , integram excipi inter Catholicos conſtat , & nos ſatis alibi evicimus .

Suprem. R. Pontif. in Eccl. poteſt. vindic.

XIII. Quinimmo antiquiſſimam novorum Epiſcoporum creandorum poteſtatem Metropolitis a generalibus Conciliis factam ſtatim ſanctæ Romanæ Sedi ceſſiſſe , diſertiſſime probat Ludovicus Thomaſſinus , ab eaque confirmationem ſaltem novi erecti Epiſcopatus petitam . Itaque Epiſcopatus Caſtri maris , Vici Æquenſis , & Maſſæ Lubrenſis a Surrentino Metropolita , ut conjiciebamus , inſtitutos a ſancta Romana Sede confirmatos fuiſſe , omnino putandum eſt .

Thomaſs. In Nov. & Vet. Eccl. Diſcipl. de Benef. p. 1. lib. 1. cap. 50. 51. & ſeqq.

XIV. Quocirca in hoc negotio ſtatuendum eſſe putamus , a Concilio Sardicenſi , aliiſque poſterioribus , & potiſſimum a ſancto Leone improbatam quidem fuiſſe conſuetudinem excitandi Epiſcopos in villis , ruſticis pagis , atque ſuburbiis : non tamen juſſum , ut diu ante generalem Synodum conſtituti penitus delerentur , præſertim ſi villæ frequentiores factæ fuiſſent . Qualis quin evaſerit Caſtri maris villa ſtatim poſt Stabiarum a Sylla everſionem , haud dubitandum eſt præcipue ob ſitus , & portus commodum . Duodecimi autem ſeculi initio in adeo frequens excreverat oppidum , ut diviſio inter ordinem , ſeu nobiles viros , & plebem , quod magnarum urbium eſt , ibi jam invaluiſſet ; quemadmodum ex enuntiato Barbati diplomate dato

 ad

Digitized by Google

ad Clerum, Ordinem, & Plebem in comperto eſt.

Can. *Felix* 50. 16. quæſt. 1.

Hoc omne, quod aſſerimus de Epiſcopis Villicis ex uno Canone Concilj Toletani XII. coacti anno 681. conſtat, cujus verba ſuperius retulimus.

Sammarth. In Gall. Chriſt.tom. 2. & 3.

De quo inſuper Concilio non omittamus illud, quod memoriæ prodiderunt Fratres Sammarthani, ſcilicet Principes, Gothorumque Reges elaboraſſe, ut in vicis, parvis oppidis, ac Suburbiis Epiſcopi conſtituerentur, quod a Synodo improbatum fuit; et Stephano Emeritenſi, qui in vetitum inciderat, quod obortis lacrymis veniam petierit, pœna remiſſa; ab hoc vero, qui fuerat creatus Epiſcopus, amotus fuit, & ad primum vacaturum Epiſcopatum deſtinatus.

XV. Verum, etſi confirmatio novorum Epiſcopatuum cito ad Romanam Sedem redierit, quaſi perenni circulo eodem regrediente, unde incœpit procedere: non tamen illico ademtum Archiepiſcopis fuit jus præſidendi Epiſcoporum electioni, illoſque confirmandi, ordinandique, ut

Thomaſſ. p. 2. lib. 2.

abunde proſequitur idem Thomaſſinus; quam quidem poteſtatem nedum in Oriente, & Occidente exercuerunt, ſed & in ipſa Italia jure etiam Decretalium, & ſexti Decretalium; Johannem enim XXII. primum ſibi reſervaſſe plurium Epiſcopalium Sedium collationem anno 1322. fert

Raynald. in Append. tom. 15.

Odericus Raynaldus. Clemens vero VI. ſibi addixit proviſiones omnes Epiſcopatuum, Abbatiarum,

rum, & Collegialium Eccleſiarum in Sicilia, & in Regno Neapolitano, ut Roberti Regis partes firmaret, ac roboraret; quapropter extra aleam eſt, potuiſſe Barbatum anno 1110. Epiſcopi Caſtri maris electionem conferre, confirmare, atque Epiſcopum conſecrare, illique tradere diploma memoratum. Idem Raynald. ad ann. 1345. n. 83. & 84.

XVI. Vides hinc igitur, quei factum ſit, ut electus Epiſcopus Stabienſis Gregorius a Barbato, qui fortaſſe ad electionem ſe contulerat, adfueratque, confirmari, ordinarique potuerit; ſed fruſtra eſt, quod proprio Marte addit Capacius, *Barbatum* ſcilicet *ad Summum Pontificem diploma dediſſe pro confirmatione*. Id enim ea tempeſtate haud neceſſe erat, niſi fortaſſe tunc incidiſſet prima Epiſcopatus Stabienſis inſtitutio, quæ re vera jam multo pridem facta erat. Ceterum ſuffraganeum Epiſcopum Cleri eligere: inſtituere autem, & conſecrare Metropolitani erat; quinimmo quum in eligendis Epiſcopis aliquando cunctabundi, & ſegnius, quam par eſſet, procederent electores, in Synodo Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. habita anno 1215. ſtatutum fuit, ut, quum id contingeret, electio ad Metropolitanum devolveretur. Concil. Lateranen. II. anno 1139. can. 28. Concil. Lateranen. IV. can. 23.

Sed parcendum Capacio homini a ſacrorum Canonum ſtudio, & cognitione alieno, qui paulo ante in alterum impegerat errorem, Caput: *Conſtitutus de Teſtibus, & Atteſtationibus* Gregorio Magno tribuendo, quod, nemine dubitante, eſt Innocentj III. Capacj mendum. Cap. ibidem pag. 527.

XVII.

XVII. Heic tamen non omittendum advertere, quod Thomaſſino conſentiamus aſſerenti Epiſcoporum electiones factas fuiſſe a Clero, interveniente, atque aſtante plebe, non ut una clamaret, neque ut ſua interponeret ſuffragia: ſed potius, ut teſtimonium ferret de vita, honeſtate, ac virtute eligendi, ut dicitur in Canone *Omnibus* 2. Can. *Quiſquis*. Can. *Sacroſancta*, & *C. Meſſana*, ſeu potius *Maſſana*, De *Electione*. Quod ſi non raro a populis electos Epiſcopos legimus, improprie, & per metonymiam, aut ſynecdochen electio pro atteſtatione accipietur; quod ſcilicet bonum populi teſtimonium in cauſſa eſſet, ut is, quem probabat, eligeretur; quod nedum ex ſacris ſcriptoribus, & præcipue ſancto Cypriano liquido eruitur; verum & ex ipſis profanis evincitur; Lampridius enim de Alexandro Severo hæc habet: *Is nempe Imperator, ubi aliquos Imperatores, vel Rectores Provinciarum dare, vel Præpoſitos facere, vel Procuratores, ideſt, Rationales ordinare, nomina eorum proponebat hortans populum, ut ſi quis quid haberet criminis, probaret manifeſtis rebus, & ſi non probaret, ſubiret pœnam capitis; dicebatque grave eſſe, quum id Chriſtiani, & Judæi facerent in prædicandis Sacerdotibus, qui ordinandi ſunt, non fieri in Provinciarum Rectoribus.*

V. Emmanuel Gonzalez ibidem.

Lamprid. In Vit. Alex. Sev.

Liquet igitur, teſtimonium tuliſſe populum, elegiſſe Sacerdotes, penes quos ſacra poteſtas erat; Ordinaſſe vero Metropolitanos cum duobus ſaltem Epiſcopis, ut edicitur in Canone Apo-

ſtolis

ſtolis tributo; quem ſane numerum non ad eſſentiam, ſed ad ſolennitatem potius pertinuiſſe ferunt plures Theologi, inter quos ſœpe laudatus Thomaſſinus.

XVIII. Atque hinc factum eſſe putamus, ut Epiſcopus Stabienſis bis ſingulis annis ad præſtandum obſequium, ac reverentiam Surrentino Archiepiſcopo accederet: & ſi modo tantum ad eamdem obedientiam e roſtro publice evocetur in memoriam vetuſtiſſimæ dignitatis, atque inſtitutionis: non tamen accedit ex Decreto Concilj Tridentini, ut inferius de Vico Æquenſi, & Maſſa Lubrenſi etiam dicetur.

Quiſnam fuerit primus Caſtrimaris Stabienſis Epiſcopus, incertum.

XIX. Reliquum heic eſſet inquirere, quiſnam primus fuerit oppidi Caſtri maris, ſive Stabiarum Epiſcopus, quæ ſane res non liquido conſtat: certum tamen eſt, ſeptimi ſeculi initio ſanctum Catellum ejus civitatis Epiſcopum fuiſſe, ut dicemus in Commentariis ad lectiones ejuſdem ſancti, & ſancti Antonini Abbatis. Sed longe ante Epiſcopos obtinuiſſe Stabias, Capacius, & Ughellus opinantur; ajunt enim anno 499. Urſum Epiſcopum Stabienſem Romanæ Synodo I. ſub Symmacho Summo Pontifice habitæ ſubſcripſiſſe; & re vera in ea Synodo quinquageſimo loco poſt ipſius Symmachi nomen habetur: *Roſarius Surrentinus, & pro fratre meo Urſo ſubſcripſi*. Et ultimo Epiſcoporum loco, antequam incipiant ſubſcribere presbyteri, legitur: *Urſus Stabianus*.

Cap. Hiſt. Neap. lib. 2. cap. 10. Ughell. Ital.Sacr. Tom.6. De Epiſ. Stabienſ.

At vero Stephanus Baluzius ex codice quodam manu

manu exarato Bibliothecæ Colbertinæ ejuſdem Synodi ſubſcriptionem ita refert : *Roſarius Epiſcopus Eccleſiæ Surrentinæ ſubſcripſi*; tum ſequitur : *Stephanus Epiſcopus Neapolitanus ſubſcripſi*. Deinde iterum : *Roſarius pro fratre meo Urſo ſubſcripſi*. Et paulo poſt : *Urſus Epiſcopus Aſtallinæ ſubſcripſi*. Itaque ille Urſus , qui in primo codice dicitur *Stabianus* , in hoc Baluzj nuncupatùr *Epiſcopus Eccleſiæ Aſtallinæ*. Sed codicem hunc mendoſum nimis eſſe ipſemet fatetur Baluzius , & in eo pluſquam quingentos caſtigaſſe errores ; quamvis Lynceus hic vir craſſum illum , ac palmarem adhuc non deprehendit , quo Conſtantius ſemel notatur Surrentinus Epiſcopus vice Roſarj ; utcumque tamen eſt , non adeo liquido conſtat *Urſum* illum Stabienſem Epiſcopum fuiſſe , licet ibidem , ubi legitur : *Urſus Epiſcopus Eccleſiæ Aſtallinæ*, advertatur , codices 449. & 1573. tenere : *Urſus Epiſcopus Stabianus* .

Ad hæc accedit , quod in III. Synodo Romana ſub eodem Symmacho biennio poſt coacta anno ſcilicet 501. octavo loco ſubſcribat *Urſus Epiſcopus Reatinus* . At vero quis divinare poſſet , num Urſus ille in primo Concilio ſubnotatus idem , & unus fuerit cum eo , qui in hoc tertio ſubſignavit , & an fuerit germanus Roſarj , qui pro eo in prima Synodo ſubſcripſit , fratremque appellavit , reſpiciens ad naturalem conjunctionem, non vero ad Religionis , ſacrique Miniſterj , quod exercebant , copulationem , locique propinquitatem ?

CA-

CAPUT V.

Quo tempore Maſſæ Lubrenſis, & Vici AEquenſis Epiſcopatus prodierint.

I. NEminem ſane, qui Geographicas res vel e limine ſalutavit, latere poſſe arbitramur, omnem illum terræ tractum, ubi Vicana modo parva urbs, ejuſque pagi, & Maſſæ Lubrenſis uſque ad Minervæ templum vici ſunt, Surrentinos colles fuiſſe, ibique Surrentinas villas, ruſticoſque vicos erectos, quod præ ceteris luculentiſſime demonſtrat Cluerius; Papinius enim Statius in lugubri carmine de morte patris cecinit:

Cluer. Ital. Antiqu. lib.4.cap. 3. & 4.

.... *Quos e vertice Surrentino*

Mittit Tyrrheni ſpeculatrix Virgo profundi.

Stat. Sylvar.lib.5. carm.3. verſ.607.

Tacitus vero ſcripſit: *Capreas ſe in inſulam abdit trium milliariorum freto ab extremis Surrentini Promontorj disjunctam*. Inter noſtrates Capacius idipſum aſſerit de Vico Æquenſi, poſtquam illius loci dulcia vina deſcripſit, ſubdens: *Quæ tametſi Surrentina quoque veteres appellarint, omneſque illos colles dixerint Surrentinos; hac nihilominus ætate proprium ſibi nomen compararunt*; quocum egregie convenit Regni Neapolitani vernacula lingua deſcriptor Scipio Mazzella. Idem aſtruxerat Capacio prior Marinus Freccia nobilis vir, & jureconſultus de Æqua, ſeu Vico Æquenſi ſcribens: *Olim pulchra, uberrima fructuum, & vini, æſtate* delc-

Cornel. Tacit. Annal. lib.4.

Capac. Hiſt. Neap. lib. 2. cap. 11.

Scipione Mazzella nella Deſcrizzione del Regno di Napoli, de' Monti del Regno pag. 265. *Detto Monte da Plinio, Pomponio Mela è chiamato Promontorium Minervæ*,

e da Strabone è detto Sireum, Athenæum, & Prenuſſum, oggi detto: Lo Capo della Campanella, per iſtarvi una torre per guardia; che fà ſegno col ſuono della Campana delle Galee, e Fuſte, che ſcuopre.

Freccia de ſubfeud. lib. 1. tit. de Provinc., & Civit. Regni. De ſuffrag. Archiep. Surr. edit. Venet. anno 1579.

delectabilis: olim villam Surrentinam affirmant. Itemque de Maſſa Lubrenſi: *Agri eſt Surrentini villa, & Colonia Surrentinorum civium, qui ad habitandum, agroſque colendos fuerunt conſtituti. In Codice Cameræ Apoſtolicæ* (potius fortaſſe in Codice Regiæ Cameræ Neapolitanæ) *Æquenſis, & Lubrenſis ponitur, non Vicus, neque Maſſa.*

II. Verum ne lucubrationibus noſtris tenebras aliquando offundant voces, heic opportune quid Vici nomen, quid Maſſæ, quid etiam Villæ, quid Pagi ſignificet, breviter indicare non abs re fuerit ad lucidiorem intelligentiam allegatorum Canonum Laodiceni, Sardicenſis, & Francofordienſis Conciliorum, nec non Conſtitutionis ſancti Leonis, atque eorum, quæ diſcuſſimus de Chorepiſcopis, ſive Epiſcopis Archiepiſcopo Surrentino ſuffraganeis.

Eſt igitur Vicus frequens quædam coacervatio Villarum, ſive ædium erectarum pro agros incolentibus; proinde in *l. Nulli liceat* 28. Cod. Juſtinianei *De Epiſcopis, & Clericis* §. *Quod ſi*; ubi cura exigendi legata pia, vel teſtamenta, atque emergentia in iiſdem dubia interpretandi, ac decernendi Epiſcopo tribuitur, ſcriptum eſt: *Quod ſi in Vico, vel in Territorio teſtator mortem obierit, illius civitatis vir Reverendiſſimus Epiſcopus exactionem habebit, ſub qua Vicus, vel Territorium eſt &c.* Itaque Vicus heic pars civitatis non eſt, ut apud Tullium, Horatium, alioſque Latinos; quos civitatis vicos modo urbis regiones, ſeu

Tull. In Orat. 47. pro Milone: *Nullum in urbe vicum, nullum angiportum eſſe dicebam &c.*

ſeu Riones dicimus: ſed, ut alias apud eumdem Tullium, & Latinos Scriptores, multiplices, & coadunatæ domus in agris vici ruſtici appellatæ ſunt, Italice, ut præcipue Neapoli, *Caſali*; Surrenti, *Terzieri*.

III. Pagi etiam Vici nonnumquam dicti a verbo Græco πηγὴ, ut Feſtus credidit, quæ quidem vox fontem ſignificat, quia πηδᾷ; quoniam plerumque ruſtici habitatores circa fontes domus extruebant, ut communem perennem aquam potarent, & quo vellent ad irriganda arva deducerent. Quapropter miror quod tam audacter definiat diſertiſſimus vir Cujacius: *Pagus ſignificat Provinciam*; *unde in idiotiſmo dicimus*, *Pays*; nos Itali *Paeſe*: unde venuſtiſſimus inter Tuſcos poëtas:

Cujac. Tom.9.ad Tit. De Inſtit., & ſubſtit.leg.3.

Il bel Paeſe,
Che Appennin parte, *e'l mar circonda*, *e l'Alpe*.

Petrar.

Pagum ſiquidem Vicorum multitudinem, & peculiarem Vicum ſignificare ſæpiſſime nos docent peritiſſimi Lexicographi.

Steh. in Theſaur. Ling. Latin.

IV. Villæ nomen proprie domum in agro ſignificat, ut monet Eraſmus, & cum Budæo omnes pene jureconſulti. Vitruvius Villam ruſticam, & urbanam dividit; prior domus inculta coloni; poſterior domus domini agri, Italice *Caſamento in Villa*. Diſperſæ hæ domus agrorum Villæ tam jure civili, quam canonico appellantur.

Eraſm.in Annot. ad cap.22. S.Matth. in principio. Idem aſſerunt Voſſius in Etymol. Du Change in Diction. med. & infim. latin.

Sed Gallico idiomate Villæ nomine veniunt civitates, & oppida muris, ac foſſis munita; Id

etiam uſurpavit præſtantiſſimus Florentinus vates Dantes Alegherius, quod peculiare eſt apud illum:

Dant. Infer. cant. 83.

Io fui nato, e creſciuto
Sopra il bel Fiume d'Arno, e la gran Villa.

Et alibi:

Paradiſ. cant. 30.

Che l'arca traſmutò di Villa in Villa.

Maſſa vero multitudinem prædiorum, collectionemque ſignificat, ut frequentiſſime eſt in epiſtolis Caſſiodori, & apud Gherardum de Nigris, & Obertum de Orto in collatione juris Feudalis. Eam vocem latinam eſſe in hoc ſenſu putat Jacobus Cujacius, non autem barbaram, quod vix crediderimus.

Cujac. Tom. 7. ad lib. 31. ff. Tit. Legat. l. Teſtamentum §. Lucius Tetius, pag. 114. edit. Neapol.

Maſſę Lubrenſis origo.

Hoc idem dicito de Maſſa, quæ Lubrenſis cognomen accepit, Surrentinum ſcilicet agrum fuiſſe, in quo plura prædiorum Surrentinorum frequentiſſimæ Villæ fuerunt; id clare patet ex antiquo monimento extracto ex Archivo Officinæ Monetariæ, quod in Archiepiſcopali tabulario Surrentino extat hujuſmodi: Literæ Roberti Regis Jeruſalem, atque utriuſque Siciliæ datæ per Johannem Grillum de Salerno Juris civilis profeſſorem Vicemgerentem Protonotarj Regni Siciliæ anno a parta ſalute 1329.: *Sane* (ita Robertus Rex aſſerit) *univerſitas hominum Lubrenſium .. noſtrorum fidelium per Sindicos ejus, & Nuntios noſtram pridem præſentiam adiit, & graves de civibus Surrentinis proponens in auditorio noſtro querelas, a nobis ſuppliciter petiit, ut eos ab illis ſeparare, & eximere, ipſiſque per caſalia diverſa diſperſis invicem habitare;*

re ; novamque civitatem conſtituere in territorio , quod Lubra , ſeu Maſſa vocatur , ut per hoc , & a publicis hoſtibus , & ab eorum oppreſſionibus tueri ſe poſſent , benigne concedere dignaremur . Rex vero ipſe Lubrenſes ab ea petitione repulit plures ob cauſſas in illis ſane literis inſcriptas , inter quas hæc etiam recenſetur his prorſus expreſſa verbis: *Porro poſſeſſiones Surrentinorum civium per ſeparationem eamdem remanerent incultæ , quas communiter Lubrenſes , ſive Maſſenſes ipſi colere , ſeu laborare feruntur . Sicque nobiles , qui vivunt ex ipſorum poſſeſſionum reditibus , cogerentur neceſſario mendicare . Et ſi novam civitatem contingeret conſtrui , ſicut de terra Vici vicinanti , a primo inibi poſſet accidere , quæ in Baroniam tranſiit , quum hactenus de demanio extitiſſet* . Ex hoc conſtat , Maſſæ Lubrenſis accolas Surrentinis , quod ad laicalem poteſtatem attinet , olim adhæſiſſe , Maſſamque Surrentinorum Vicorum multitudinem fuiſſe . At vero proprios Epiſcopos longe ante annum 1329. hæc frequentia habitatorum prædia , vicoſque obtinuiſſe liquet ex Ughello ; eapropter ab Epiſcopo Surrentino conſtitutos fuiſſe credendum eſt ; antequam ea ſive diſciplina , ſive abuſus aboleretur conſtituendorum Epiſcoporum in Villis , Vicis , aut parvis civitatibus ; deindeque uſu , & conniventia , vel privilegio Romanæ Sedis Epiſcopos eos perpetuo firmatos fuiſſe , præſertim quod frequentiores evaſerunt illorum pagorum habitatores .

Sejun-

Sejunctionem poſtea Maſſæ Lubrenſis accolæ a Surrentinis obtinuere, quum ne in alicujus *Majoris Valvaſſoris*, aut *Capitanei* clientelam, ut dicitur in legibus Feudalibus *Baſſi*, aut *Vaſſalli* traderentur, ſeipſos locupletes ſane, generoſique accolæ, ſuamque ditionem ſibi emerunt, & Baronis conſtituendi facultatem a Principe impetrarunt.

CAPUT VI.

Amalphitana Regio priuſquam ſuum Epiſcopum obtinuiſſet, Surrentino parebat.

V.Gio.Boccacc. nel Decamer.gior. 2. Novell. 4. in princ.

Amalphiæ laus.

I. AMalphitana urbs, pro qua ſæpe ſæpius Melphim civitatem penes Lucaniam exteri, licet eruditi, Scriptores per errorem uſurpant, magnum ſibi nomen fecit, & eximiam ſane gloriam aluit. Quum enim nauticis mercimoniis litoralis illius oræ accolæ impenſiſſime ſtuderent, unus ex civibus Amalphitanis Johannes (aliis Flavius) Gioja nuncupatus circa annum 1300. ſive forte fortuna, ſive ſtudioſa opera exploravit, deprehenditque Magnetis naturam polos ſuos ad mundi polos ſe convertentes habentis, ſuumque axem parallelo ſitu dirigentis ad axem Mundi, qui inſuper, ſi ferrum quamvis levi contagione inficit, in illud vim ſuam, ac proprietatem diffundit. Hoc naturæ Myſterium Amalphitanus ille edoctus eam, quam nauticam pyxidem latine dicimus, conſtruxit; divinum ſane opus, quo

quo quanta acceſſio, & compendium navigationi factum ſit, haud facile dictu eſt; quinimmo viam aperuit ad ulteriora indaganda; quod ſi Magnetis natura penitus perciperetur, excolereturque, per eum a navigantibus Geographica longitudo reperiri poſſet, ut alibi dicebamus, etiam non correctis Magnetis e polo declinationibus, ac varietatibus, ut faciendum putavit Johannes Baptiſta Egmontius.

Nelle noſtre Accademiche lezioni Nautiche.

Egmont. de Magnetica vulner. curation.

II. Hanc vero præcipuam tanti inventi laudem Amalphitanis adimere complures ſtuduerunt, quorum indiculum texuit Marinus Merſennus. Volunt enim illam Plauti *Verſoriam* ventos indicantem nauticam prorſus pyxidem eſſe, quod adeo firmiter tenet doctus alioqui Jeſuita Pater Feurnerius, ut aniles, ac ſubleſtas omnes alias interpretationes faciat.

Marin. Merſen. Quæſt. & Comm. ad cap. 1. Geneſ. cap. 17. lit. De Magnet. & Remor.

Le P. George Feurnier. Hydrographie livr. 15. Chap. 1.

Is rurſus Gallicos verſiculos refert poëtæ cujuſdam, qui floruit anno 1200., pyxidis nauticæ ſub nomine *Marinettæ* uſum edocentis. Perhibet etiam *Vaſquum Gamam* Luſitanum (quem egregio poëmate celebravit Aloyſius Camoës, & utrumque concinno Italo epigrammate Taſſus noſter) in celeberrima navigatione ad Orientem per *Caput Bonæ Spei* Orientales navarchos offendiſſe, qui pyxidem nauticam ſcitiſſime adhiberent. Præterea ea Tyrios uſos, ac Phœnices exiſtimat; quod etiam indicaſſe videtur Aratus, & ex eo Cicero his verbis: *Et meas cognitiones ſic dirigo, non ad illam parvulam Cynoſuram*.

Taſſo nel Sonetto. Vaſco, le cui famoſe ardite antenne &c.

Cicer. Academic. Quæſt. lib. 2. pag. 17. edition. Paul. Manut. Venet. anno 1555.

Qua

Qua fidunt duce nocturna Phœnices in alto;
ut ait Aratus, eoque directius gubernant, quod eam tenent,
Quæ curſu interiore brevi convertitur Orbe &c.

Rurſum Feurnerius ductores claſſis Salomonis ad tranſvehendum ex Ophir aurum ejuſdem pyxidis uſum non latuiſſe opinatur. Europeos autem omnes eum a Gallis didiciſſe contendit ea ductus conjectura, quod chartaceus circulus cuſpidi inſidens Acus Magneticæ, quæ ad polum Borealem vergit, lilj floris pictura ornetur; ſed ſibi parum conſtat. A Marco Polo Veneto, quem *Paulum Marcum* appellat, nautas Europeos hauſiſſe etiam fert. At ex Goropio Mariſotus pyxidis nauticæ inventores facit Cimbros, ſeu Teutones. Adeo cuique voluptati eſt, præclaras cujuſque inventi laudes ad propriam gentem, nationemque etiam cum alterius jactura traducere.

Claud. Barth. Mariſot. Orb. Marit. lib. 2. cap. 41.

III. Præter Pyxidis nauticæ inventionem alterum Amalphitanis decus ſubducere nonnulli conantur, ſcilicet repertos ibidem anno 1137. Pandectarum, ſive Digeſtorum libros, laborioſum nempe opus illud, quo maxima pars antiqui Juris Civilis Romani a Triboniano Juſtiniani juſſu in unum collecta, ac diſpoſita fuit, ut noſtrates Hiſtorici, Juriſperiti, aliique exteri ferunt; quos libros maximo humanarum rerum, & potius ſapientiæ lucro, compendioque ceſſiſſe putant ii, qui in conſtitutionibus Principum, Plebiſcitis, Senatus-Conſultis, edictis Prætorum, Reſponſis Prudentum ſcrutandis, exponendiſque ſcientiam, ſophiam-

Carol. Sigon. de Regn. Ital.
Artur. Duk.
Raphaël Volaterr.
Card. de Luca tom. 4. p. 1. De Servitutib. diſcur. 1. n. 11.
Gravin. de Orig. Jur.
V. recentiſſimas Diſſert. P. Grandi & Doctoris Panuggi &c.

ſophiamque unice ſitam delirarunt, eiſque poſthabendas ſcientias Mathematicas, Phyſicaſque ſenſerunt; quaſi vero præſtantius ſit, noſſe quid in caducis hiſce, mutabilibuſque legibus, conſiliiſque infirmiſſimæ hominum mentes præſenſerint; quam quid æterna infinita mens in miro univerſi opificio ſtruendo, componendoque adhibuerit: quidque immobili, æternaque lege creatis rebus præſcripſerit, veſtigare?

IV. Nos vero de legibus hiſce humanis id ſentimus, quod Cicero nomine M., nempe leges humanas nonniſi a naturali lege Dei recte deduci: (Cic. lib. 1. De Legib.) tantam autem eſſe corruptelam malæ conſuetudinis, ut ab ea tamquam igniculi extinguantur a natura dati, exorianturque, & confirmentur vitia contraria, in quibus compeſcendis lex humana plerumque occupatur. In iis vero, quæ lex recte præcipit, ab illo maxime Pythagoræ principio pendere τὰ τῶν φίλων κοινὰ, καὶ φιλίαν ἰσότητα. Ex qua benevolentia longe, lateque diffuſa illud efficitur, *quod quibuſdam incredibile videtur, ſit autem neceſſarium; ut nihilo ſe ſe pluſquam alterum diligat*. Quod naturæ inſitum principium æterna Sapientia noſtram humanitatem induta expoſuit, edocuitque. Itaque veram Naturalium legum peritiam is aſſequetur, qui & Matheſi, & Phyſicæ, a qua corporum motus æterna Dei lege præſcripti contemplantur, ſe dederit; Moralium vero, qui Theologiæ, ſeu divinis rebus perſcrutandis operam ſedulam navaverit, addiſcens prudentiam

eſſe legem, cujus ea vis ſit, ut recte facere jubeat, vetet delinquere. Quæ autem recta, aut iniqua ſint, a naturæ lege, vel a revelata doctrina potius deprehendendum eſt, quam a Jureconſultorum Decretis, vel receptis ſententiis, Edicto temporario, vel perpetuo, aut a Caſſianorum; Proculejanorum, Sabinianorum, Pegaſianorumque ſcholis, aliiſque ſimilibus: in quibus errores plurimos invenies, præcipue dum de uſuris diſſerunt. Quos cæcos cæci quidam recentiores ſectantur. Quid quod addit recens auctor, ſolas Romanorum leges in pretio habendas, Hæbraicas deſpectas ſemper fuiſſe, vilique habitas: Græcas vero tamquam pueriles? Sed animadvertere debuiſſet ex Hæbreis omnem ſapientiam hauſiſſe Ægyptios, & Græcos, quorum Romani ſe diſcipulos eſſe profeſſi ſunt, ut ab aliis abunde probatum. At de his ſatis alibi diſſeruimus.

Claud. Salmaſ. De Uſur.

V. Auguſtin. Steuc. De perenn. philoſoph.

V. Præcipua vero Amalphitanorum laus, & decus, quod nemo ſibi arrogare tentavit, eſt ſacrum ſancti Andreæ Apoſtoli corpus mirabili liquore manans in eorum urbem Conſtantinopoli tranſlatum a nobiliſſimo Amalphitano cive Petro Capuano titulo ſancti Marcelli presbytero Cardinali anno ſalutis 1205., qui fertur etiam os cubitale ſancti Philippi Apoſtoli Metropolitano Surrentino templo dono dediſſe, quod reverentiſſime ibidem ſervatur.

Marin. Frecc. De Subfeud. lib. 1. Tit. de Provinc. & Civit. Regn. §. 36. Ughell. Ital. Sacr. Tom. 7. Hiſtorici paſſim, aliique noſtrates.

VI. Quantum ad primam hujus celebris urbis conſtructionem non ſatis conveniunt ſcriptores.

res.

res. Sæpius a nobis laudatus Freccia extructam fuiſſe putat a Romanis militibus Conſtantinopoli Romam reducibus, qui ad Japygiæ litus primum appellentes, inde in Lucaniam perrexerunt, in qua provincia Melphim civitatem excitarunt; unde nomen ad alteram civitatem a ſeipſis extructam in ora litorali Promontorj Minervæ vergenti ad ſinum Pæſtanum traduxerunt. Hujuſce narrationis auctorem facit Erchempertum, apud quem typis editum a Camillo Peregrino nihil tale reperies. Ad codicem præterea ms. provocat Langobardo charactere exaratum, quem nemo alius, præter ipſum, vidit. Bartholomæus quippe Chioccarellus, in cujus manus omnes omnino manuſcripti Frecciæ pervenerunt, hunc codicem numquam reperire ſe potuiſſe teſtatur, qui ſi umquam extitit, non integræ fidei reputandus.

Freccia ibidem in additam. ſecundæ edit. Venet. anno 1579.

Origo Amalphitanæ urbis.

Camill. Peregrin. In Hiſt. Langob.

VII. Sed potius credendum celebri Amalphitano Chronico ab Ughello etiam producto, ex quo accipimus, inſtaurato a Magno Conſtantino Byzantio magnificentiſſima urbe, ejus fama, & Imperatoris muneribus commotos plures Romanos proceres cum uxoribus, & filiis eo commeare ſtatuiſſe, & comparata claſſe ex Italia ſolviſſe, ut Thraciæ Boſphorum peterent, ſed vi ventorum, ac tempeſtate jactatos vix ad Raguſiæ portum appuliſſe, ibique in terram deſcendentes diu commoratos, donec a primis incolis illius Regionis capitali odio diſſidentes, plerique Romam repetere ſtatuerunt, ac duobus cercuris vecti per

 Scyl-

Digitized by Google

Scyllæum, Meſſanæque fretum ad Minervæ Promontorium, qua vergit ad ſinum Pæſtanum, applicuerunt, ubi ab oppidanis humaniſſime excepti *Scalam*, *Ravellum*, *Minorem*, alioſque pagos in præruptis illis montium jugis excitarunt; unde poſtmodum deſcendentes ad litus Amalphiæ civitatem conſtruxerunt. Hæc quidem vera, vel veroſimiliora faciunt, ut ea omnia concidant, quæ ex Langobardico codice a Freccia afferuntur.

VIII. Ut ut tamen ſit, in ſecundo hujus operis tomo mox commemoratam Promontorj partem Picentinos tenuiſſe demonſtrabimus, eique deinde acceſſiſſe militum Auguſtanorum coloniam; ſed aſcitis hiſce aliis incolis ignotam id temporis fuiſſe Chriſtianam Religionem haud veroſimile eſt, quæ ita præcocibus alis volitantis inſtar ad ultimam Heſperiam pervenerat, ut ſecundo reparatæ ſalutis ſeculo Chriſtifidelibus referta eſſet extrema ea Europæ pars. Picentini igitur illi, & deinde Romani, qui eam Promontorj partem incolebant, non ab alio ſane Antiſtite cœleſtis doctrinæ, ac Sacramentorum pabulo enutriri poterant, quam a vicino Epiſcopo Surrentino.

IX. Poſtquam tradidit Ughellus ſancti Gregorj Magni ætate Primennium Epiſcopum Amalphitanum floruiſſe, ſubdit: *Quis autem ante ipſum ſederit, an vero primus hujus Eccleſiæ fuerit Epiſcopus, adhuc incertum eſt, nec facile eſt inveſtigare*. Sed in nova civitate, & vix ad coronidem perducta

Ughell. Ital. Sacr. Tom. 7. in Præf. ad Epiſcop. Amalph.

ducta non multo antiquiores Primennio Antiſtites extitiſſe conjiciendum eſt.

Perhibet præterea laudatus codex Amalphitanus Ducem, Clerum, ac Populum illius civitatis ab optimo Romano Pontifice Johanne XV. qui ſedere cœpit anno 985. obtinuiſſe anno 987. ut eorum urbs Archiepiſcopali dignitate ornaretur, & ut Archiepiſcopus Amalphitanus ſuffraganeos ſuos haberet, & id temporis datos fuiſſe Epiſcopos Literenſi oppido, Scalenſi, olim Camenſi, Ravellenſi, & Caprearum inſulæ.

X. Verum nequaquam aſſentiri poſſumus Ughello dicenti: *Diœceſis Amalphitana ſatis ampla eſt, ab Oriente Cavenſi, a Meridie maris Tyrrheni litore, ab Occaſu Maſſenſi, Surrentinaque, a Septemtrione Scalenſi, Literenſi, Nucerinaque Diœceſibus clauditur.* Non enim verſus Occaſum ad Maſſenſe uſque Territorium excurrit, ſed Surrentinorum confinio diſterminatur, ea ſcilicet regione, quæ inter Poſitanum poſtremum Amalphiæ pagum, & Maſſam interjacet. Itaque ab Ughello bene cardo, ut cum Plinio loquar, male limes deſignatur.

Ughell. loc. cit.

Ughelli hallucinatio.

XI. Fallitur quoque idem Ughellus, quum in principio Amalphiæ Ducatum deſcribens verſus Meridionalem plagam Sirenuſas inſulas, nunc Gallorum dictas includit, quæ perpetuo in Surrentinorum juriſdictione, ut nunc, extiterunt: ſicut in ſecunda parte abunde videbimus, idemque dicitur de Gaurano monte e proſpectu Meridionali. Cur vero Caprearum inſula (de cujus antiquiſ-

Digitized by Google

quiſſimis incolis Telebois ſecunda parte ſermo erit) Epiſcopum habeat Amalphitani potius Archiepiſcopi ſuffraganeum , quam Surrentini vicinioris , difficile eſt divinare . Interim id pro certo habendum , vetuſtiſſimæ Surrentinæ Eccleſiæ confines lapſu temporis nimium fuiſſe decurtatos .

CAPUT VII.

De Caprearum Inſula ſacra antiquitas .

I. CApreæ exigua Crateris maris inſula cur Regna Teleboum a Virgilio nuncupentur in ſequiori parte notum fiet ; ubi etiam , quando a Neapolitanorum dominatione per Auguſtum redemta fuerit , & cum Ænaria commutata , quo per quatriennium levandæ valetudinis gratia conceſſerat ; & quod deinde Tiberius pro ſuo delicio , ſeu potius omnigenarum libidinum , ac voluptatum vel Lupanari , vel latebra habuerit , aliique Imperatores ejus amœnitate capti illuc ſeceſſerint . *Eam trium milliarium freto ab extremis Surrentini Promontorj finibus* diſtinctam eſſe inquit Tacitus , aliique Latini ſcriptores . Plinius octo millia paſſuum a Surrentina civitate abeſſe ait , & undecim millia paſſuum circuitum illius eſſe tradit .

Svetoñ. in Tiberio

Tacit. Annal. lib. 4.

Plin. Natur. Hiſt. lib. 3. cap. 6.

Frecc. loc. cit.

De hac inſula Marinus Freccia ſcribit : *Divus Pius Auguſtus hanc inſulam a Neapolitanis redemit , ut ea otio potiretur ; in Amalphitanorum ditionem poſt venit*

venit &c. Mira hujus Juriſconſulti hallucinatio ! A Divo Pio Caprearum redemtionem factam fuiſſe ſcribit, quæ a Divo Octaviano Auguſto juxta Dionem, & Svetonium pluſquam integro ſeculo ante perfecta fuerat. Mira etiam confidentia, quod enuntiat, eamdem inſulam ſub Amalphitanorum ditione fuiſſe, quod docti Hiſtorici omnino impoſſibile reputabunt.

II. Eamdem diu ſub Romano Imperio perduraſſe aſſerit Ughellus, *quouſque Flavius Juſtinianus Imperator Monachis Caſinenſibus dono dedit ; donationem confirmavit Juſtinus Imperator nepos apud Leonem Oſtienſem , & Capream inſulam in ſalo Neapolitano a Tertullo datam B. Benedicto , quum eum ad Caſinum inveniſſet , ſcribit Gordianus in vita ſancti Placidi apud Surium &c.*

Ughell. Ital. Sacr. Tom.7. De Epiſc. Capr.

Hæc verba Ughellus adamuſſim exſcripſit a Cæſare Capacio ; ſed de hac donatione inſulæ Caprearum nihil hucuſque offendimus apud Leonem Oſtienſem. Fuit Tertullus vir Patritius (qui Patritiatus ſumma dignitas erat poſt tranſlatum a Conſtantino in Orientem Imperium) filium habuit Placidum, qui ſancti Benedicti veſtigia ſectatus ejus regulæ nomen dedit ſub eodem ſancto Patre, Siciliam inde ad propagandum ejus inſtitutum miſſus eſt ; ubi Tertullus quum prædia multa poſſideret, *decem , & octo patrimonj ſui curtes B. Benedicto dono dedit* . Atque hoc quidem a Leone Oſtienſi relatum invenimus ; ubi addit eruditus Abbas Angelus de Nuce eas *Curtes* nominatim exhi-

Cæſar. Capac. Hiſtor. Neap lib. 2. cap.14. Tit. De Eccleſia Caprearum .

Juſtinian. Inſtit. lib.1. Tit.12.

Carol. Sigon. De Regn. Ital. lib. 4. ann.773.

Leo Oſtien. In Chron. Caſin. lib. 1. cap.1.

Angel. De Nuc. In Not. n.470. & In excurſ. hiſt. n. 502.

Digitized by Google

exhiberi in Regiſtro Petri Diaconi, qui de aliis prædiis verba faciens nihil de inſula Caprearum vel a Tertullo, vel a Juſtiniano Caſinenſibus donata meminit.

Petrus Diacon. Chron. Caſin. lib. 4. cap. 117.

III. Illud tantummodo videre eſt apud Petrum Diaconum Chronici Caſinenſis poſt Leonem Oſtienſem continuatorem, multa ſcilicet prædia, Eccleſiaſque, quæ ad Benedictinos ſpectabant, occupata fuiſſe a *Barenſibus*, & a Comite *Lauritelli*, eaque re ad Imperatoris Lotharj II. tribunal delata, quum is in Italiam adveniſſet, pro ſua in Benedictinos benevolentia, in quos propenſiſſimus erat, *ſub vadimonio conſtrinxit omnes proceres Sampaniæ* (lege Campaniæ) *Liguriæ, Piceni, Peligni, Apuliæ, Liburiæ, ac Principatus, ut niſi Romani Imperj iram vellent experiri, ſtatim ut ad domum propriam remeaſſent, cunctas B. Benedicti poſſeſſiones Caſinenſi Cœnobio redderent, quas uſque ad diem illum a temporibus Juſtiniani Magni nequiter retinuerant, mille librarum auri pœna appoſita &c.*

Verba hæc cuipiam fortaſſe anſam dederunt putandi a Juſtiniano multa prædia tradita fuiſſe Caſinenſibus, quum potius heic dicatur, jam inde a tempore Juſtiniani cœpta fuiſſe adimi, atque ea Monaſterio auferri. Neque tamen quidquam de Caprearum inſula legitur.

Idem cap. 118.

IV. In ſequenti vero capite magnam enarrat contentionem inter cœnobium Caſinenſe exortam, & illud ſancti Vincentj circa *Caſtrum Cardetum*, *Vitecuſam*, *Vallem Rotundam*, *Saraceniſco*, & alia

prædia

prædia. Poſſeſſionem pro ſe obtrudebant Monachi ſancti Vincentj uſque a tempore Ludovici II. Imperatoris. Ipſe vero Petrus Diaconus, qui cœnobj Caſinenſis partes tuebatur, dicebat, quod *Præceptum de poſſeſſionibus* B. *Benedicti a temporibus Juſtini ſenioris*, & *Juſtiniani ante annos fere trecentos, antequam Lodoycus regnaret, exaratum fuiſſet*. Et licet a Giſulpho Langobardo eæ donationes etiam factæ inveniantur: contendunt nihilominus e Benedictinis nonnulli Giſulphi Salernitani Principis non tam largitiones, quam confirmationes, vel reſtitutiones fuiſſe. Qua in re Lotharius ſententiam pro Caſinenſi cœnobio fertur pronuntiaſſe. Angel. de Nuc. loc. cit.

Hæ donationes a Juſtiniano quoque factæ commemorantur; quare Frecciæ, Capacj, & Ughelli auctoritates generatim non videntur omnino rejiciendæ. Verum, quum in iis contentionibus, & jurgiis circa prædia, aliaſque plurimas Caſinenſium poſſeſſiones numquam de Caprearum inſula mentio fiat ulla, quæ tamen fuiſſet non omnino parvifacienda, aut prætereunda, quippe quæ a Romani Imperj poſſeſſoribus in magno pretio habita ſemper fuit: commentitia prorſus videtur donatio illius inſulæ commemorata a Freccia, Capacio, & Ughello, & auctoritas, ad quam appellant, Leonis Oſtienſis.

V. Quid quod omnes diſceptationes illæ, quæ habentur in 4. libro Chronici Caſinenſis non a Petro Diacono, ſed ab alio quopiam veteratore,

Digitized by Google

Baron. Annal. tom. 7. ad ann. 541. n. 27. 28. & 29.

Angel. de Nuc. In Not. ad lib. 4. c. 108. In Excurſ. Hiſtorico-Jurico.

ac impoſtore confictas eſſe putat Baronius ? licet ſummo ſtudio eas tueri conetur P. Abbas de Nuce, qui quomodocumque partes Critici expleat, Cauſidici, quas aſſumit, nullo modo implet.

Sed præter confictam Caprearum donationem duo alii lapſus Ughelli nobis in conſpectu eſſe videntur. Primus, quod a Flavio Juſtiniano datam fuiſſe Caſinenſibus aſſerat inſulam illam; quam paulo poſt ſubdit Tertullum patrem ſancti Placidi elargitum fuiſſe. Alter lapſus, quod donatorem ejuſmodi poſſeſſionum faciat Flavium Juſtinianum, conſervatorem Juſtinum; quum potius hiſtoriæ ordo, & relata auctoritas Chronici Caſinenſis ferant Juſtinum ſeniorem primo donaſſe, Flavium vero Juſtinianum ejus nepotem donationem confirmaſſe. Sed hanc diſceptationem attigiſſe ſatis ſit.

VI. Verum enimvero ſive ea inſula Caſinenſium fuerit eo tempore, quo ibi revera extabat ſub nomine ſancti Stephani Benedictinorum cœnobium, ut infra patebit, ſive Surrentinis annexa, ſive ſub ditione aliorum, (certe Amalphitanorum non erat, quorum reſpublica tunc coaleſcere incipiebat) Epiſcopo Surrentino credibile eſt in Spiritualibus paruiſſe. Ipſa enim maxime omnium Surrentinæ ſive civitati, ſive Diœceſi propinqua eſt. Cui rei non levis accedit conjectura ex epiſtola ſancti Gregorj ad Johannem Surrentinum Epiſcopum hujuſmodi: *Religioſis deſideriis facile eſt præbere conſenſum, ut fidelis devo-*

S. Greg. epiſt. 54. lib. 1. Ind. 9. apud PP. S.Maur.

devotio celerem ſortiatur effectum. Et quoniam Savinus Abbas monaſterj ſancti Stephani inſulæ Capris ſuggeſſit nobis, ſe ſanctæ Agathæ martyris reliquias jam olim apud ſe habere conceſſas, & in monaſterio ſuo vult ipſa ſanctuaria collocari; ideo ad prædictum monaſterium te jubemus accedere; & ſi ibidem nullum corpus conſtat humatum, prædicta ſanctuaria ſolenniter collocabis, ut devotionis ſuæ potiatur effectu. Et quamvis ibi dicatur *inſulæ Capris*, non Caprearum: tamen de Capreis intelligendus ſanctus Gregorius; Amanuenſium enim vel inſcitia, vel incuria inſulæ nomen variatum. Unde PP. ſancti Mauri ſubdunt: *Capreæ, ſive Caprea, vulgo Capri, inſula Campaniæ adjacens. In uno vatic. Norm. Corb., & pler. legitur Cabris. In Turon. Calabris.* Quæ variationes nihil attendendæ; non enim veroſimile Johannem a ſancto Gregorio longius pro lipſanorum collocatione tranſmiſſum. Præterea in Capreis erat cœnobium illud ſancti Stephani Monachorum Caſinenſium, ſub cujus titulo nunc extat Eccleſia Cathedralis intra urbem tranſlata, ut ſcribit Capacius, quem ſecutus Henſchenius ait: *Altera civitas ſancti Conſtantj Epiſcopi patrocinio clara eſt Caprea, ſeu Caprearum urbs Epiſcopalis in cognomine inſula provinciæ Principatus Citerioris.* Quum igitur ſanctus Gregorius Johanni Epiſcopo Surrentino collocandarum reliquiarum in cœnobio ſancti Stephani Caprearum mandet provinciam, Surrentino Præſuli eas ſubfuiſſe colligimus. Neque te moveat, quod idem ſanctus Gregorius

Ex ſancto Gregorio Magno eruitur Capreatum inſulam olim Epiſcopo Surrentino circa ſacra paruiſſe.

Capac. lib. 2. cap. 14. de Eccleſ. Caprear.
Henſch. tom. 3. Maj die XIV. pag. 735. n. 2.

S. Greg. epiſt. 97. Ind. 2. apud PP. S. Mauri.

gorius ad inſulæ Capreæ incolas ſcribens eos Epiſcopum habuiſſe ſubindicet; nam multa ſunt ejuſmodi inſulæ nomina affinia. Adeſt Capricana inſula, de qua ſanctus Gregorius Magnus, & Mabillon. Capraria, de qua Rutilius Gallus; & Caprea, quæ eſt in Hiſtriæ provincia, de qua in ſupralaudata epiſtola loquitur ſanctus Gregorius, ut notant ibi Patres ſancti Mauri, & liquet ex eadem epiſtola, & ex alia ſuperiori ad Marianum Ravennatem Epiſcopum data, qua eidem imponit, ut illorum incolarum ab Eccleſia ſeparatorum reſipiſcentiam foveat, excipiatque reconciliationem.

S. Greg. lib. 11. epiſt. 54. juxta ordinat. PP. S. Mauri.

Mabill. Annal. tom. 1. lib. 10. pag. 281.

V. Capac. lib. 2. cap. 14. de Capreis & Fertar. cum Baudrand. in Lexico Geograph.

S. Greg. epiſt. 96. lib. 9. Ind. 2. juxta ordinat. PP. S. Mauri.

Præterea quod Johannes fuerit primus Capréarum Epiſcopus tempore Leonis I. Amalphitani Archiepiſcopi renuntiati a Johanne XV., a quo Pallium, & Metropolitica jura ſuſcepit in Lateranenſi Palatio anno 994. ejuſdem Johannis anno x. ex ms. codicibus, & Chronico Amalphitano, de quo ſuperius meminimus, liquet, ut teſtatur Ughellus. Etſi Marinus Freccia de Amalphia tradat: *Anno Domini 914. ſub Sergio III. Pontifice Maximo a Populo, Clero, ac eorum Duce Metropolis conſtituitur ex Epiſcopali, approbante eodem Sergio*. Sed perperam; Sergius enim III. circa annum 911. mortem obiit, in cujus locum eo anno 911. Anaſtaſius IV., non Johannes XV. ceſſit.

Ughell. Ital. ſacr. Tom. 7. De Archiep. Amalp. col. 250.

Marin. Frecc. loco ſupecit. pag. 80. col. 1.

VII. Neque vero, etiam ſi ſub Caſinenſium poteſtate eo tempore fuiſſent Capreæ, a Sur-

V. Platin. apud Panv.

Surrentini Epiſcopi juriſdictione fuiſſent immunes ; Monachi enim Caſinenſes ea tempeſtate extra Caſinum ubique locorum Epiſcopis ſubjecti erant ; a quorum poteſtate eos ſubduxit Zacharias Summus Pontifex Romanus , qui , ut Angeli de Nuce verbis utar , *Apoſtolico privilegio Eccleſiaſticis prærogativis cœnobium* (Caſinenſe ſcilicet) *cumulans , ſtatuit , ut illud cum omnibus cellis ſuis ubicumque terrarum ab omnium Epiſcoporum ditione ſit liberum ita , ut nullius juri ſubjaceat , niſi ſolius Romani Pontificis* . Et paulo poſt: *Noverat ergo Pontifex Caſinenſis Eccleſiæ originariam libertatem , ejuſque propriam Diœceſim , in qua nullus alius Epiſcopus invenitur jus aliquando dixiſſe , aut id attentaſſe . Verum , ut eadem quoque immunitate fruerentur omnes ejus cellæ , quamquam intra alienas Diœceſes conſtitutæ , generali diplomate id ſanciendum duxit munificentiſſimus Pontifex , ne aliquando contingeret dubitari* . Itaque ne diſſertationem hanc longius protrahamus , ſatis , ſuperque innuimus , firmavimuſque totum Surrentinum Promontorium ab iſthmo , quo continenti adjungitur , & aliquanto ulterius , ſcilicet ab antiquo Stabio per oppidum Cavæ uſque ad Vicum veterem , modo *Vietri* , & ex ea radice totum quantum eſt Promontorium ex utroque latere modo in duos Archiepiſcopatus , & plures Epiſcopatus diviſum , uni Epiſcopo Surrentino in ſpiritualibus paruiſſe una cum Caprearum inſula .

S.Greg. epiſt.25. lib.8. Fortunatum Epiſc. Neapolitanum redarguit , quod circa Monaſteria ſibi ſubjecta neglexerit eſſe ſollicitus , circa quæ vide PP.S.Mauri .

Angel. de Nuce In Not. ad Leonem Oſtienſem in excurſ. hiſt. n.502. , & 503.

Huc

Huc uſque de Epiſcopatus Surrentini inſtitutione, confiniis, ac dignitate; quando autem Pallj auctoritate, uſuque decoratus fuerit, uberius non ſumus proſecuti; quod de eadem re in tertio libro neceſſario ſit iterum ſermo inſtituendus; in quo quidem libro nobis conſtitutum eſt agere de iis Epiſcopis, qui adeo felicem, vetuſtamque Eccleſiam ſumma animi virtute rexerunt.

Finis Libri Primi.

Digitized by Google

LIBER II.

In Sanctorum Epiſcoporum, qui Surrentinam Eccleſiam rexerunt, nec non ſancti Antonini Abbatis præcipui ejus Patroni

LECTIONES COMMENTARJ.

PRÆFATIO.

QUæ mentis acies, quæ præclari animi dotes, quæ morum ſuavitas, quanta denique ſapientia (quid enim ſublimius vera ſapientia dicere poſſumus, quæ coeleſtis eſt omnium bonorum theſaurus) Epiſcopos deceat, qui Chriſti rempublicam moderandam, tuendamque capeſſunt, antiqui Patres, recentioreſque ſcriptores abunde tradiderunt. Ii ſiquidem (ut in quibuſdam epiſtolis ſancto Ignatio tributis legimus) in terris Dei loco præſident, & Servatoris noſtri duplicem imaginem referunt, quatenus Ad Magneſianos.

tenus

Epiſt. ad Smyrnenſes.

tenus imperat καὶ τὸ ἄρχειν, & quatenus ſacrificat καὶ τὸ ἱερατεύειν. Eas omnes virtutes, ac prærogativas coacervatas fortaſſe cernere nobis daretur in ſanctis Epiſcopis, qui Surrentinam Eccleſiam difficillimo quidem ævo gubernarunt, niſi adeo ingens ſacrarum rerum theſaurus præ temporum injuria, barbararum gentium in Italiam colluvione, & peritorum Hiſtoricorum defectu, ut compertum eſt, maxima ex parte periiſſet. Quemadmodum etiam illuſtrioris memoriæ jactura facta eſt ſancti Antonini Abbatis, qui diu Surrenti vixit, quam inſuper civitatem præſentiſſimo adhuc patrocinio fovet. Neque nobis colligendi ex ſacrarum antiquitatum ruderibus diſſitorum, deperditorumque monimentorum reliquias improbus ſupereſſet labor. Pergendum tamen inter tenebricoſos viarum anfractus, ac latebras, ut quidquid ad inſtitutum noſtrum intereſt, etiamſi vel oblivione pene deletum, vel tot ſeculorum longinquitate interciſum, in lucem, quoad maxime fieri poteſt, revocemus non minori ſudore, quam ſuperiori libro in veſtiganda Surrentini Epiſcopatus origine, atque progreſſu effudimus: qua in re eamdem omnino methodum ſervabimus, ſpatiandi ſcilicet, & veluti ruſticandi per amœnas antiquitates, ubi occaſio dabitur. In hoc vero negotio, ut ordinem teneamus, uniuſcujuſque ſancti vitæ lectiones a ſanctiſſimo defuncto Pontifice Benedicto XIII., & a ſacra Rituum Congregatione probatas præficiemus; quibus deinde copioſa

pioſa noſtra addemus commentaria, exordientes a ſancto Antonino Abbate, ſecuti non temporum ſeriem, neque dignitatem, ſed quod præcipuus ſit ejus Eccleſiæ Patronus.

LECTIONES S. ANTONINI ABBATIS,

Cujus feſtum Surrenti celebratur die XIV. Februarj, ſecundi nocturni.

LECTIO I.

ANtoninus in Campania Picentinorum urbe honeſtis parentibus natus, abdicato ſeculi faſtu ſancti Benedicti inſtitutum ſuſcepit; Stabias ad Catellum notæ ſanctitatis hominem tunc temporis illius urbis Antiſtitem ſe contulit, a quo perhumaniter ſuſceptus, atque in Paſtorali officio collega, & adjutor adhibitus tanta eo in munere enituit ſanctimonia, ut omnibus eſſet admirationi. Priſtinæ vero ſolitudinis cupiditate ſuccenſus, aſperum ſeceſſit in montem, ubi vigiliis, jejuniis, cœleſtiumque rerum contemplationibus vacans, ſancti Michaëlis Archangeli apparitione dignatus, ſacellum ejus in honorem extruxit.

LECTIO II.

FAma ſanctitatis longe, lateque diffuſa, Surrentini cives enixis ab eo precibus contenderunt, ut eorum civitatem adiret, quibus

Antoninus, ut erat Dei, proximique caritate ferventiſſimus, annuens, Surrentum petiit, atque in cœnobium divo Agrippino ſacrum ſe recepit, cui poſtea ſanctiſſime præfuit, magna interim pietatis monimenta relinquens; ſacellum namque divo Martino Turonenſi Epiſcopo dicatum erexit, ubi Dominicæ Paſſionis myſteria ſua manu inſculſit in marmore, & complures verbo, exemploque ad meliorem frugem reduxit. Annis demum, ac meritis plenus ad Dominum emigravit decimo ſexto Kalendas Martj.

LECTIO III.

DEmortui corpus miraculis clarum in mœnibus civitatis, uti juſſerat, honorifice conditum fuit, ut id argumentum eſſet eventu non ſemel comprobatum, quam perenni munimento, præſentique patrocinio urbem tuetur. Ideo Surrentini cives obſtricti beneficiis Baſilicam ejus nomini poſuerunt, quo innumeri pietatis, & voti gratia, præſertim vindicati obſidione Dœmonum adventant; & Clerus, populuſque Surrentinus quotannis frequenti ſupplicatione adeunt, S. Antoninum reliquos inter Tutelares Divos ut præcipuum apud Deum Patronum grata religione venerantes.

DIS-

DISSERTATIO I.

In Lectiones S. Antonini Abbatis præcipui Surrentinæ Diœceſeos Patroni.

CAPUT I.

De Scriptoribus Vitæ ſancti Antonini Abbatis.

I. SAncti Antonini Abbatis præcipui Surrentinæ Diœceſeos Patroni, ac Tutelaris vitam ex antiquiſſimis monimentis, atque traditionibus compilaſſe reperimus circa annum 1535. primum omnium Biographorum, quorum recens memoria extat, Antoninum, ſive Antonium a Porta Minoritam patria Ebulenſem, quæ eſt oppidum Regni Neapolitani modo in Principatu citeriore ultra Silarim fluvium, olim ad Lucaniam ſpectans. Verum enimvero vel quod omnes accurate notitias tenebris offuſas ex antiquis monimentis haurire, atque in lucem proferre ſatis pro rei dignitate nequiverit, vel quod non eam, quam, par erat, diligentiam adhibuerit, ſæpe in

Digitized by Google

poſterorum ſcriptorum, & præcipue P. Antonj Caraccioli ex Familia Clericorum Regularium ſancti Cajetani Thienæi cenſuras incurrit.

II. Deinde presbyter David Romæus Philocaſius ſub annum 1577. libellum concinnavit: *De quinque Divis Cuſtodibus, ac Præſidibus Surrenti.* Ex quo circa decimiſeptimi ſeculi initium Epitomen fortaſſe ſuam congeſſit P. Philippus Ferrarius Servita, inſeruitque *Catalogo Sanctorum Italiæ.* Quod & fecit in ſuo Sanctorum compendio P. Ludovicus Zacconius ordinis ſancti Auguſtini. Anno vero 1593. aliis Sanctorum vitis, quas edidit, illam etiam ſancti Antonini intexuit Paulus Regius Vici Æquenſis Epiſcopus, cujus auctoritas anteà exciverat eruditiſſimum Cardinalem Baronium, ut Martyrologio Romano ad diem 14. Februarj ſanctum Antoninum adjungeret, ſicut credidit Bollandus, ut paulo poſt dicemus.

Philip. Ferrat. in Catal. Sanct. Ital. die 14. Februarj.

Paul. Reg. Nelle Opere Spirit. p. 2. delle vite di que' Beati Pontef. e Conf. ed altri Santi, e Sante di Dio, che o ſon nati, o ſon venerate le loro Reliquie nel Regno di Napoli, ed altrove pag. 611. & ſeq. ſtamp. in Vico Equenſe nell' anno 1593.

III. Sub initium decimiſeptimi ſeculi ejuſdem ſancti Abbatis vitam paucis tradidit Cæſar Capacius; & circa idem tempus Summontius, & Cæſar Molignanus nobilis Surrentinus; quam paulo poſt Michaël Laccheus Campanienſis ſub annum 1626. accuratius Italice digeſſit. Et aliquanto ante Laccheum Octavius Beltrandus bis de ſancto Antonino, & ubi de urbe Campania, & ubi agit de Surrento, interſeruit mentionem; quod etiam pluries fecit Abbas Ughellus, ubi de Surrentinæ Diœceſeos Epiſcopis, atque Archiepiſcopis diſſerit.

Bolland. To. 2. Febr. die 14. In Comment. præv. ad vit. S. Antonin. §. 2. n. 11.

Capac. Hiſtor. Neapol. lib. 2. pag. 355.

Johan. Anton. Summont. nel l. 1. dell' Iſtorie della Città, e Regno di Napoli pag. 354. & ſeq. prim. edit. Neapol. an. 1601.

IV.

IV. Verum ſub eumdem annum 1626., vel paulo poſtquam ſcripſit Laccheus, profuſam aliam vitam ab anonymo auctore Langobardica manu exaratam typis ediderat laudatus vir eruditus Antonius Caracciolus; quam ex Bibliotheca Theatinorum Neapolitana, & Torenſi, ut ipſemet refert, eruerat, notiſque ſcitiſſimis illuſtraverat. Huic poſtea P. Beatillus Societatis Jeſu perſimilem adornavit, eamque ad Bollandum, Henſcheniumque tranſmiſit, qui in acta ſanctorum magno ab ipſis labore conquiſita integram ad XVI. Kalendas Martj intulerunt. Hoc idem fecit P. Lucas D'Achery. Pater vero Mabillonius acceptas ex hoc eodem Caraccioli codice notitias in compendium redegit, derivavitque in Annales, quos condidit, ordinis ſancti Benedicti.

Cæſar. Molign. in Hiſt. Surrent.

Michael. Lacch. vitam S. Antonini Italice ſolidius compoſuit.

Octav. Beltrand. Nella breve Deſcrizione del Regno di Napoli.

Ughell. Tom. 6. Ital. Sacr.

Bollan. In Actis Sanctor. tom. 2. die 14. Februarj in Comm. præv. ad vit. S. Anton. §. 1. n. 2.

Luc. D'Achery in act. Sanct. Ord. S. Benedict. ad Secul. IV. part. 1. pag. 417.

Mabillon. tom. 2. Annal. pag. 534.

V. Hujuſce ignoti auctoris nomen, quum neque in ipſius codicis fronte, ut mos eſt, neque alibi reperiatur, temporum longinquitate ab hominum memoria elapſum omnino, atque expunctum eſt. Surrentinum vero fuiſſe dilucide colligitur ex plurimis ejuſdem vitæ locis, & præcipue ex Prologi num. 2. juxta ordinationem Bollandi, ubi de ſancto Antonino inquit: *Quando in has partes adveniſſet*. Atque ex his capitis 1. num. 3. verbis: *Sanctus iſte noſter Patronus Antoninus ad has partes adveniſſe dicitur*. Ac tandem ex cap. 7. num. 33. ubi ad ſanctum Antoninum oratione converſus ſubdit: *Et civitatem iſtam tuæ interceſſionis adjutorio protegas*.

Anonymum auctorem vitę S. Antonini Surrentinũ fuiſſe conjicitur.

VI.

Quo tempore idem Scriptor floruerit.

VI. Obſcurum quoque eſt, & perplexum, qua hic ſcriptor ætate floruerit, vitamque exaraverit ſancti Antonini. Lucas Dacheryus tempore incurſionis in amœniſſimas Crateris oras a Saracenis factæ opinatur eum in vivis extitiſſe, id ex ipſo deducens Anonymo, qui referens apparitionem ſancti Antonini cum aliis quatuor ſanctis Surrentinis Patronis contra Saracenos, eam ſibi, aliiſque narratam fuiſſe ab uno ex ipſis piratis, ita teſtatur. *Quo referente, ſeſeque unum ex perſequentibus eſſe affirmante quinque jam nominatos ſanctos tali habitu, & forma in navi Regia apparuiſſe didicimus*. Qua auctoritate adductus Dacheryus ſic ratiocinatur. *Si conſtaret quo tempore acciderit Saracenorum in Neapolitanos, & Surrentinos impreſſio, facile etiam conſtare poſſet de ipſius auctoris ætate, qui eo tempore in vivis erat, ut patet ex num. 24. Atqui impreſſio contigiſſe videtur ſeculo nono, ut in dicto num. 24. dicemus &c.* In notis vero ad prædictum num. 24. deſcendere videtur in ſententiam Caraccioli impreſſionem illam circa annum 849. accidiſſe ſuſpicantis. Quare concludit ſeculo nono in vivis fuiſſe Anonymum, & ſancti Abbatis vitam ea tempeſtate adornaſſe.

Anonym. juxta Dacher. ordination. n. 24.

Luc. Dacher. in act. Sanct. loc. cit.

Hæc vero conjectura non ita firma eſt, ut dubietatem omnem excludat; contra enim eam quiſpiam reponere poſſet, verbum illud *didicimus* non ad Anonymum ipſum eſſe referendum, ſed potius ad majores ſuos cives Surrentinos, per quos ad ſua uſque tempora traditio illa fortaſſe dimanaverat.

rat. Et revera *Didicimus* fere idem aliquando ſonare videtur, quod verbum *Accepimus* apud veteres Hiſtoriographos, præcipue apud Livium, qui rei alicujus notitiam tantum a majoribus ſuis tempore longe ſuperiori habitam, & per longum temporis intervallum continuatam verbo hoc *Accepimus* aliquando ſolet exprimere, quaſi ipſe etiam inter alios tunc accepiſſet; & hoc nomine *Nos* gentem, & nomen Romanum, ſive majores ſuos, qui longe antea vixerant, conſuevit ſæpe numero ſignificare. Hinc poſſet quis ſuſpicari verbum illud *Didicimus* magis dicendi conſuetudini dandum, quam definiendæ Anonymi ipſius ætati. Attamen nos hujuſce ſcriptoris ſimplicitatem attendentes hac in re facile aſſentimur Dacheryo, licet ſuæ, ſuique ſimilium opinioni de ætate ſancti Antonini ſubſcribere nullo modo poſſimus, ut infra patebit.

VII. Et profecto antiquiſſimum fuiſſe Anonymum, & priorem non modo Antonio de Ebulo, & Romæo, verum etiam ſeculo duodecimo conjicimus cum ex characteribus Langobardis, quibus ea vita deſcripta eſt; hi enim jam quinque ſunt ſecula, ex quo exolevere; tum ex cotidiana illa finitimorum populorum frequentia; qui ad Ædem ſancti Michaëlis in monte Gauro, vulgo *Faito*, religionis ergo ea Anonymi tempeſtate, ut ipſe teſtatur, turmatim confluere ſolebant. Ea ſiquidem tot, tantiſque ab hinc annis intermiſſa eſt, ut illius tam frequentis cotidiani

diani concurſus Caraccioli ætate non ſolum nemo unus recordaretur: ſed ne majores quidem eorum, qui Caraccioli tempore vigebant, filiis ſuis, ut mos eſt, narraſſent ſe vidiſſe, vel ab avis, atavisque fortaſſe audiiſſe ſpectatoribus. Adeo magnum annorum intervallum effluxerat, ex quo ſe fideles ab ea cotidiana conſuetudine deſueverant, piumque morem intermiſerant, ut illius memoria pene ab hominum mente obliterata decidiſſet.

A.Baillet.tom. 1.De les Vies des Saints 14.Fevrier.

VIII. Sed ut ad ſcriptores redeamus, A. Baillet, qui ſanctorum virtutes, ac geſta magnis voluminibus Gallico idiomate nuperrime complexus eſt, tomo 1. ſancti Antonini vitam attexuit: quam etiam in Synopſim redactam paucis abhinc retro annis P. Nicolaus Gjannettaſius Societatis Jeſu inſeruit hiſtoriæ ſuæ Regni Neapolitani in quibuſdam Capacium, in aliis Romæum, alioſque ſecutus. Poſtremo vero ſancti Antonini vitam ex Bollando excertam Gallice elucubravit Mater Jacoba Boetta Blemuria Benedictini Ordinis Sanctimonialis admodum laudata, & celebrata a doctiſſimo Petro Daniele Huetio Epiſcopo Abrincenſi ſibi ſanguine conjuncta, cujus vitam, & elogium tradidit Johannes Mabillonius. Verum ipſam aliquoties deceptam fuiſſe in rebus præſertim Geographicis minime dubitandum. In vita ſiquidem ſancti Antonini ſcripſit hunc ſanctum ortum eſſe in Campania ex quadam civitate appellata Picentina; quum neminem Geographiæ tirunculum lateat Picentinos provinciam incoluiſſe prope Campaniam,

Gjannett. In Hiſt.Regn.Neap. Decad. 1. lib. 4. pag. 75.

paniam, de qua abunde in ſecunda parte hujus operis dicemus; neque ullam extitiſſe ibi hujuſce peculiaris nominis civitatem, aliaque ejuſdem menda Geographica alibi indicabimus. Eam autem a Blemuria elucubratam ſancti Antonini vitam qui legere volet, adeat diem 14. Februarj anni Benedictini, quem illa ex ſanctis tantummodo Benedictinis ſingulis diebus duas ejuſmodi ſanctorum vitas tribuens concinnavit.

IX. Extat adhuc & vetus ſancti Antonini Lectionarium anecdotum in quodam ms. Archivi Surrentini codice ab incurſionibus piratarum, incendiiſque divina providentia ſervato: in quo præterea hymni, lectioneſque perantiquæ aliorum Surrentinorum Patronorum inſcriptæ ſunt. Illud primum Caracciolus, inde Bollandus tranſcribentes typis ediderunt. Antiquiſſimum etiam illud eſſe putamus, & quondam in Surrentina Diœceſi fuiſſe a Clero recitatum conſtans eſt Surrentinorum traditio; a qua fortaſſe conſuetudine jam inde a tempore ſancti Pii V. qui Breviarium Romanum juxta Sacroſancti Concilj Tridentini præſcriptum reformavit, illudque incertis per eam ætatem legibus vagum certa, ſtataque orandi methodo illigavit, ceſſatum eſt.

X. Ceterum quum in comperto ſit pleraque vetera Surrentinæ urbis monimenta miſerrime periiſſe, a Caraccioli opinione, cui videtur etiam adhærere Bollandus, ipſi pariter minime abhorremus, in tanto ſcilicet annorum lapſu, ac

R tem-

temporum varietate complures extitiſſe ſcriptores e Surrentina urbe, aut regione, ut amœnitate ſua, ita præſtantiſſimorum, piorumque ingeniorum fertilitate nemini ſecunda: & Biographo illo, ut Caraccioli verbis utar, etiam longe illuſtriores, qui etſi religione commoti ſancti Antonini vitam poſteritati diligentius elucubrarint: tamen nunc prorſus lateant in obſcuro, eorumque codices vel diſcerti ſint, vel flammis conflagrarint in tot, tantiſque illatis tum Campanis, tum maxime Picentinis a Barbaris cladibus, direptionibuſque, a Gothis videlicet, Wandalis, Langobardis, Saracenis, Nortmannis, noviſſimeque ab immani illa Turcarum depopulatione, qui anno 1558. ingenti adornata claſſe Brunduſium prætervecti, ac freto Mamertino ſuperato, & capto, direptoque Rhegienſi oppido, Strongylen cædes, incendiaque toti Italiæ minitantes appulerunt, unde præter opinionem in ſinum Salernitanum, ac Surrentinum effuſi (ut tradit præter noſtrates ſcriptores inter alios exteros Jacobus Auguſtus Thuanus,) & in litore, quod eſt contra Sirenuſſas, vulgo *Iſole de' Galli*, excenſione facta, populatiſque prius obviis Lubrenſis Maſſæ vicis, Surrentum præſidio nudatum inſperato invaſerunt; ibique incenſo Archiepiſcopali Palatio, Archivoque, expilatam, ſpoliatamque civibus, & fortunis urbem tantum non funditus everterunt; quo quidem tempore hoſtium colluvionem, immanitatemque ipſi etiam antiqui, qui ſupererant, codi-

Thuan. in Hiſt. ſui temporis tom. 1. lib. 10. pag. 406. edit. Francofurt.

Digitized by Google

codices experti ſunt, & præſertim vetuſtus ille Langobardica manu exaratus, qui una cum monaſterio ſanctorum Johannis, & Pauli, ubi is a ſacris illis Virginibus ſervabatur, incenſus fuit; (quod monialium monaſterium ibidem inde inſtauratum fuit, & ſancti Johannis Chryſoſtomi nuncupatum, cui poſtremo titulus acceſſit ſancti Pauli, a quo, eo tandem ſibi aſcito nomine, in præſentia denominatur.) Ex hoc codice omnia ſe ſumſiſſe Antonius Ebulenſis teſtatur, ut tradit Romæus. Verumtamen quæ pauca ex ea calamitate erepta fuerunt monimenta opera quorumdam Scribarum, ſive Notariorum, qui pedibus promtiores cum aliquot ſcripturis in proximum Planum verſus elapſi, quo hoſtes temporis anguſtia non pervenerunt, Numinis providentia evaſerunt incolumes, in Archiepiſcopali Archivo, Surrentiniſque chartophylaciis cuſtodiuntur, in quibus de ſancto Antonino quædam ipſa vetuſtate pene conſumta, ac laciniis ſparſim interpolata leguntur. Et plura quidem e Barbarorum invaſione, ferítateque Surrentinorum induſtria fuiſſent exemta, ſi qui ad vicinos montes confugerunt, in eoſdem Turcas ab ipſis montibus appetentes, irruenteſque non incidiſſent. Superſunt tamen Surrenti in libris chartaceis nonnulla exempla hujus vitæ ab Anonymo conſcriptæ, & unum præſertim in Bibliotheca Torenſi Clericorum Regularium Vici Æquenſis, quod jam inde ab anno fere 1530. deſcriptum fuit ex antiquiore codice Langobar-

Romæus in epiſt. dedicat. Libelli ſui De Quinq. Div. Cuſt. ac Præſidib. urb. Surrent.

 dico

dico (antequam is alio aſportaretur) a quodam Andrea monacho monaſterj ſancti Renati , quod Patres Benedictini adhuc incolunt in agro Surrentino , apud quos erat is codex , uti teſtatur diligens antiquitatum indagator Bartholomæus Chioccarellus , qui exemplum ſuum cum illo contulerat . Hoc fortaſſe exemplum in manus pervenit Pauli Regj Vici Æquenſis Epiſcopi , qui illud Torenſi Bibliothecæ dono dedit ; quod inde Caracciolus e chartis papyraceis erutum typis evulgavit , ut ipſemet teſtatur .

Caracciol. in Præfat. ad lectorem , quam præmiſit notationibus ad Vitam ſancti Antonini .

CAPUT II.

Quid de ſancto Antonino in Martyrologio inveniatur .

I. HActenus eorum , quotquot comperire potuimus , qui de ſancto Antonino ſcripſerunt , prout noſtræ tenuitati datum eſt , indiculum tradidimus : modo quid de eodem ſancto ex Martyrologiis deguſtari poſſit , haurire aggrediamur . In Martyrologiis dies , quibus ſancti viri inter tormenta animam efflantes ad cœleſtem patriam evolarunt , eorumque nomina , & paſſionis loca primo annotare conſuevit Eccleſia . Iis deinde inſcripti fuerunt Confeſſores , ac Virgines , ceterique , qui quamvis extremum in pace diem clauſerant : mundi tamen illecebras , & oblectamenta ſuſque deque habentes , ac pravis obſiſten-

V. Ludov. Thomaſſ. De Nov. & Vet. Eccl. Diſcipl. part. 1. lib. 2. cap. 77. n. 8.

V. S. Gregor. Ad Eulog. Alexandrin. lib. 7. Epiſt. 29. indict. 1.

obſiſtentes animi motibus, ut corpora in ſervitutem redigerent, genus quoddam martyrj pertuliſſe videbantur.

II. Compendioſum hunc ſcribendorum Martyrologiorum morem in Eccleſia primum inveхiſſe putant plerique Euſebium Cæſarienſem, eumque excepiſſe ſanctum Hieronymum, & ſequiorum ſanctorum annotatione Martyrologium adauxiſſe. Hoc quidem Martyrologium nomine ſancti Hieronymi inſignitum una cum Comite, ſive lectionario ejuſdem ſancti Hieronymi, in quo lectiones, & prophetiæ ſingulis quibuſque diebus tunc recitandæ in Eccleſia indicantur, adhuc extat. Utrumque tamen hoc opus ſpurium eſſe contendit ex Heterodoxis Guilielmus Cave, etſi Martyrologium ex ms. Corbejenſi ediderit Dacheryus, & lectionarium doctiſſimus Jacobus Pamelius Lovanienſis, & ut genuinum tutatus fuerit præcipue auctoritate Alcuini, Amolarj, ac Bernonis Augenſis; cui Pamelio inde adhæſit ſcitiſſimus Cardinalis Bona.

Guilielm. Cave De Script. Eccleſ. Hiſt. in Hieronym.

Dacher. tom. 2. Spicileg. ult. edit. Pariſien. ann. 1723

Pamel. Liturg. Eccl. tom. 2. Prolog. 2.

Cardin. Bon. de Singul. part. divin. Pſalmod. cap. 16. §. 19. n. 2.

Quod autem ad Martyrologium ſpectat, illud ut apocryphum rejicit doctiſſimus Cardinalis Baronius, quemadmodum etiam epiſtolam Chromatj, & Heliodori Epiſcoporum, qua illud a ſancto Hieronymo efflagitabant, & hujus ſancti Doctoris reſponſiones ad eoſdem. At vero ſuperiori ſeculo Franciſcus Maria Florentinius nobilis Lucenſis ſancti Hieronymi Martyrologium edidit cum hoc titulo: *Martyrologium divo Hieronymo a Caſſidioro,*

Baron. in Præfat. Martyrol. Rom. cap. 9.

ſiodoro , Beda , Walfrido , Notkero , aliiſque ſcriptoribus attributum . Contenditque ipſum eſſe antiquiſſimum Romanum Martyrologium , de quo mentio apud ſanctum Gregorium Magnum , ſed a poſterioribus nonnihil adauctum : ſuamque ſententiam propugnat in primis auctoritate Lucæ Holſtenj , qui hoc opus autographum ſe vidiſſe perhibet in Hiſpaniis in celeberrima Bibliotheca Schoriali ſancti Laurentj , ac teſtimonio Gherardi Voſsj , qui de eodem opuſculo ibidem extante meminit . Verum hoc ipſum , non autem illud , quod mancum edidit Roſweydus , idem omnino eſſe ducunt ac Martyrologium a ſancto Gregorio memoratum validis adducti rationum momentis quique noſtræ memoriæ ſcriptores , atque in primis eruditiſſimi Patres Societatis Jeſu Conradus Janninghus , & Johannes Baptiſta Sollerius Bollandi continuatores . At hæc , quæ non vacat heic prolixius expendere , alibi ad exactiorem trutinam fortaſſe revocabimus .

Caſſiod. lib. de divin. lection. cap. 32.

Bed. in Retract. in Act. Apoſtol. cap. 1. ubi interpretem hujus Martyrologj fuiſſe S. Hieronymū tradit .

Vvalfr. Strab. in lib. de rebus Eccl. cap. 28. ubi Euſebj Martyrol. proſecutum fuiſſe Hieronymum aſſerit .

S. Greg. cit. epiſt. ad Eulog.

Luc. Holſten. in epiſt., quam dedit ad M. Ducem Hetruriæ .

Gherard. Voſſ. lib. 2. cap. 17. de Hiſtoric. Græc.

V. Henric. Alexium In Diſſert. de Martyr. Rom. quod edidit Roſvveyd .

Dacher. loc. cit. alioſque.

Janningh. & Soller. Tom. 3. Invicto Imperatori noſtro Carolo VI. dicat.

III. Verumtamen , ut accurate pro re noſtra procedamus , heic obiter advertere non omiſerimus doctiſſimum Cardinalem Baronium , quem ſemper ſuſpeximus , & honoris gratia volumus nominatum , in præfatione Martyrologj Romani aliquantulum oſcitanter antiquos Martyrologos recenſuiſſe . Enumerat enim primo Bedam , deinde Florum , tum Uſuardum monachum ſancti Benedicti , quem ſcripſiſſe putat temporibus Caroli Magni ; poſt hos Wandalbertum Diaconum , ac Mona-

Monachum Prumienſis cœnobj., quem claruiſſe autumat ſub Lothario Imperatore anno 850., & poſtremo Adonem Trevirenſem. Epiſcopum, quem vixiſſe perhibet temporibus Gregorj VII. Quum juxta rectam, exactioremque Chronologiam ita potius hi ordinandi fuiſſent ſcriptores, ut primo accenſeretur Beda, qui Martyrologium ſcripſit circa annum 705., ſubinde Florus, qui in vivis erat circa annum 760., tertio Wandalbertus, qui revera ſub Lothario circa annum 850. heroico carmine, ſeu metrico ſtylo, ut inquit Sigebertus Monachus Gemblacenſis Martyrologium condidit. Neque erat ſilentio prætereundus Rabanus Maurus, qui ſub idem tempus in eadem ſparta elaboravit; tum ſubſtituendus Ado, qui hujuſmodi opus ſub annum 857. elucubravit, nequaquam ſancto Gregorio VII. coævus, qui Pontificatum Romanum auſpicatus fuit anno 1073. ac denique huic catalogo inſerendus Uſuardus, qui eadem ferme Adonis ætate circa annum 876. additamenta ad Martyrologium concinnavit.

De Vvidalb. vide Sigebert. de Viris illuſtr. cap. 129. Trithem. de vir. illuſtr. Ord. S. Bened. cap. 36. Mirçû de Script. Eccl. cap. 316. ad ann. 840. & Luc. Dacher. Spicileg. Tom. 2. edit. ultim. Pariſien. ann. 1723. In Martyrolog. Vvandalbert.

IV. At vero Chronologici Baronj lapſus, ſi ita dicere fas eſt, circa Uſuardum, in quem inciderunt etiam Bellarminus, Labbeus, aliique, cauſſam detexit Caſimirus Oudin, & poſt eum Du-Pinus. Legerat ipſe clariſſimus Baronius prologum Uſuardi, ubi opus ſuum Carolo Magno nuncupabat, & Sigebertum de Uſuardo ſcribentem: *Provocatus ſtudio Hieronymi, & Bedæ, maxime autem animatus ſtudio, & juſſu Magni Caroli*

Bellarmin. de Script. Eccl. Oudin. in Supplem. de Scrip. Eccl. Du-Pin Novelle Bibliot. Des Auteurs Eccl. tom. 7. Chiap. 16. dans les notes. Sigebert. de Vir. illuſtr. cap. 85.

roli Imperatoris . . . integrum Martyrologium effecit . Atque ita facile ſibi perſuaſit Caroli Magni ætate eum vixiſſe . Verum Carolum Calvum eodem quoque epitheto *Magni* ornatum fuiſſe præcipue ab anno 875. , quo exeunte , Romæ Imperator coronatus fuit , uſque ad annum 877. , quo obiit , advertit Oudinus . Ceterum quum in Uſuardi manuſcriptis inveniatur ſanctus Eulogius martyr , qui Cordubæ paſſus eſt anno 859. aliique ejuſdem ævi martyres , apertiſſime liquet Uſuardum poſt tempora Caroli Magni , & Caroli Calvi tempeſtate vixiſſe , ſuumque hoc opus circa annum 876. compilaſſe . Plura qui deſiderat , conſulat ipſum Oudinum .

Quod vero ad Adonem ſpectat , ſecutus eſt Baronius Aloyſium Lippomanum , qui primus ex mss. codicibus erutum typis edidit Adonis Martyrologium , quod Adoni Trevirenſi Epiſcopo tribuit , qui re vera ſub Gregorio VII. floruit . At vero accuratiores critici potius Adonis Viennenſis Epiſcopi opus exiſtimant , ſcriptumque opinantur circa annum 855., vel 857., aut , ſicuti aliis placet , circa annum 859. Atque hæc bono lectoris breviter attigiſſe ſufficiat .

V. cit. Bellarm. In utroque Adone Du-Pin. loc. cit. Heribert. Roſvveyd. In Not. ad idem Martyrol. & Heterod. Guilielm. Cav. In Adone , alioſque .

V. Porro quantum ad rem noſtram , vindicata Martyrologiorum auctoritate , advertimus in illo Uſuardi Lovanj edito a Johanne Molano anno 1568. cum notis , atque additamentis ex Martyrologio Eccleſiæ Romanæ , aliarumque nullam ſancti Antonini Abbatis nos mentionem reperiſſe ;

neque

neque ullam apud laudatum Franciſci Mariæ Florentinj Martyrologium Lucæ editum anno 1668. cum ejuſdem notis.

Vidimus præterea Romæ in celeberrima Bibliotheca Angelica PP. Auguſtinianorum Martyrologium Papiæ vetuſtiſſimis formis excuſum anno ſcilicet 1487. in membranis, ſeu chartis pergamenis plerumque rubricatis, in quo nullum ſancti Antonini Abbatis nomen legimus. Neque quidquam ſimile invenimus in illis quamplurimis Martyrologiis, quæ Sollerius edidit una cum illo ms. in præſtantiſſima Bibliotheca Barbarina, in quo, ut notavimus, & divus Antoninus Abbas, & menſis, in quo obiit, omnino deeſt. Quapropter rectiſſime videtur exiſtimaſſe Bollandus, qui primum a Cardinale Baronio ſanctum Antoninum Martyrologio Romano adjectum fuiſſe putat.

Soller. cit. tom. 3.

Verum Antonius Caracciolus ſe duo Martyrologia Pulſanenſe ſcilicet, & illud antiquiſſimæ Eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Pleſco in Apulia, quæ in ms. codice habentur Neapoli in Bibliotheca ſanctorum Apoſtolorum apud Clericos Regulares, vidiſſe perhibet, atque aliud Florentiæ evulgatum anno 1436. opera Antonj Veſpucj Canonici, in quibus ſanctus Antoninus ſub Confeſſoris tantum nomine Idibus Februarj aſcriptus eſt. At in ms. Kalendario Neapolitanæ Eccleſiæ ſancti Eligj etiam a ſe perſpecto 16. Kalendas Martj, ut in Martyrologio Romano, ſanctus Antoninus Abbas, ipſo Caracciolo teſte, inſertus eſt. Sed de his alias re-

Anton. Caracciol. In S. Antonin. teſtim. quæ notationib. in ejus vitam præmiſit.

S cidet

cidet ſermo. Hæc quidem omnia peculiarium Dioeceſeωn Martyrologia ſtatuit Bollandus, a quo hac in re non diſſentire nullo modo poſſumus; ſi enim peculiaria eſſent, Eccleſiæ Surrentinæ potius, ubi ſanctus Antoninus mortem oppetiit, non aliarum eſſe deberent. Hinc rectiſſime Cardinalis Baronius omnia Catholicorum Martyrologia docet e Romano dimanaſſe, quod a ſancto Clemente potius initium ſumſiſſe credimus, qui ſeptem Romanis regionibus a ſe diviſis ſeptem Protonotarios ad acta martyrum colligenda præfecit; cui Martyrologio ideo ceterarum Eccleſiarum ſancti inſerti reperiuntur, quod Romana Eccleſia univerſum Orbem Chriſtianum pro ſua Dioeceſi habeat. In hoc autem Romano Martyrologio, ut cuique facile eſt advertere, ita legitur de ſancto Antonino XVI. Kalendas Martj. *Apud Surrentum ſancti Antonini Abbatis, qui e monaſterio Caſinenſi a Langobardis devaſtato in ſolitudinem ejuſdem urbis ſecedens, ibidem ſanctitate celebris obdormivit in Domino: cujus corpus cotidie miraculis, & præſertim in liberandis Energumenis effulget.* Atque hæc in monaſtica ſua Martyrologia tranſcripſerunt Arnoldus Wion, Hugo Menardus, & Benedictus Dorganius. Cardinalis vero Baronius in annotationibus ad idem Martyrologium ſubdidit: *Plura de ipſo* (ſancto Antonino ſcilicet) *in monimentis Eccleſiæ Surrentinæ, quibus tam ejus res geſtæ, quam miracula poſt obitum facta intexuntur. Edidit eadem Paulus Regius. Migravit ex hac vita* (*ut ferunt*) *anno*

Hugo Menardus die 14. Febr. Martyr. ſanct. ord. Div. Bened. edit. Paris. 1629. pag. 14.

anno Domini 625. Honorio Romano Pontifice. Quæ autem noſtra ætate ad ſepulcrum ejus admiranda fiunt, percepi non a quibuſvis narrata, ſed a ſinceriſſimis, prudentiſſimiſque Sacerdotibus, qui interfuerunt. Quibus Baronj verbis adductus fortaſſe Ferrarius in Topographia eidem anno 625. ſub eodem Pontifice ſancti Antonini obitum tribuit. Atque hæc circa ſanctum Antoninum de Martyrologiis indicaſſe ſatis, ſuperque ſit.

Philip. Ferrar. In Nov. Topograph. in Martyrol. Rom. lit. S. ubi de Surrento.

CAPUT III.

Qua ætate ſanctus Antoninus vixerit.

I. QUamquam adeo varii ſcriptores acta ſancti Antonini mira conſenſione memoriæ prodiderunt: tamen circa tempus, quo in vivis verſatus fuerit, & mortalitatem exuerit, in diverſa abierunt. Parcendum nihilominus, quum difficillimum prorſus ſit circa id quidquam omnino certi ex tenebricoſis temporum involucris eruere. Atque hinc eſt, quod non tam facile patiamur Antonium Caracciolum, virum alioqui eruditum, rerumque Gothicarum ſcitiſſimum, qui quaſi indubium tempus reperiſſet, ceteris lætabundus inſultat his verbis: *Video ſiquidem recentiores, qui de vita hujus ſcripſerunt magno conſenſu, ſed nulla prorſus Chronologiæ, quæ lux hiſtoriæ eſt, conſideratione, in quamdam plane abſurdam,*

Nova Patris Antonj Caracciol. de vita S. Antonini hypotheſis fuſe refellitur.

dam, & ſecum pugnantem conveniſſe ſententiam, atque aſſeveraſſe beatum Antoninum tunc emigraſſe Stabias, quum Zoto Dux Langobardorum Caſinenſe monaſterium diripuit, atque vaſtavit. Quapropter ſententiam aſſerentium ſexto ſeculo floruiſſe ſanctum Antoninum, vitamque uſque ad ſeculi ſeptimi initium produxiſſe, tamquam abſurdam, ſecumque pugnantem execratus, eam conatus eſt infirmare, immo potius evertere his præſertim rationibus. Primo, quod laudatus in ſuperiori capite ſcriptor Anonymus obſidionem referens Surrentinæ civitati a Sicardo illatam ſub annum 834. ut nos conjicimus, & poſtea dicemus, addat contigiſſe *Non multo tempore evoluto poſt diſceſſum ſancti Antonini*. Quod a vero ſane abſonum eſſet, ſi ſanctus Abbas e vita migraſſet circa initium ſeptimi ſeculi; duorum enim ſeculorum hiatus multum temporis ſpatium involvit.

Anton. Caracciol. In Notation. ad vitam S. Antonin. n. 3.

II. Secundo, quod ſanctus Antoninus familiariter verſatus fuerit cum ſancto Catello Stabienſem Epiſcopalem ſedem tenente; quam ea tempeſtate, initio ſcilicet ſeptimi ſeculi, non ſanctum Catellum, ſed B. V. Laurentium potius occupaſſe colligit ex antiqua inſcriptione marmori inciſa, quam Æquis ſervari refert Capacius. Præterea, quum Anonymus, & vetuſtæ ſancti Antonini lectiones ferant, ſanctiſſimum Abbatem Stabias adveniſſe, dum *Langobardi Campaniam longe, lateque vaſtarent*, elicit contra aliorum ſententiam, ſanctum Antoninum in Caſinenſi mona-

Caracciol. ibidem.

Capac. In Hiſt. Neap. lib. 2. cap. 10. ubi de Epiſc. Stabien.

Caracciol. loc. cit.

monaſterio nunquam fuiſſe commoratum, neque illinc Stabienſe in caſtrum commigraſſe. Caſinum quippe non in Campania, ſed in Latj confiniis, & proprie in Volſcis extructum fuiſſe contendit.

Hæ, aliæque id genus, & minoris etiam momenti conjecturæ Caracciolum acuerunt, ut aliam, novamque proprio marte ſententiam excuderet: quamobrem excogitavit ſanctum Antoninum ex aliquo Campaniæ cœnobio Stabias ſe recepiſſe tunc, quum Sico Beneventi Dux ſub noni ſeculi initium, anno ſcilicet 818. *Campaniam longe, lateque populatus Neapolim etiam longa obſidione fatigavit*. Atque ad hanc ſuam ſententiam omnia, quæ in vita ab Anonymo exarata leguntur, recta ſpectare, eique congruentius, aptiuſque reſpondere exiſtimavit. Idem. n. 3.

III. Nobis vero (quod bona pace tanti viri dictum ſit) ſua iſthæc opinio minime ſedet; quum neque tanti ponderis, neque eæ videantur excogitatæ ab ipſo conjecturæ, ut infra oſtendemus, quæ antiquiſſimam, ſtabilem, inconcuſſamque Eccleſiarum Surrentinæ, & Stabienſis traditionem, quæque tot auctorum concordi in unum convenientium voto, & Martyrologj Romani, quod caput eſt, auctoritatem infirmare valeant, & convellere. Ex his enim omnibus habetur, ſanctum Antoninum e Caſinenſi cœnobio a Langobardis rebus omnibus exhauſto, exciſoque Stabias ad ſanctum Catellum confugiſſe. Audi verba Martyrologj Romani: *Apud Surrentum ſancti Antonini Abbatis*, Die xiv. Februarj

batis, qui e monaſterio Caſinenſi a Langobardis devaſtato in ſolitudinem ejuſdem urbis ſecedens, ibidem ſanctitate celebris obdormivit in Domino.

IV. Et licet hæc a Paulo Regio quaſi levioris auctoritatis, & non adeo purgatæ critices ſcriptore hauſiſſe Cardinalem Baronium, & Martyrologio inſeruiſſe cavilletur Caracciolus, ut fidem earum rerum minus firmam reddat non ſine tanti viri injuria: tamen nos, qui tam eximio Cardinali, quantum omnigena ſua eruditione conſecutus eſt, tribuendum putamus, non ita facile induci poſſumus ad credendum, eum inconſiderate, & præpropere verba illa Martyrologio addidiſſe; quinimmo opinamur eruditiſſimum virum, revocatis prius ad trutinam Surrentinæ Eccleſiæ monimentis, diſcuſſis omnibus, quæ a Paulo Regio, aliiſque ſcriptoribus de ſancto Antonino enarrantur, luſtratis etiam vetuſtioribus Martyrologiis, in quorum nonnullis, vel ipſo Caracciolo teſte, ut ſuperius diximus, ſancti Antonini mentio inſerta eſt, ponderatis inſuper iis, quæ a Surrentinis fide dignis acceperat, omnibuſque id genus aliis mature perpenſis, ea verba Romano Martyrologio appoſuiſſe. Quid ni? Hoc profecto nobis perſuadet tanti viri dignitas, atque eruditio. Et quamvis in annotationibus ad idem Martyrologium de ſancto Antonino hæc ſubdens: *Plura de ipſo in monimentis Eccleſiæ Surrentinæ, quibus tam ejus res geſtæ, quam miracula poſt obitum facta intexuntur. Edidit eadem Paulus Regius*: Paulum

lum Regium auctorem tantummodo conteſtetur: tamen id honoris gratia, ut mos eſt, eum factitaſſe crediderimus; quod ſcriptor eſſet ſuæ ætatis, & non adeo infimæ notæ, ſibique etiam neceſſitudine fortaſſe conjunctus.

V. Nos igitur his, aliiſque adducti rationum momentis aliam a Caracciolo ſententiam, antiquiorem ſcilicet, & magno ſcriptorum numero comprobatam tenemus, confirmamuſque ſanctum Antoninum, quum Zoto, ſive Zotto, vel Zotho, aut Zuto (adeo variant in eo nominando ſcriptores) Langobardus Beneventi Dux, exercitu comparato, Caſinenſem montem adortus, ipſum una cum propinquis vicis enormiter fœdavit, ac Benedictinorum cœnobium, ut ſanctus ipſe Benedictus, teſte ſancto Gregorio Magno, prædixerat, depopulatum, direptumque miſerrime devaſtavit circa annum 589., ut ab ea ſe calamitate, ac diſcrimine eriperet, alio contendiſſe, ac Stabias divertiſſe ad ſanctum Catellum, qui vel ea tempeſtate erat, vel paulo poſt, anno ſcilicet 600., illius urbis creatus fuit Epiſcopus; aut quod eſſet gentilis ſuus, uti Caracciolus conjicit; aut quod in ea remota, ac munitiori urbe a deprædantium ubique hoſtium injuriis tutiorem ſe eſſe duceret. Unde ſtrictiori mutuæ neceſſitudinis vinculo copulati una ambo in montem Aureum, ſeu Gaurum, quem indigenæ hodie vocitant vulgo a fagorum copia *Faito*, ſolitudinis ſtudio ſeceſſerunt, ubi a ſancto Archangelo Michaële noctu

S. Greg. Magn. Dial. lib. 2. c. 17.

Synopſis vitæ S. Antonini.

Digitized by Google

ctu admoniti eidem ædiculam excitarunt. Interea apud Sabinianum Pontificem Maximum, qui circa annum 605. ſancto Gregorio Papæ ſucceſſit, vel apud Bonifacium III. Sabiniani ſucceſſorem per calumniam a ſuis oppidanis accuſatus ſanctus Catellus, & Romam pertractus, ibi in cuſtodia detentus eſt, quouſque a ſancto Bonifacio IV. Bonifacj III. ſucceſſore divinitus monito liberatus fuit, & Eccleſiæ ſuæ honorificentiſſime reſtitutus. Hoc deinde mortuo, ſanctus Antoninus poſt aliquot annorum ſpatium Surrentum illius civium precibus indulgens ſeſe recepit; ubi mortuo Bonifacio cœnobj Agrippinenſis, in quo Antoninus ipſe morabatur, Præſide, concordi monachorum ſuffragio in ejus locum ſuffectus, atque Abbas renuntiatus uſque ad ſummam ſenectutem varia edens heroicæ virtutis, & ſanctimoniæ ſpecimina permanſit, ibique obiit circa annum 625., vel 630.

VI. Ita quippe rem ſe habere æquius eſt credere; nam quum plerique omnes referant ſanctum Antoninum e monaſterio Caſinenſi a Langobardis devaſtato ſe Stabias proripuiſſe, nequeunt profecto de alia vaſtatione intelligi, niſi de ea, quæ a præfato Zotone Langobardo Beneventi Duce illi cœnobio illata fuit ſub annum, ut diximus, 589. juxta exactiorem Chronologiam, cui adhæret Carolus Sigonius. Et licet id anno 568. Leo Oſtienſis, poſt quem abiit Scipio Ammiratus, accidiſſe tradat: tamen mendum potius in

Carol. Sigon. De Regn. Ital. lib. 1. ad an. 589. pag. 15.

Leo Oſtien. In Chron. Caſin. c. 2.

in ejus codicem irrepſiſſe putamus, ut nobiſcum opinatur eruditiſſimus Abbas Angelus de Nuce poſtea Ruſſani Archiepiſcopus. Neque Paulo Diacono aſſentimur, qui eam vaſtationem ad annum 605. protrahit; nam ſi diligentior deeſſet temporum ſupputatio, potius Leoni Oſtienſi noſtro judicio fuiſſet acquieſcendum; licet enim Oſtienſem tria fere ſecula Paulus Diaconus præiverit: illum nihilominus res ſui monaſterj ex aliis accuratius compilaſſe exiſtimamus. Præterea hæc ipſa devaſtatio a ſancto Gregorio Magno narratur in Dialogis, qui, ut colligitur ex ipſiſmet Dialogis, & firmat pluribus Baronius, exarati fuerunt anno 593. ante igitur hunc annum acciderat. Anno vero 605. vix in vivis erat S. Gregorius; circa id enim temporis mortem obiiſſe traditur.

Scip. Ammirat. delle Famiglie nobili Napoletane. De' Duchi di Benevento nella vita di Romoaldo II. Duca di Benevento IX, ed altrove.

V. Angel. de Nuc. In Not. ad cap. 2. Leon. Oſtien. in Excurſ. Chron. n. 48.

S. Greg. Magn. Dial. lib. 4. cap. 36. 47. & 55.

VII. Nec nobis clam eſt alias Caſinenſe monaſterium incurſiones, depopulationeſque antiquitus ſuſtinuiſſe, ut ipſemet Oſtienſis teſtatur: præcipue vero a Saracenis pridie Nonas Septembris anno Incarnationis Dominicæ 884. Verum ad haſce poſteriores direptiones ſancti Antonini ab eo cœnobio diſceſſus, & ætas nequit ullo pacto referri; tum quod Anonymus, cui Caracciolus ipſe polypi inſtar adhæret, ſeceſſum ſancti Antonini in Stabienſem Diœceſim factum tradat propter ferinam Langobardorum immanitatem; tum etiam quia jam inter Cœlites ſanctus noſter receptus erat; dum Saraceni, ſive Agareni Italicas oras, mœnia, & civitates populabundi in-

Oſtien. in Chron. Caſin. cap. 44.

vaderent ; e Cœlo enim dilapſus cum aliis quatuor Surrenti Divis, Patroniſque truci, ac minaci vultu claſſem piratarum terruit. Quam efferæ gentis infeſtationem ipſemet Caracciolus in annum 849. opinatur incidiſſe. Ad direptionem igitur, impetumque Caſinenſi cœnobio a Zotone illatum revocandus omnino eſt ſancti Antonini adventus Stabias, & ab illo monte diſceſſus.

Caracciol. In Notat. n. 25.

VIII. Neque heic nobis quiſpiam opponat, a Leone Oſtienſi memoriæ proditum, Caſinenſes monachos Zotonis impetus declinantes Romam ſe contuliſſe, ubi a Pelagio II. humaniſſime excepti cœnobium prope Patriarchium Lateranenſe extruxerunt; unde poſt annos 130. vel amplius ſub Abbate Petronace ope Gregorj II., vel III. Caſinum jam inſtauratum repetierunt. Quis enim non videt locutum fuiſſe Oſtienſem de potiori monachorum parte, qui Romam verſus, ibi certum apud univerſalis Eccleſiæ Paſtorem præſidium, perfugiumque ſibi fore ſperantes, in viam ſe dederunt? Ideoque laudatus Abbas de Nuce Oſtienſis commentator ſapienter advertit Romam non omnes ſe recepiſſe Caſinenſes, ſed nonnullos a ſociis aberrantes, palanteſque alio, ſalutis ſpe ſibi facta, conceſſiſſe, quorum unum ſanctum Abbatem noſtrum fuiſſe exiſtimamus. Neque diſceſſum illum, vel fugam vitio verti poſſe, aut a virtute abſonam putaveris, ſi ea præcipue conferes, quæ habet ſanctus Athanaſius in duplici Apologia de fuga ſua illis Evangelj verbis prorſus

Leo Oſtien. c. 2.

V. hac de re Excurſum Chronologicum Abbatis De Nuce contra Lauretum in Not. ad Leon. Oſtien. quo cum convenit Scip. Ammir. qui in vita Romualdi II. Beneventi Ducis IX. a Caſino monachos 152. annos abfuiſſe tradit.

V Abb. laudat. in Excurs. Chron. ad præd. cap. 2. Oſtien.

ſus conſona : *Si vos perſecuti fuerint in una civitate , fugite in aliam .*

IX. Verum enim vero, ut poſitam, ſtatamque hanc ſententiam altius firmemus, eique majorem accerſamus fidem, omnes Caraccioli rationes, vel potius dixeris, conjecturas, quibus hanc opinionem præſertim in Antonio de Ebulo infirmare, ſive mavis, funditus evertere conatur, ad incitas redigere aggrediamur, apologiamque pro ipſo de Ebulo ordiri : quamvis id non modo ſalebroſum, ſed etiam difficillimum, ac pene impoſſibile viſum ſit Bollando, Dacheryoque. Caracciolus igitur, qui ab Anonymi ſui auctoritate ſtudet ne latum quidem unguem diſcedere, veſtigato obſidionis Surrentinæ tempore a Sicardo factæ, quam putat accidiſſe anno, vel biennio ante, quam Sicardus Neapolitanis, Surrentinis, Amalphitaniſque pacem dedit anno 836., ut in ſuo Capitulari innuit idem Sicardus, inde ſubdit: *Quum jam ſatis conſtet ante Sicardum Principem in Cœlum migraſſe Antoninum, cogimur proinde illum ſtatuere circa annum ſalutis* 800. Et poſt pauca : *Neceſſe proinde erit figere beati Antonini ſeceſſum Stabienſem ad annum Chriſti* 818. Quo anno, ut addit Bollandus, qui Caracciolum excepit, Sico creatus Beneventi Dux, & Princeps bellum adverſum Neapolitanos ipſo mox principatus ſui initio movit. In eam rem conteſtatur Herempertum, ſive Erchempertum in Hiſtoria fuſiori, & Epitaphium lapidi inciſum, ex quo conſtare credit Caracciolus bel-

Antonj Caraccioli ſyſtema, præſumtæque apodixes exploduntur.

Capitular. Sicard apud Camill. Peregrin. In Hiſt. Princ. Langobard. pag. 72.

Caracciol. In Notar. num. 3.

Erchempert. In Hiſt. fuſior. n. 10. apud Peregrin. In Hiſt. Princ. Langob. Unde revera id non adeo certum, neque tam clare elicitur.

lum Neapolitanis a Sicone illatum fuiſſe, Bono Neapolis Conſule, ac Duce; & hunc e vita migraſſe anno ſalutis 819. colligit ex Indictione eidem Epitaphio fixa.

Caracciol. In Notat. n. 3.

Poſtremo ſic Caracciolus concludit: *Erat vero tunc jam ſenex ſanctus Antoninus; ſic enim vetus pictura imaginis ejus aperte ſignificat, ut mirum haud ſit non ultra duodecim annos produxiſſe vitam*. Omnia hæc excogitavit, concinnavitque proprio marte vir optimus, ut aſtrueret ſanctum Antoninum circa annum 800. vixiſſe, 818. autem non ex monte Caſino, ſed ex aliquo Benedictino Campaniæ monaſterio, & Caſinenſi Abbati fortaſſe ſubjecto Stabias confugiſſe, indeque migraſſe Surrentum, atque ibi anno 830. ſupremum diem expleviſſe.

X. Nos vero primum Caraccioli ratiocinationem merito convellendam putamus; quædam enim ipſe tamquam inconcuſſa, penituſque explorata figit, de quibus non levis eſt apud hiſtoricos diſcrepantia; hujuſmodi eſt exordium Beneventani principatus Siconis referre ad annum 818., quod alii ad 817. alii ad annum 820. melius, ut videbimus, revocant. Sico ſiquidem, valido comparato Samnitum, & Langobardorum exercitu, una cum Sicardo filio in Neapolitanos movit, quibuſcum ſexdecim continuorum annorum curriculo, ut fert Erchempertus, decertavit; quum cauſſam prætexuiſſet, quod hi Theodorum Conſulem ſibi amicitia conjunctiſſimum per injuriam in ordinem

Erchemp. apud Camill. Peregrin. In Hiſt. Langob. n. 10. pag. 31.

dinem redegiſſent, Stephanumque ſuffeciſſent. Itaque, poſitis caſtris, Neapolitanæ urbis obſidionem urgebat. Neapolitani exterorum præſidiorum ſpe deſtituti de pace cogitare cœperunt. Itaque miſit urbs Urſum ſuum Antiſtitem cum aliis ad Siconem, in quibus Urſus, legationis partibus quâ auctoritate, quâ dicendi vi expletis, pacem hiſce conditionibus impetravit, ut ſcilicet Neapolitani ad ſtatum vectigal pendendum jurejurando ſe obſtringerent, & corpus ſancti Januarj Beneventum venerationis ergo transportandum traderent.

Porro Siconi in ditione Beneventana ſucceſſit turpiſſimis labefactatus vitiis Sicardus filius, a quo duo edicta anno 833., & ſuæ dynaſtiæ primo edita fuiſſe comperimus; quocirca, ſi ab annis 833. ſubducas annos 16., quibus perpetuo belligeratum, reliquos facies 817., vel 818. ſi initium principatus Sicardi conſtitues ad finem anni 833., ut Peregrinus, & Caracciolus putant.

Ex Chron. Neapolit. Jo: Diaconi.

Leo Oſtien. Hiſt. Caſin. lib. 1. c. 22.

Ex Cod. Vulturnenſi apud Muratorium Rer. Italic. tom. 1. p. 2.

Peregr. In Catalog. pag. 310. & 320. apud Muratorium tom. 2.

At vero huic hypotheſi ſummopere incommodat Anonymi Salernitani per id tempus ſcriptoris auctoritas, qui Siconem duodecim tantum annos regnaſſe memoriæ prodidit: quod quum animadvertiſſet Peregrinus, mendum in Salernitanum codicem irrepſiſſe arguit; quod quidem admodum facile incidere potuiſſe conjicit Peregrini eruditiſſimus propugnator Muratorius, ſi duæ illæ lineæ in acutum angulum coëuntes, & notam V. conficientes, in cuſpide forte abraſæ fuiſſent: proin-

Anonym. Salern. edit. à Murator. tom. 2. p. 2.

Digitized by Google

proindeque pro XV. XII. lectum ; quod quidem ſubtiliter potius commentum eſſe paulo poſt dignoſces.

XI. Non multo felicius idem Caracciolus Boni Neapolitani Dynaſtæ mortem refert ad annum 819. a ſe ipſo, & a veritate enormiter diſſidens. Si enim Siconiani belli cum Neapolitanis initium cum Caracciolo ſtatuas, & pacem vel circa finem Conſulatus Stephani Neapolitani per inſidias ipſius Siconis, ut aliqui volunt, e vivis ſublati, vel initio Conſulatus Boni, qui confeſtim in locum defuncti ſuffectus fuit, & hujus mortem ad annum 819. amandes: bellum ne annum quidem unum duraſſet. Ubi igitur ſexdecim anni ab Erchemperto recenſiti, & a Caracciolo admiſſi?

Abſurdam hypotheſim infeliciſſimo ſane aſtruere ipſe conatur argumento petito ex Epitaphio admodum barbaro, ut ea ætas ferebat, ad Boni tumulum præfixo, quod in Paræciali Neapolitana Æde vulgo *ſanta Maria a Piazza* nuncupata extare traditur, in quo hi duo poſtremi verſus leguntur inter alios:

XLVIII. HIC VIXIT ANNOS,
OBIIT DIE NONA
MENSIS JANUARII
PER INDICTIONEM DUODECIMAM.

Hanc Indictionem ſidere putat Caracciolus anno 819., minime advertens eamdem recurriſſe anno

anno 833. , ut norunt , qui Indictionum originem , & uſum didicerunt ; quo quidem anno revera Bonus vitam cum morte commutavit.

V. de Indiction. Petav. de Doctrin. tempor. lib. 11. cap. 39.

XII. Nos vero de hiſce rebus æquam , & concinnam Chronologiam adornari poſſe credimus contra Bollandum , & Dacheryum , qui id opus præſtare impoſſibile judicarunt , ſi tantummodo animum appellemus ad id , quod communiter ferunt noſtrates hiſtorici , hoc eſt , datam a Sicone pacem Neapolitanis non diu permanſiſſe , ſed non ſoluti vectigalis obtentu illico , rupto fœdere , bellum inſtauratum fuiſſe vel ab ipſo Sicone , vel a Sicardo filio , protractumque uſque ad annum 836. , quo induciæ ad quinquennium factæ , ut ex ipſius Sicardi Capitulari liquet ; quocirca unicum , & perpetuum bellum merito reputatum . Ita & ejuſdem durationem per ſexdecim annorum ſpatium , & reliqua omnia cohærere comperies exordia principatus Siconis ad initium anni 820. ſtatuendo hoc pacto.

Capitular. Sicard. apud Peregrin., & Murator. loc. cit.

ANNI ÆRÆ CHRISTI.

Initium principatus Siconis ineunte anno	820
Ejuſdem duratio per annos duodecim ad ineuntem annum	832
Pax data Neapolitanis eodem anno , & Siconis obitus	832
Sicardus filius auſpicatur Beneventanum principatum eodem anno	832

Duo

Duo edit Diplomata anno 833
Circa medietatem ejuſdem anni
Moritur Bonus, qui conſulatum
Neapolitanum iniverat naſcente anno 832
Tenueratque uſque ad medietatem anni 833
Spatio unius anni cum ſemiſſe.

Bellum cœptum a Sicone anno 820.; proſecutum a Sicardo uſque ad 836. per ſexdecim annos, quantum pugnatum a patre, & filio fert Erchempertus.

XIII. Poſita jam Caraccioli fundamenta nutare conſpeximus: videamus nunc quantum ſtrues ipſa conſiſtat. Anonymo ſane auctori tamquam antiquiſſimo, firmiſſimoque vitæ ſancti Antonini teſtimonio fidem adimere non audemus; fatemurque geſta ſancti Abbatis ſcrutatum, ac ſciſcitatum fuiſſe a fide dignis majoribus, & ſumma ingenuitate ſcriptis mandaſſe: tamen temporum, & Chronologiæ incurioſiſſimum fuiſſe, & eo loquendi more uſum, ut num poſteris ſcripſerit, an ad coævos ſuos ſermonem potius habuerit, nemo unus ex ſuis verbis poſſit expiſcari, quod Caracciolus ipſe etiam obſervat. Tempus enim, quo ipſe ſcribebat, nullo modo indicat; ſua ſcribendi ratio a majoribus notitias quæſiiſſe patefacit. Saracenorum obſidionem, incurſionemque commemorans inquit: *Tempore procedente*, ſed quantum proceſſerit, nullibi videtur innuere. Quis igitur hariolabitur quid ſibi velit auctor iſte, dum ait,

Caracciol. loc. ſæpe cit. Not. I.

ait, obſidionem hanc eveniſſe ab obitu ſancti Antonini *non multo tempore evoluto*? Quantumque temporis ſpatium ea locutione perſtringere voluerit? præſertim quod ea rudi tempeſtate auctor iſte floruerit, qua rerum fere omnium ignorantia in noſtris Occidentis regionibus graſſabatur, ut ipſemet Caracciolus non inficiatur, & vecors, invenuſtuſque ſcribendi modus; qua propter ſuſpicamur, auctorem hunc neque tempus elapſum a morte ſancti Antonini uſque ad Sicardi obſidionem aſſecutum fuiſſe, neque illud a Sicardo uſque ad ætatem, qua ipſe viguit. Unde ſuam hanc inſcitiam verborum involucris ſtuduit obſcurare. Meliorem profecto Chronologiam Paulus Regius, aliique ſancti Antonini Biographi noſtro judicio rimati ſunt.

XIV. Sed demus Caracciolo ex uno Anonymo Chronologiam hanc eſſe veſtigandam. Audiamus quæſo ejus præcedentia verba: *Quo tempore*, inquit, *Langobardorum ferina immanitas Campaniæ provinciam hoſtili gladio, & incendio vaſtavit, ſanctus iſte noſter Patronus Antoninus ad has partes adveniſſe dicitur*. Quibus verbis conſonat vetuſtum Lectionarium, in quo legitur: *Tempore, quo immanis Langobardorum feritas, & ferina Winilorum immanitas omnia fere Campaniæ oppida igne ſuccenderet, ferroque devaſtaret, Parthenopes ingreſſus eſt agros, ubi ampliſſimo Stabienſis Eccleſiæ Præſuli nomine Catello adhæſit*. Quis, ſi hæc attente perpenderit, non videt, potius convenire tem-

V pori,

pori, quo Zoto Caſinenſe cœnobium, ceteraſque vicinas urbes, & confines provincias fæde, miſerrimeque vaſtavit? tunc enim ſcriptores referunt, clades, direptioneſque per totam fere Campaniam longe, lateque immaniter factas a Langobardis, quorum gens, quippe quæ adhuc de Chriſtiana religione non benemerita, ea erat innata aſperitate, feritateque deterrima, ut immaniſſimarum ferarum more quacumque excurreret, quaſi humanitate exuta, dira crudelitatis, barbariæque impreſſa veſtigia reliquerit. Hæc ſane tempora in memoriam revocare videntur Anonymi, ac Lectionarj verba, in quo etiam de Winilis, hoc eſt Wandalis mentio, quorum reliquiæ adhuc in Sicilia vigebant; unde Campaniam incurſabant; non autem illa poſteriora, quando extinctis penitus Wandalis Saraceni Africam tenebant; & Campaniæ oras diripere cœperunt. Langobardi vero & ſitus clementia, & conſuetudine cum humanioribus Italis, & ſupra cetera ob receptum ſuaviſſimum Chriſtianæ Religionis jugum emolliri jam cœperant. Ecquis tantæ feritatis, diritatiſque Siconem, ejuſque exercitum inſimulabit, & adeo inhumane, crudeliterque in univerſam Campaniam ſæviiſſe dixerit, qui nec armis illam attigiſſe perhibetur, ſed tantum Neapolim militibus, ac vallo cinxiſſe? En Leo Oſtienſis, qui de Neapolis obſidione ita loquitur: *Iſte Sico quum diu Neapolim obſediſſet, & afflixiſſet, tandem ſancti martyris Januarj corpus auferens Beneventum detulit,*

Leo Oſtien. lib. 1. cap. 20.

detulit, & cum ſanctis Feſto, & Deſiderio in ipſo Epiſcopio honorabiliter recondidit. Fere eadem habet laudatus ab ipſo Leone Erchempertus, atque ex hoc Marius de Vipera: ita prorſus Anonymus Salernitanus, aliique. Neque apud aliquem alium hanc diram Campaniæ vaſtationem a Sicone conflatam offenderis; ſed obſidionem tantum Neapolitanæ urbis, & eam ab ipſo Sicone honeſtis, piiſque datis conditionibus tandem ſolutam. Neque in Siconem, quod tamdiu in Neapolitanos exarſerit, pervicacis omnino animi notam inurent ii, qui mentem advertunt ad ea, quæ Johannes Diaconus ſcripta reliquit, Stephanum Neapolitanum Ducem deditionem civitatis, datis obſidibus, ſpopondiſſe, & interim noctu refectis muris, & excitatis ad defenſionem machinis, a promiſſis belligero viro factis receſſiſſe. Quo igitur pacto comminiſci potuit Caracciolus Campaniam tempore Neapolitanæ obſidionis fuiſſe a Sicone *longe lateque* populatam?

Erchemp. n. 10. apud Peregrin. In Hiſt. Princip. Langob. pag. 31.

Anonym. Salern. In Chron. p. 2. ubi de Sicon. apud Peregrin. In Hiſt. Princip. Langob. & apud Murator. tom. 2. p. 1. pag. 290.

Scip. Ammir. loc. ſæpe cit. pag. 70. & 71. In Sicone.

Jo. Diacon. In Chron. Neapolit. Epiſcop. in Johanne.

XV. Verum etſi demus etiam id Caracciolo: non propterea poterit unquam aſtruere Benedictina ſimul monaſteria, & Caſinenſi, ut ipſemet ſuſpicatur, Abbati fortaſſe ſubjecta, quæ in Campania id temporis extabant, fuiſſe tam crudeliter a Sicone direpta, ac devaſtata. Ex Leone ſiquidem Oſtienſi facile cuique eſt cognoſcere, quantum S. Benedicti monachis, & præſertim Caſinatibus ſtuduerit fortaſſe, quod Radelchis Compſanus Comes (cujus opera, & conſilio ipſe Sico, interfecto Grimoaldo

aldo Beneventi Dynaſta Principatum adeptus fuerat) jam in Caſinenſi cœnobio ſe addixerat veræ pœnitentiæ ſub ſancto Apollinare Abbate præteritas expians culpas . Et quod huic rei indubiam pene fidem conciliat, tradit idem Oſtienſis donationes quaſdam Abbati Deusdedit ſancti Apollinaris ſucceſſori fuiſſe ab eodem Sicone factas . Quid ? quod Siconem iſtum temperantem, & religioſum fuiſſe quamplures arguunt ; quod obtento ſancti Januarj corpore lætus , & ovans , quaſi parta victoria , Beneventum remeaverit . Addunt alii a Neapolitana obſidione receſſiſſe , ut morem gereret Eugenio II. id præcipienti . At vero tempora non cohærent . Siconis clementiam teſtatam reliquit præ ceteris Anonymus Salernitanus his verbis : *Ipſe ſæpè dictus Sico Princeps omnibus hominibus benigniſſimus , ac manſuetus nimirum* (potius legendum nimium) *ſe commendabat, atque plura dona eis condonabat* . Neque heic prætermittendus Marius de Vipera , qui Siconis pietatem commemorans , ab eodem Ædem Beatæ Virginis , quæ Metropolitana eſt Beneventi , in ampliorem formam redactam fuiſſe fert , Gregorio IV. Summo Pontifice . Quapropter egregie fallitur noſtro judicio Capacius , qui ſub Bono Duce nedum Neapolim , ſed omnes inſuper vicinos agros Langobardorum feritate vaſtatos aſſerit; idque ex antiquo a nobis commemorato illo incomto , rudique Epitaphio Boni tumulo adjecto ita exordiente :

Leo Oſtien. laud. cap. 22. V. Bolland. tom. 2. In menſis Februarj 14. comment. præv. §. 2. n. 6. Leo Oſtien. ibidem cap. 22. in quo cap. non excipienda quæ notat Angelus de Nuce.

V. P. Giannettas. Decad. 1. lib. 6. pag. 118.

Anonym. Salern. In Chron. cap. 43. apud Murat. Rer. Ital. tom. 2. part. 2.

Viper. In Chron. Epiſcop. , atque Archiep. Beneven. Eccl. pag. 50. edit. ann. 1636. V. Scip. Ammirat. loco ſæpecit. In Sicon. Duc. XVII. & Princip. V.

Bar-

Bardorum bella invida hinc inde vetuſta
Ad lacrymas Parthenope cogit ſæpe tuos.

Verum his Zotonis potius direptiones innui ſatis liquet. Feruntque alii quoque ſcriptores ea tempeſtate Langobardos oppida Acerras, Sarnum, Atellas, Argentiumque in Campania occupaſſe; verum non a Sicone, ſed Sicardo filio eas invaſiones factas nobis facile perſuademus, & ex dicendis palam fiet. Quis igitur modo non percipit quam ſolide conjecerit Caracciolus Siconem pium quidem, ac manſuetum Principem, & Benedictini Ordinis adeo fautorem, ac devotum, ut donationibus etiam Caſinates auxerit, voluiſſe Benedictina cœnobia, & ipſi Caſinenſi Abbati ſubjecta per Campaniam vel conſulto devaſtare, vel expilanda, atque evertenda funditus militum furori relinquere?

XVI. Inſuper qui aſtruet Caracciolus ſanctum Antoninum potuiſſe e monaſterio ſuo tamdiu abeſſe, alioque divagari? ſanctum Antoninum, inquam, virum adeo humani contubernj oſorem, ſolitudiniſque amantem, ut in præruptas nemorum rupes, repoſtaſque Gauri montis ſylvas ſanctum Catellum ſequi, vel ab urbe abſtrahere non dubitarit; tantumque convivendi in Benedictinis cœnobiis longe a populorum ſtrepitu cupidum, ut Surrentinorum enixis, ac magnis precibus illum ad patriam ſuam incolendam invitantibus non prius indulſerit, niſi poſtquam (teſte Capacio) ibidem Benedictinorum familias vitam degere cognoverit. Ut

Ut conciliet hæc Caracciolus, cogetur, ſeipſo tantum auctore, excogitatæ a ſe Campaniæ vaſtationi ſuperaddere cetera Benedictina illius provinciæ cœnobia fuiſſe a benigniſſimo, pioque Sicone non modo direpta, verum etiam ita everſa funditus, ac ſolo æquata, ut neque ipſe ſanctus Antoninus, neque alii intra id temporis curriculum potuerint nedum ea incolere, ſed ne ſarcire quidem, aut paulatim reædificare. Quod ſi ita, cur Surrenti tantum manebant? Aut cur reliqui ex tot everſis Benedictinis cœnobiis monachi in alias urbes, ut ſanctus Antoninus Stabienſe in Caſtrum, & in alia cœnobia, & præſertim in munitius, ac firmius Caſinenſe non profugiſſent: quod ab ejus ævi hiſtoricis, præcipue ab Anonymo Salernitano minima quæque memoriæ tradente non fuiſſet omiſſum, & multo minus a Leone Oſtienſi, qui excidia monaſteriorum ſancti Vincentj, ſancti Eliæ, aliorumque Venafri, & Capuæ a Seodan nequiſſimo Saraceno illata minutiſſime retulit. Quæ quum ita ſint, cui ſtabilior, ſolidiorque non videbitur noſtra ſententia, ſi ei incongruentia hæc, ſecumque pugnantia objici non poſſunt? Nam direpto, vaſtatoque a Zotone Caſinenſi monaſterio, ut diximus, cœnobitæ vel inviti ab eo longius, ac diutius abeſſe coacti ſunt quouſque a Gregorio II., vel III. illuc tandem fuerunt reſtituti.

Oſt. Chron. Caſin. lib. I. cap. 35.

XVII. Verum enim vero quum e Caſinenſi monaſterio ſanctum Antoninum profugiſſe dicimus,

mus, minime nobis animus eſt ſententiæ adhærere Romæi ſanctum Antoninum id temporis Abbatem illius cœnobj fuiſſe tradentis, Ferrario etiam pedibus in aliorum ſententias plerumque abire ſolito ei aſſentiente. Novimus enim cum omnibus fere Hiſtoriographis Bonitum tunc, quum Caſinenſe monaſterium vaſtavit Zoto, illic Abbatem fuiſſe conſtanter tradentibus id omnino pugnare. At hic Romæi lapſus exiguæ, parcæque hiſtoriarum cognitioni dandus. Verum mirari non deſinimus, quei factum ſit, ut id Patrem Nicolaum Giannettaſium eruditum ſane virum, & Neapolitanæ hiſtoriæ ſcriptorem effugerit? Qui etiam Romæum fortaſſe ſecutus perhibet ſanctum Antoninum Caſinum ſe contuliſſe, in eo vixiſſe cœnobio, eique tandem fuiſſe præpoſitum. Quod, quum adulterinum eſſe aliunde conſtet, eorum nobis placet opinio, qui monachum ibi tantum fuiſſe tradunt, Surrenti vero Benedictino cœnobio præfuiſſe, ut nos etiam infra.

V. Leon. Oſt. cap. 2. & Camill. Peregr. In Chron. Abb. Caſin.

Giannett. In Hiſt. Neap. Decad. 1. lib. 4. pag. 75.

CAPUT IV.

Occurritur ſecundæ Caraccioli objectioni petitæ ex Elogio V. B. Laurentj Stabienſis Epiſcopi marmori inciſo.

I. AD novam ſuam hypotheſim aſſerendam, ſolideque firmandam in medium profert Caracciolus inciſa in marmore verba:

IN

IN HOC TUMULO REQUIESCIT
V. B. LAURENTIUS EPISCOPUS
SANCTÆ ECCLESIÆ
CIVITATIS STABIENSIS,
QUI VIXIT ANNOS
PLUS MINUS XXXX.
SEDIT IN EPISCOPATU XII.
DEPOSITUS DIE IV.
KAL. MARTIARUM.
INDICT. XV.
IMPERANTE HERACLIO AUGUSTO
ANNO SECUNDO.

Heraclj annus ſecundus eſt Æræ Chriſtianæ 612. quare anno 606., quo conſtituimus Cœleſtem illam, ſolitariamque conſuetudinem ſancti Antonini cum ſancto Catello, non hic, ſed Laurentius Stabienſem Eccleſiam regebat. Ex hoc igitur inſcripto lapide magnum Caraccioli ſententiæ, & poſt eum Bollandi pondus accedere videtur. Nos vero nihil ex eo movemur, pro quo enucleando plura dicemus in Commentariis ad lectiones ſancti Catelli.

Interim ſuſpectæ fidei, immo commentitium eum prorſus habemus. Quantum enim potuimus diligenti inquiſitione, atque ex aliis etiam ſciſcitantes aſſequi non ſolum nullibi Æquis ſervatur, verum ne ulla quidem apud illius civitatis eruditiores ejus extat memoria. Et licet a nonnullis ſcriptoribus referatur, ut Capacio, Caracciolo, Ughel-

Ughello, Bollando: tamen non adeo operoſum eſt expiſcari, ejuſmodi lapidis inſcriptionem Capacium primum invexiſſe, ex Capacio deinde illam hauſiſſe Caracciolum, atque ex his Ughellum, ac Bollandum fuiſſe mutuatos; hi enim omnes eodem prorſus modo, quo illius mentionem interſerit ſuæ Neapolitanæ Hiſtoriæ Capacius, in ſuis Commentariis eam tranſcribunt.

II. Capacius vero meminit nudis, jejuniſque his verbis: *Ut ex inſcriptione, quæ ſervatur Æquis,* nullum peculiarem locum indicans, quo reperiatur, contra conſuetudinem ſuam, qua ſolitus eſt, inſcriptiones, atque epitaphia omnia in privatorum etiam domibus inſculta, vel annotata non modo luculentius afferre, ſed etiam addita plerumque interpretatione, & peculiari, diſtinctoque loco, ubi inveniuntur, eorumdem explanationem, ſignificationemque exhibere. Ex quo planum eſt, Capacium inſcriptionem hanc neque tanti feciſſe, neque voluiſſe conſueta, accurataque ſua diligentia, & auctoritate comprobare. Idque ſatis evidenter idem ſcriptor noſtro judicio patefacit, qui eâdem prorſus pagina, qua Epitaphium illud tranſcribit, aſſerit ſanctum Catellum Stabienſi Eccleſiæ præfuiſſe eadem tempeſtate, qua prædictum epitaphium innuit, V. B. Laurentium illam ſedem tenuiſſe. Quis heic potius Capacium erraſſe, ac turpiter hallucinatum criminetur, quam arguat nullius apud illum eam inſcriptionem momenti fuiſſe, nulliuſque penſi, atque auctoritatis? His omnibus accedit,

Capac. hiſtr. Neap. lib. 2. cap. 11. tit. De Epiſc. Stabienſ.

dit, quod Paulus Regius vir id temporis eruditione ſatis præſtans, teſtante Baronio eum honoris cauſſa nominante, & Æquenſis, paulo antequam Capacius ſcriberet, Epiſcopus, qui ſancti Antonini, aliorumque ſanctorum vitas perſecutus eſt, nullibi hujuſce inſcripti lapidis meminerit, etſi cetera in primis Eccleſiæ ſuæ Æquenſis monimenta accurate fuerit perſcrutatus. Quæ vero alia heic afferre poſſemus, ut Caraccioli ſententiam fide, auctoritateque hujuſce inſcriptionis præcipue innixam infirmaremus, miſſa nunc facimus ea dicturi ubi de ſancto Catello agemus.

CAPUT V.

Tertiæ Caraccioli objectioni occurritur.

I. QUod autem addit Caracciolus montem Caſinum non includi intra Campaniam, quam Langobardis vaſtantibus Stabias ſe proripuit ſanctus Antoninus, quid eo argumento levius? Campaniæ ſiquidem confinia aliquando ampliora, aliquando arctiora fuere; ſub Romana enim republica anguſtiſſimis, ſub Imperio vero auguſtioribus terminis definiebantur; etenim ſub Auguſto intra Campaniam primam ex duodecim Italiæ regionibus comprehenſa fuiſſe duo antiqua Latia, Picentinos, & Samnj partem demonſtrat Camillus Peregrinus. Adrianus vero poſtea in quatuor Conſulares regiones Italiam per-

Penes Plinium.

Camill. Peregr. Nel diſcorſo 1. della Campagna felice n.7.

perſtringens, duo quoque Latia, Picentinos, Hirpinoſque annumeravit ſub regione Campaniæ. Et licet poſterioribus temporibus contracta fuerint ex Procopio, aliiſque Campaniæ confinia: novum tamen Latium ſemper complexa ſunt, ut etiam conſtat ex notitia utriuſque Imperj; adeoque Caſinum etiam includebant. Huic rei conſonat Ardericus, ſive, ut alii malunt, Anonymus Salernitanus, qui loquens de Carolo Manno e monaſterio Caſinenſi educto, & in Franciæ provinciam ab Ayſtulpho Langobardorum Rege directo Caſinum in Terra Laboris, quæ eadem ac Campania, ut Peregrinus ait, vel ſaltem ejus pars eſt, contentum fuiſſe innuit his verbis: *Interea Rex Ayſtulphus Carolo Manno fratri benigniſſimi Pipini Regis a monaſterio ſancti Benedicti, quod eſt inter montem Caſinum, & ſanctum Germanum in Terra Laboris.*

Idem ibidem n.8.

Anonym. Salern: In Chron. cap. 5.

II. Ad hæc verba ſubdit quidem circa nomen Terræ Laboris hoc monitum eruditiſſimus Muratorius: *Niſi hoc ſit additamentum recentioris alicujus, ſive annotatio e margine in textum illata. Animadvertendum eſt heic velut res rara apud Auctorem plane vetuſtum nomen Terræ Laboris: quippe ejuſmodi nomine provincia illa ſero, hoc eſt, circiter annum* 1090. *donata creditur. Vide Campaniam Peregrini*. Qui quidem Peregrinus nomen hoc primum a Nortmannis invectum exiſtimat circa annum 1091., & Campaniæ provinciæ inditum. Verum circa rem noſtram nihil addit; nam extra

Ludov. Murat. Tom. 2. p. 2. De ſcript. Rer. Ital. In Anonym. Saler. cap. 5. n. 10.

Camill. Peregr. Nel Diſcorſo 1. della Campagna felice n. 11. in fine nella gióta a car. 670. pag. 771.

controverſiam eſt, eam provinciam, quæ Terra Laboris poſterioribus ſeculis, Peregrino teſtante, dicta eſt, Campaniam vocitatam fuiſſe, in eaque ſitum, ac locatum Caſinum.

Idem ibidem pag. 76.

III. Verum maxime heic mirari ſubit, quei objicere iſta potuerit in Notationibus ad vitam ſancti Antonini ſui ipſius immemor Caracciolus, qui alibi, in ſacris ſcilicet Eccleſiæ Neapolitanæ monimentis Caſinum illuſtriorem Campaniæ fuiſſe civitatem aſſeruit his verbis: *Ad noſtram quoque Campaniam ſpectare videtur divus Antoninus Abbas; quamquam enim obitu Surrentinus, ſi tamen verum eſt eum Caſinatem fuiſſe monachum, Campanus recte dicitur eo, quod Caſinum a Geographis Campaniæ attribuitur*. Vide quæſo, ut calidum, ac frigidum ex uno ſuo ore ad libitum promat. Qua in re merito exagitatur ab ipſo etiam Peregrino.

Caracc. In Sacr. Monim. Eccl. Neap. ſect. 5. c. 2.

Camill. Peregr. Nel Diſcorſo 1. della Campagna felice pag. 43.

CAPUT VI.

Dacheryus notatur.

I. Expenſis jam, rejectiſque Caraccioli conjecturis, ſupereſt, ut ſuis armis una ſubigamus Dacheryum, qui licet ex vita ſancti Antonini ſæpius laudata eliciat auctorem ipſius Anonymum non eſſe ſeculo nono poſteriorem, quocum nos etiam in hac re ſentimus; tamen eodem ſeculo minime antiquiorem facit ſanctum Antoninum. Id, ſi ita profecto eſſet, tam proximus floruiſ-

Luc. D'Achery In Act. Sanct. Ord. Bened. ſecul. IV. par. 1. pag. 417.

floruiſſet ſcriptori Anonymo ſanctus Antoninus, ut ille hunc vel ſuis oculis aſpicere, ſuorumque operum eſſe ſpectator, vel ſaltem ejus obitum pone excipere debuiſſet, ac ſubſequi; & propterea ſanctiſſimi Abbatis vitam, omniaque ad ipſum ſpectantia potuiſſet pleniſſime cognoſcere, & luculentius, accuratiuſque elucubrare; quod non modo haud præſtat Anonymus: verum etiam ingenue fatetur, ſe patriam, genus, cognationem, aliaque nonnulla ſancti Antonini prorſus ignorare, & ea tantum, quæ a majoribus acceperat, aggreſſum ſe deſcribere. Multo igitur ante nonum ſeculum, quo ſcripſit Anonymus, Surrenti floruerat ſanctus Antoninus. Quod ipſemet Anonymus ſua dicendi ratione quodammodo confirmat; non enim de iis, quæ ſua memoria, ſed quæ tempore longe anteriori acciderant, ſermonem videtur interponere. Præterea, quum poſt mortem ſancti Antonini parentes ejus ad aſportandum Surrento in patriam ſacrum corpus advenisſe perhibeat Anonymus, quinam hi fuerint, & ex qua civitate, non potuiſſent neque Anonymus ipſe, neque ejus ætatis, ſeculi ſcilicet noni, Surrentini ignorare, ſi ſanctus Antoninus anno 830. ſanctiſſimam animam efflaſſet. Itaque illato, quod Anonymus nono ſeculo ſcripſerit, hoc firmum potius argumentum elicitur, quod ſcilicet longe ante illud ſeculum ſanctus noſter Patronus in Cœleſtem patriam evolarit. Quod eruditiſſimus alioqui Dacheryus non advertit.

II.

II. Poſtremo, ne quid firmitatis noſtræ ſententiæ deſit, ſatis etiam Bollando faciamus, qui etſi communiorem, & a nobis confirmatam ſententiam XIX. Januarj die ſancti Catelli vitam commentatus lubenter amplexus fuiſſet, ac tutatus: nihilominus eamdem XIV. Februarj, ubi de ſancto Antonino egit, deſpicatus recantavit. Unde in Commentario prævio contra opinionis noſtræ fundamentum Caracciolo, ut aſſolet, adhæreſcens hæc inſuper objicit: *Mirum ſane foret, ſi unquam Caſini Antoninus habitaſſet, nullam ejus mentionem fieri a Petro Diacono, Leone Oſtienſi, Trithemio, & aliis, qui viros illuſtres monaſterj Caſinenſis recenſuerunt*. Cui in promtu reponimus ſanctum Antoninum bonam, immo majorem vitæ ſuæ partem, vel ſaltem illuſtriorem ſane Stabiis, in Monte Gauro, ac Surrenti tranſegiſſe. Itaque quum Caſini in cœnobio erat, non adhuc adeo numeroſa, neque admiranda ſuæ probitatis ſpecimina dederat, neque in tantam devenerat exiſtimationem, ut dignus immortali poſterorum memoria viſus fuiſſet; viri autem probitati, ac ſanctimoniæ ſtudentes eunt in dies de virtute in virtutem, atque ætate abeunte majus ſemper ſibi nomen conciliant, evaduntque clariores. Atque hæc de ſancti Antonini ætate breviter, ut potuimus, innuiſſe ſatis ſit.

Caracciol. In Notation. n.3.

Bolland. in Comment. præv. ad vitam S. Antonini §.2. n.11.

Pſalm. 83.

CA-

CAPUT VII.

De ſancti Antonini Patria, & Cognatione.

I. QUod ad ſancti Antonini patriam attinet, excepto Anonymo auctore id ſibi ignotum eſſe ultro profitente, in Campania Ebulenſi natum fuiſſe nemo fere ſcriptorum eſt, qui eat inficias. Qui vero tantum e Campania fuiſſe tradunt, quod confuſionem parit ſcientibus, plures fuiſſe Campanias, juxta Camillum Peregrinum, intelligendi omnino ſunt de Ebulenſi, quæ non multo pridem ſeculo ſcilicet decimo ſexto in urbem erecta fuit a Paulo III. Nam ea conſtans eſt apud Surrentinos fama, & apud ipſos Ebulenſes, qui popularem ſuum peculiari etiam veneratione proſequuntur. Hi ſanctiſſimo Abbate mortuo, ſicut auctor eſt Anonymus, & Capacius, & poſt eos mater Jacoba, quoſdam Surrentum miſerunt, ut ejus corpus illuc in civitatem ſuam aſportarent, quod a Surrentinis minime potuerunt impetrare. Præterea domum ſancti Antonini ſacro cultui addictam, eidemque ſancto Abbati dicatam Campaniæ extra oppidum ſua adhuc ætate extitiſſe teſtatum reliquit Romæus, attiguaque iſti domui, ſive potius templo prædia fuiſſe ſancti Antonini appellata, quod ipſi Caracciolo probatur.

Camill. Pelegrin. Nell' Apparato della Campagna felice.

Rom.

Caracc.

Circa

Circa ſancti Antonini genus ex nobili eum familia ortum duxiſſe opinamur ; idque colligit Bollandus ex Lectionarj verbis hujuſmodi : *Antoninus itaque noſter ex quam nobili proceſſerit genere , honeſtiſque parentibus &c.* Quamquam nobis videtur id Lectionarj auctor conjicere potius voluiſſe , quam firmiter aſſerere . Attamen fama eſt eum ex nobili familia emerſiſſe : in quod ſcriptores conveniunt , & in primis Pater Nicolaus Giannettaſius , & ante hunc Laccheus , qui ſanctum Antoninum ex nobili Catellorum familia procreatum eſſe tradit .

Boll. In Comm. Prev. ad vit. S. Anton. §. 1. n. 5.

Giannett. in Hiſt. Neap. Decad. 1. lib. 4. pag. 75.

Lacch. apud Bolland. ibidem.

II. Quo vero nixus fundamento Capacius aſſerat eum e fabro tignario ortum accepiſſe , non videmus : præcipue quod in hoc aſſerendo pene unus , & idem ſit . Nos igitur Laccheum ſecuti cum Caracciolo , Bollando , aliiſque arbitramur , ſanctum Antoninum e nobili Catellorum , (qui modo Italica corruptela *Cacciutti* , vel *Cacciotti* , *aut Caccivotti* dicuntur) derivaſſe familia , quam ad ſua uſque tempora Campaniæ urbe Principatus citerioris Laccheus teſtatus eſt extitiſſe , atque immaturo adoleſcentis cujuſdam itidem Antonini dicti funere extinctam deſiiſſe paulo ante , quam ipſe ſcriberet . Hic adoleſcens is fortaſſe fuit , quem nomine Antoninum ex ea familia ſuperſtitem Campania evocaſſe Surrentinos , atque ingrati erga ſancti Antonini familiam animi argumentum in eorum Seminarj Collegio alendum tenuiſſe , auctor eſt Capacius . Idem circa familiam

Cap. In Hiſt. Neap. cap. 12. ubi de ſanct. Surrent.

Lacch. apud Bolland. loc. cit.

Capac. lib. 2. cap. 12. ubi de ſanct. Surrent. pag. 538.

liam ſancti Antonini conteſtantur Catellorum inſignia, quæ e ſancti Antonini domo extra Campaniæ urbem, ut diximus, exiſtente pendere refert idem Capacius. Hinc conjectura deprehendimus hoc, quod ſancti Catelli Stabienſis Epiſcopi hodie prænomen eſt, antiquitus nomen ejus fuiſſe, quod vulgo dicimus *Caſata*; ſed cotidiana appellatione apud poſteros in ejus prænomen verſum eſſe, & propterea conſanguineum, vel ſaltem gentilem fuiſſe ſancti Antonini, ut nobiſcum ſentiunt Caracciolus, & Bollandus. Hac vero de re ſermo reincidet, ubi de ſancto Catello agemus.

Idem ibidem.

Caracc. apud Boll. Com. Præv. §. 1. n. 5.

Boll. in Comm. Præv. ad Vit. S. Ant. §. 1. n. 5. in fine.

CAPUT VIII.

De ſancti Antonini in Montem Aureum ſeceſſu.

I. PRæpoſtere noſtro judicio mater Jacoba enarrat ſanctum Catellum, demandata Epiſcopatus ſui cura, ac ſollicitudine ſancto Antonino, in aſperrimum montem primum ſeceſſiſſe, indeque non multum abiiſſe, quin ipſum in ſolitudinem ſecutus fuerit ſanctus Antoninus, ut ex Anonymo apud Bollandum fortaſſe excripſerat. Verum ſanctiſſimum noſtrum Abbatem potius ſancto Catello ſeceſſum perſuaſiſſe, ſecumque ex urbe abripuiſſe putamus in ſilvas, ut tradit præ ceteris Summontius, & Capacius; quod veroſimilius nobis videtur; nam ſanctus Antoninus

Gio: Ant. Summon. Nel lib. 1. Dell' Iſtoria della Città, e Regno di Napoli pag. 335. e ſeg.

Capac. In Hiſt. Neap. lib. 2. c. 10. ubi de Epiſc. Stabien.

nus jam antea, quum in Benedictinos cooptatus eſſet, ſolitudinem ſibi delegerat, ad quam optione, ac nomine pariter aſtrictus ſemper videtur tetendiſſe.

Is vero mons, in quem ſe receperunt ſancti Catellus, & Antoninus, quamvis arduus, aſperrimeque faſtigiatus, perpetuo ferme nubiloſus, horrificuſque videatur: non tamen adeo præruptus, tantæque altitudinis aſſurgit, quantam illi Mater Jacoba tribuit, affectatam Anonymi deſcriptionem ſecuta.

Galen. de Method. medend. l. 5.

Cluer. Antiq. Ital. tom. 2. lib. 4.

Procop. lib. 4. Rer. Gothic.

II. Montem hunc variis nominibus indigitatum fuiſſe comperimus. De ejus fertilitate, ac ſalubritate plura Galenus, ſed nomen aut ignoranter, aut inconſiderate reticuit; quod in admirationem traduxit Philippum Cluerium. At a Procopio nuncupatus fuit τὸ γάλακτος ὄρος *Lactis Mons*. Itemque a Caſſiodoro, qui in hoc monte deſcribendo quodammodo luxuriari videtur, traditque tantæ ſalubritatis herbas, & gramina ferre, ut paſtæ, ac ſaginatæ vaccæ ſuaviſſimo lacte ubera repleant, quod potatum ab hominibus morbis, præſertim phthiſi laborantibus ita proficuum eſt, *ut, quibus medicorum tot conſilia neſciunt prodeſſe, ſolus videatur potus ille præſtare*. Ita & Symmacho concinit, qui ſcriptum reliquerat: *Stabias ire deſiderant, ut reliquias longæ ægritudinis Autumnali lacte depellant*. Sic etiam montem hunc appellavit Pater Giannettaſius in feſtiviſſimo libello inſcripto *Æſtates Surrentinæ*, aliiſque, & innumeris ſuis carminibus. At

Caſſiod. Variar. lib. 11. epiſt. 10.

Symmach. lib. 6. epiſt. 17.

Digitized by Google

At vero Gaurus potius dictus integer mons a Fratre Leandro Alberto, ad cujus radicem juxta maris litus erectum Caſtrum Maris Stabienſe. Hujuſce vero montis partem Orientem verſus Lactarium montem appellant, Literarum, & Graniani oppidula continentem.

Fra Leandro Alberto nella Deſcrizzione di tutta l'Italia, di Terra di Lavoro tit. Picentini pag. 190

Diſertiſſime quoque Cluerius de eodem monte ſubdit: *Oppidum hodie Epiſcopale ſuſtinet Lactarius mons vulgari vocabulo Letteri, haud dubie ab antiqua illa montis appellatione tracto. Pars vero eſt Lactarius mons majoris, altioriſque montium jugi, quod ab oppido uſque Cava ex ortu ſolſtitiali in Occaſum Brumalem ad Minervæ procurrit promontorium.*

Cleru. loc. cit.

III. Carpit heic Galenum Cluerius, quod montem, de quo loquimur, adhærentem Veſuvio putet, continuumque efficere *Montem ſatis magnum, & longum in Tyrrhenum uſque protenſum.* Veſevum enim a Gauro duorum milliariorum planities, & interfluus Sarnus ſejungit. At ipſe quoque Cluerius in errorem prolabitur; quod integrum montem, cujus pars Lactarius, continenti jugo perpetuum putet cum promontorio Minervæ, a quo revera interpoſitis vallibus diſterminatur, de quo ſane monte multo rectius Johannes Boccaccius: *Gaurus Campaniæ mons eſt propinquus Maſſico monti, atque Surrento.* Rurſumque: *Minervæ Promontorium Campaniæ eſt, ex Maſſico monte percurrens in Capream inſulam.* Heic tres vicinos montes rectiſſime diſtinguere videtur Gaurum,

Galen. loc. cit.

Boccac. de Montib. Silv. Fontib. Lacub. &c. lit. S. Idem lit. M.

 Maſ-

Maſſicum, & Promontorium Minervæ; licet alibi a ſeipſo diſſentire videatur de Maſſico ſcribens: *Maſſicus mons eſt Campaniæ, Promontorium olim Minervæ ſacrum, Capreæ inſulæ oppoſitum faciens, hinc Surrentum in radicibus habens, & inde Amalphiam, & Salernum*. Ubi ruſus hallucinatur Salernum in plano poſitum oppidum in Maſſico collocans.

At vero quum Vibius Sequeſter vetuſtis Poëtis adhærens *Maſſicum Campaniæ in Falerno* ſtatuat, ubi etiam Gaurum collocat Statius, neceſſe erit duos Maſſicos, duoſque Gauros in una Campania dignoſcere, unum, qui Puteolis imminet, alterum prope Surrentum, e quorum jugis Crateris mare, & Pæſtanus ſinus ſpecioſiſſimum præbent ſpectaculum.

Vib. Sequeſter opuſcul. de Montib.

Stat. Silvar. lib. 3. carm. I. v. 134.

Gauri cacumen perpetuis ferme obrutum nivibus albeſcit, ſed hyemali tempeſtate adeo illis oneratum eſt, ut pene fatiſcere videatur. Villici in profundos ſcrobes conſtipant, indeque Neapolitani, aliique finitimi ad levandum æſtum vili pretio comparant.

IV. In Gauri montis ſummitate Ædicula ſancti Michaëli Archangelo dicata, cujus pluries mentio repetenda; Ædi propinquus perpetuo erumpit nitidiſſimus e ſaxo fons, cujus *aquas ſanctas* appellant; feruntque a ſancto Catello ad reficiendam æſtuantium paſtorum ſitim miraculo eductas fuiſſe. Montem ipſum indigenæ vernaculo ſermone appellant *Monte di ſant' Angelo a Faito*,

Capac. l. 2. c. 10. ubi de Templ. Stabienſ.

Faito, potius a *Fageto* dicendum ob denſas Fagorum ibi virentium ſilvas.

Sancti Angeli ædem adhuc extantem unus, aut plures Eremitæ cuſtodiunt. Et quamvis cotidiana illa exterorum, finitimorumque illuc confluentium undique populorum frequentia jamdiu intermiſſa ſit: quidquam tamen ejuſmodi conſuetudinis noſtra etiam memoria perſeverat. Kalendis enim Sextilibus omnium maxime Stabienſes in eum montem frequentes conveniunt, ibique circum ſancti Michaëlis ædem extendunt tentoria, ſub iiſque tres dies, & plures etiam præfato ſancto Archangelo Seraphicæ Cohortis Principi famulantes immorantur.

CAPUT IX.

Annotationes in ſecundam Lectionem, ubi primo plura de Agrippinenſi cœnobio aliiſque Abbatiis Surrentinis prælibantur.

I. QUum in ſecunda ſancti noſtri lectione perhibeatur Surrentinos cives ſupplici oratione ab eo impetraſſe, ut Surrentum incolendum ex Gauri aſperitatibus conveniret, ab hiſtoricis expiſcari nequivimus, quando ea commigratio evenerit antene, an poſtquam ſanctus Catellus falſe accuſatus Romam abſtractus fuit.

Si

Digitized by Google

Si conjecturis dandus locus, iiſque ſcriptoribus aſſentiendum, qui ſtatuunt S. Antoninum Surrentum adveniſſe, quum Johannes Hiſpanus in ea Dioeceſi Epiſcopali munere fungeretur, ut in tertio libro dicemus, certe poſt mortem ſancti Catelli ſanctum Antoninum adventu ſuo urbem Surrentinam fortunaſſe credendum eſt.

II. Poſtquam vero illuc convenit, in cœnobio Agrippinenſi commoratum fuiſſe unanimis eſt ſcriptorum conſentio. Id cœnobium ita appellatum, quod adhæreret templo D.O.M. ſub ſancti Agrippini invocatione erecto. Fuit ſanctus Agrippinus Neapolitanus Epiſcopus, cujus plurima mentio apud Johannem Diaconum Neapolitanum, & Anonymum ſcriptorem vitæ S. Athanasj, de quo locupletem criticum ſermonem habebimus. Chioccarellus quintum, aut ſextum a ſancto Aſpreno Epiſcopum facit, & circa annum Æræ Chriſtianæ communis 120. obiiſſe perhibet; qui inſuper de hoc illi dicato Surrenti templo honorifice meminit.

Barthol. Chioccarell. In Antiſt. Neapol. Catalog. pag. 23.

In hoc igitur cœnobio non ſolum humilem, privatamque vitam degit ſanctus noſter Antoninus: verum etiam eidem præfuit poſt obitum Bonifacj Abbatis, concordi omnium monachorum calculo Præſul electus, prout idem Bonifacius moriens monachis ſuis faciendum ſummo ſtudio commendaverat.

III. Hoc porro cœnobium cum templo ſancti Agrippini temporis decurſu ita everſum eſt, ut

ut præter ſcriptorum famam, nullum aliud poſt ſe veſtigium reliquerit. Caracciolus putat ibi adſtitiſſe, ubi nunc inſignis Baſilica ſancti Antonini extructa eſt, quæ a Patribus Theatinis ſumma cum veneratione cuſtoditur, ac colitur. Cui opinioni aſſentiri nequaquam poſſumus. Inquit enim Anonymus, cui ipſe ſtrictim adhærere conſuevit, ſanctum Antoninum morientem præſcripſiſſe, ut ſuum exanime corpus nec extra, nec intra civitatem ſepeliretur, quod præſcriptum ſtudioſi cives interpretantes ſub muro civitatis humandum eſſe decreverunt. Ænigmatis inſtar morientis ſancti dictum videbatur, quod revera vaticinium erat, ſe adverſus impios hoſtes civitati Surrentinæ tamquam validiſſimum propugnaculum adfuturum, ut exitus pluries comprobavit. Neque inde, ubi primo conditum ſacrum cadaver, unquam extractum fuit, ut conſtans eſt traditio, innumeris miraculis confirmata. At vero, ſi ibidem ea tempeſtate extitiſſet templum ſancti Agrippini, clarioribus notis moriens ſanctus Abbas ſepulturæ ſuæ locum indicaſſet. Præterea ædem illam ſancti Agrippini muro civitatis adhæſiſſe nemo ſibi facile perſuaſerit.

Caracc. In Not. ad vitam S. Antonin. n. 12.

Quamobrem nos alibi ſitum fuiſſe Agrippinenſe hoc cœnobium, templumque opinamur, ſed non longe ab ipſo ſancti Antonini ſepulcro, & fortaſſe, ubi nunc amœniſſimi virent Theatinorum horti in Crateris proſpectu, ſupra ſecretam actam, quam *Parvum Litus* hodie appellant. Et reve-

revera ibi paſſim non pauca ædificiorum fundamenta temporis vetuſtate exeſa ab effodientibus reperiuntur.

IV. Poſtquam ſitum Agrippinenſis templi, atque cœnobj indicavimus, breviter de monachis ibidem degentibus, quodnam inſtitutum, ac regulam profiterentur, aliquid annectere non abs re erit. Certe Benedictini caudicis Stolones fuiſſe minime dubitandum, qui confeſtim totam ferme Campaniam circa ſextum ſeculum compleverunt, potiſſimum vero Surrentinam Diœceſim illius Cœli clementia, terræ ſalubritate, maris hoſpitalitate, civiumque, qua jam inde ab eo tempore præditi erant, pietate, atque humanitate allecti; quæ quidem omnia, præcipue vero loci amœnitatem juxta ſua monaſteria deſiderant monachi. Benedictinos autem fuiſſe ex Regula B. Benedicti, & ex epiſtolis S. Gregorj apertiſſime confirmatur; in ea ſiquidem Regula ſanctus ille monachorum Pater, atque magiſter quatuor ſolitariorum genera recenſet: Cœnobitarum primum, qui ſub unius Abbatis regimine verſantur: Secundum Anachoretarum, vel Aſcetarum, qui deſertiſſima petunt loca, ut ſoli Deo, ſibique contemplatione vacent: Tertium Sarabaitarum, qui bini, vel terni ſub pauperrima cellula cohabitant: Quartum denique Gyrovagorum, qui de monaſterio in monaſterium migrant. Hæc duo poſteriora genera ſancto Patri minime probantur: duo autem priora quam maxime. Ad poſtremam hanc vivendi rationem aliqui

Capac. aliique.

Ant. Carac. De Sacr. Eccl. Neap. monim. cap. 2.

V. Leon. Oſtien. In Chron. Caſin. lib. 1. cap. 17.

S. Benedict. Caſin. In Regul. cap. 1.

aliqui ex Surrentinis monachis acceſſerunt. Quapropter ſanctus Gregorius Magnus Benedictinæ regulæ aſſertor, & cultor eximius epiſtolam ad Anthemium Surrentinum ſubdiaconum dedit præcipiens, ut tali abuſui conſuleret, curaretque, ut quamprimum ex palantibus, & circumcurſitantibus monachis ad propria cœnobia quiſque rediret. Erant itaque ex ſancti Benedicti familia ii, qui Surrenti degebant, ut diſertiſſime annotant in eam ſancti Gregorj epiſtolam Patres Congregationis ſancti Mauri.

PP. Congreg. S. Maur. ad epiſt. S. Gregor. tom. 2. lib. 1. Indict. 9. epiſt. 42. alias lib. 9. epiſt. 42.

V. Idemque aſtruunt in notis ad aliam epiſtolam, quam ſanctus Gregorius dedit ad Agapitum Surrentinum Abbatem, cui præcipit, ut monachos Surrentinos tranſmittat ad incolendum monaſterium, quod erat in fundo Marciano Nuceriæ Campaniæ a Langobardorum fortaſſe excurſione vaſtatum, propereaque omnino derelictum, atque deſolatum. Nucerinum id monaſterium Surrentino, cui Agapitus Abbas præerat, ſanctus Pontifex univit, relicta tamen juriſdictione Nucerino Epiſcopo, in cujus territorio locatum erat.

Et in not. ad epiſt. 72. lib. 11. Indictíon. 4.

Hujus unionis meminit quoque Pater Mabillonius, & utrumque monaſterium Benedictinorum fuiſſe ſine ulla controverſia aſſerit.

Io: Mabill. In Annal. Ord. S. Benedict. tom. 1. ann. Chriſt. 600. lib. 9. pag. 260.

VI. Eam epiſtolam poſt primam collectionem inter Decretales Gregorj IX. inſeruit ſanctus Raymundus de Peñafort, ad quam illuſtrandam plures addidit notas locupletiſſimus, & eruditiſſimus canoniſta Emmanuel Gonzalez Tellez; ſed adeo

oſcitanter, ut ſtomachum fortaſſe delicatioribus hiſtoricis moveant; quocirca nos non pigebit inſulſam Gonzalez crambem removere, ejuſque loco cupedia apponere. Dicit itaque Gonzalez Nuceriam *Umbriæ civitatem eſſe*: minime animadvertens Umbriam Italiæ regionem eſſe trans Apenninum poſitam inter Hetruriam, Sabinam, Tiberim, & Picenum, longiſſime diſſitam a Campania, e qua provincia Nucerinam civitatem ſanctus Gregorius nuncupat, qui diſertiſſime eam urbem indicat, quæ ad præſens Nuceria Paganorum vel a frequentibus pagis, quibus circumdatur, ut aliqui minus recte putant, vel potius a Saracenis, ſeu Agarenis, qui illam diu tenuerunt, dicta, qui & Pagani communiſſime audiebant.

Gonzal. in Not. lit. d.

VII. De fundo Marciano, ubi deſolatum Nucerinum monaſterium indicat ſanctus Gregorius, nihil prorſus Gonzalez. Patres ſancti Mauri tantum *Martiniano* alibi legi tradunt. Sed vulgata prorſus lectio retinenda: is enim fundus integer olim ſitus erat intra Nucerinæ Diœceſis confinia; poſtquam vero Sarni civitas in Epiſcopatum erecta fuit, ei Epiſcopali Diœceſi, ac juriſdictioni acceſit; ſed conterminus remanſit Nucerinæ redactus in ruſticum vicum, qui *ſan Marzano* vulgo ad præſens dicitur, ubi & Benedictinorum extitiſſe monaſterium conſtans traditio eſt. Solo deinde æquato monaſterio, Abbatiæ reditus uniti Abbatiæ Eccleſiæ, quæ dicitur *Mater Domini*

mini, in commendam redactæ, quam noſtra memoria tenuit Cardinalis Caracciolus Capuæ meritiſſimus Archiepiſcopus. Hic idem fundus, quantum conjicere potuimus, nomen mutuatus fuerat a templo ſancto Marciano nuncupato, uni ex antiquiſſimis Eccleſiæ Neapolitanæ epiſcopis, de cujus vita etſi nihil ſcriptis demandatum accepimus: vetuſta tamen Kalendaria, & ſacra ædicula ad lævam Epiſcopj Neapolitani etiamnum extans ejus memoriam ab oblivione, ut ait Caracciolus, vindicarunt. De hoc eodem ſancto celebre nomen fuiſſe Neapoli Chioccarellus tradit, de quo duo adhuc vetuſtiſſima Sacella in Metropolitana Eccleſia ſupereſſe meminit. Tempus, quo peculiariter Neapolitanæ Eccleſiæ præfuerit licet ignotum; tamen ante quartum ſeculum eam tenuiſſe extra aleam putant. Ab hoc igitur ſancto nomen accepiſſe *Fundum Marcianum* conjicimus, & conjecturæ noſtræ non levem aſtruit fidem, quod in Parœciali Eccleſia in fundo, ſeu vico *Marciano* extructa ejuſdem ſancti Imago extet in tela olearibus coloribus expreſſa, prout nobis relatum eſt.

Ant.Carace. In Sacr. Neap. Eccl. monim. cap.3.

Barth. Chiocc.In Catal.Antiſt.Neapol.Eccl. pag.14.

VIII. Non adhuc miſſum faciamus Gonzalez, ſed ab eo repetamus, quei vere dixerit non conſtare quodnam monaſterium in Surrentina Diœceſi Agapitus rexerit: *Ubi*, hæc ſunt Gonzalez verba, *quum tria hujus Ordinis B. Benedicti ſint monaſteria, videlicet ſancti Renati de Surrento, ſancti Petri ad Crapulam, Archangeli de Publigiano, non*

Gonzal. ibidem nota a

 liquet,

liquet, *cui ex eis monaſteriis unitum fuiſſet monaſterium*, *de quo in præſenti*, ſcilicet Nucerinum. Plura in unum faſciculum aſtringit doctus Canoniſta, rerum tamen noſtrarum non apprime inſtructus. Tria fert jam floruiſſe in Surrentina Dioeceſi Benedictinorum monaſteria, nulla mentione habita de Agrippinenſi, quod præclarius tempore ſancti Gregorj, & illuſtrius erat, ut dicebamus, & cui Agapitum, ad quem epiſtolam dat ſanctus Gregorius, tunc temporis præſediſſe putamus. Dilucide enim exprimit monaſterium intra civitatis mœnia extitiſſe: *Ut tamen juriſdictionem illic non Epiſcopus Surrentinus, in cujus civitate tuum monaſterium eſt*, *&c.* Intra civitatis muros fortaſſe aliud comprehendebatur cœnobium cum templo *ſancto Salvatori* erecto, ſed hoc anguſtius, nec tot continens monachos, ut eorum cœtu imminuto pars Nuceriam mitti poſſet. Sed hanc quoque Benedictinorum fortaſſe Abbatiam præterit Gonzalez. Inſuper prætermittit Abbatiam, quæ dicitur ſancti Angeli vulgo *a Reviglìano*, quod olim extitiſſet in exigua maris inſula, ſeu potius ſcopulo, cui *Reviglìano* nomen, prope Pompejos, nunc Diœceſis Nolenſis, ad magnum litus Surrentinum ſub titulo ſancti Petri translata; nec multo pridem, nobis impetrantibus in perpetuam commendam Seminario Surrentino tradita fuit ab immortalis memoriæ Innocentio XII. Miſſam quoque facit Abbatiam ſancti Petri ad Germetum vulgo ad *Cermennam*, cujus Ædes adhuc

Verba Sancti Gregorj loc. cit.

adhuc extat ſub ipſius ſancti Petri nomine in amoeniſſimo colle, qui memorati Gauri appendix eſt, vel brachium, diciturque *Vicus Gauranus*, corrupte *Vico Aurano*, *&* *Arvano*; unde utrumque ſinum, Pæſtanum ſcilicet, & Parthenopejum cuique datur jucundiſſime ſpeculari.

Heic Benedictinos etiam monachos incoluiſſe majorum traditione ad nos pervenit; & revera, agricolis terram circum hoc Sacellum fodientibus, quædam humore, atque ipſa antiquitate corroſa primæ ſubſtructionis veſtigia in dies emergunt. Hæc omnia non reticenda quidem omiſit Gonzalez.

IX. Neque ipſum quidquam juvat, quod commemoraturus ea cœnobia, quæ ſancti Gregorj tempeſtate extabant, hæc incerti temporis ſilentio prætereunda putarit. Agrippinenſe enim monaſterium, ut conſtans fert traditio, etiam ante ſancti Gregorj ætatem extitit. Præterea illud, cujus ipſe meminit, ſancti Renati, quod modo in Rectoriam Neapolitanæ ſancti Severini Abbatiæ ſuffraganeam radactum eſt, quamvis obſcurum ſit, quando fuerit a fundamentis excitatum: tamen fere certum eſt, ſancti Gregorj Magni tempore nullum fuiſſe; nam Marius de Vipera, atque Eccleſiæ Surrentinæ monimentorum collectores, ex quibus educitur obſidio Surrentinæ civitati a Rodoaldo Beneventi Duce illata, (de qua nos in Commentariis ad vitam ſancti Valerj abunde) atque Agapiti id temporis Epiſcopatus, & ipſius templi

Mar. de Viper. In Chron. Epiſc. & Archiep. Metrop. Benev. Eccl. In Ildebrand. Epiſc. 32. pag. 26.

Ughell. tom. 6. Ital. ſacr.

Capac. In Hiſt. Neap. lib. 2. cap. 10. ubi de Eccl. Surrent.

Scip. Ammir. Delle famiglie nobili Napoletane. De' Duchi di Benevento in Rodoaldo pag. 61.

templi ſancti Renati direptio, ne verbum quidem faciunt de Benedictino illic fortaſſe extante coenobio: quod ſi tunc adfuiſſet, neque Langobardi ab impreſſione immune feciſſent; neque iſti ſcriptores illius mentionem neglexiſſent. At in quodam ms. Archivi Surrentini Archiepiſcopalis legitur, Johannem Neapolis Ducem anno 939. aliqua circa ſancti Renati templum prædia Benedictinis monachis donaſſe; & in alio ejuſdem Archivi ms. reperitur, hæc prædia Sergium Neapolis Ducem Benedictinis fuiſſe elargitum, in cujus rei fidem conteſtatur Leonem Oſtienſem, qui re vera hæc habet: *Huic Abbati* (Adelperto ſcilicet) *Johannes Conſul, & Dux Neapolitanorum ſuo præcepto confirmavit, atque conceſſit Eccleſiam ſanctæ Cæciliæ . . . nec non & cellam ſancti Severi in Surrento cum omni pariter ſubſtantia, & pertinentia ipſius*. Super quibus rebus notandum eſt, quod hic Adelpertus fuerit Abbas Caſinenſis XXIV., qui electus fuit anno 934., ut idem Oſtienſis tradit; quapropter hæc conceſſio, ſeu potius confirmatio accidit poſt annum ejus IV. ſicut idem auctor refert. Id igitur actum fuit circa annum 938. . Quid vero fuerit cella, explicat pluribus in locis Angelus de Nuce Oſtienſis commentator, & præſertim in Excurſu hiſtorico, ubi ſtatuit cellæ nomine venire in hoc Chronico *Præpoſituras, monaſteria inferiora*, vulgo *Grancias principali Monaſterio ſubjectas*. Itaque ex Oſtienſis contextu liquet ea tempeſtate cellam, ſeu inferius monaſterium jam extitiſſe Surrenti

Leo Oſtien. cap. 56.

V. Capac. In Io: Duc. Neap., & quæ dicentur par. 2.

Idem Oſtien. cap. 54.

Angel. De Nuc. In Excurſ. hiſtor. poſt Not. ad cap. 4. n. 511. & 512.

V. Du Cange.

renti ſub nomine ſancti Severi, qui fuit Epiſcopus Caſinenſis, antequam Caſini monaſterium a ſancto Benedicto extructum fuiſſet. Quod ad Abbatiam pertinet, quam nominat Gonzalez *ſancti Angeli de Publigiano*, niſi ſcribendum fuiſſet potius *De Rivigliano*, de qua ſupra verba fecimus, eam eſſe opinamur, quæ hodie audit ſancti Angeli *a Rivjezzolo*. Hæc etiam quando primum inſtituta fuerit, ignotum eſt, nunc prorſus extincta videtur, ac tantum ſupereſt Sacellum ipſa vetuſtate pene confectum in montis clivo *Sant' Angelo a Rivjezzolo* nuncupati, tria fere paſſuum millia a Surrentina urbe diſſitum. Illuc tamen quotannis Benedictini ſancti Renati cœnobitæ convenientes in ea ſacra Ædicula feſto die divina officia peragunt. An vero adeo antiqua fuerit ea Abbatia, ut tempore ſancti Gregorj extiterit, quum omnis exciderit memoria, ipſe Gonzalez argumenta expromat. Illa tandem ſancti Petri ad *Crapulam*, vel, ut hodie audit, ad *Caprollam*, ut etiam eſt apud Capacium, cujus nos paucis ab hinc annis commendam inivimus, ea eſſe vetuſtate creditur, ut ſancti Gregorj tempora etiam præceſſerit. Hujus Abbatiæ cœnobium jam inde ab initio extructum fuiſſe dicitur in litore ſinus Salernitani contra Sirenuſas, vulgo *Iſole de' Galli*: cujus quæ parva veſtigia extant, ubi fuerit, facile poſſunt indicare. In præſentia adeſt non adeo anguſtum Sacellum cum duobus cubiculis in advenientium commodum comparatis. Eo, ſupplicatione inſtituta, quotannis ſecun-

V. de hoc templo partem 2.

ſecundo die Solennitatis Paſchalis Confratria ſancti Petri nuncupata in ſanctæ Euphemiæ erecta pergit, quæ Abbatis Commendatarj nomine commeſſatiuncula reficitur. Hoc vero cœnobium Baſilianorum potius monachorum fuiſſe traditur, ut etiam ſcribit Capacius, quod veroſimile videtur; omnem enim maritimam illam oram, quæ in Pæſtanum, vel Salernitanum ſinum vergit, Baſilianenſibus monaſteriis olim refertam fuiſſe tradunt Græcarum rerum eruditi. Inter enim monachos antiquitus, teſtante Mabillonio, *in Regularum diverſitate maxima erat animorum conſentio, una ſocietas, mutuuſque commeatus non modo Latinorum inter ſe, ſed etiam Latinos inter & Græcos, quibus ſat erat ſtabilitatem in uno monaſterio firmaſſe*. Quod, ut opinor, in cauſſa fuit, ut vetuerit ſanctus Gregorius, ne Diœceſis Surrentinæ monachi de uno in aliud monaſterium amplius tranſmigrarent, ſed ſinguli ſua monaſteria repeterent; in iiſque continerentur, ut paulo ante diximus. Vides igitur ex his, quæ notavimus, quanti hac in re facienda ſit Gonzalez auctoritas.

Io: Mabill. In Annal. Ord. S. Benedict. tom. 1. lib. 1. pag. 6. & 7. n. 13.

CA-

CAPUT X.

De Monaſtica ſancti Antonini vita in cœnobio ſancti Agrippini nonnihil indicatur, & num Sacerdotio initiatus fuerit, inquiritur.

I. UT divinarum rerum contemplationi vacarent, jam inde ab initio Chriſtianæ Eccleſiæ plurimos, civium relicto conſortio, in ſolitudinem conceſſiſſe, ibique monaſteria extruxiſſe certo certius ſacræ nobis ſuadent hiſtoriæ: *Cœnobitarum diſciplina*, ſcriptum reliquit Caſſianus, *e temporibus prædicationis Apoſtolicæ ſumſit exordium*. Idemque Simeon Metaphraſtes confirmat in vita ſancti Pauli primi Eremitæ, & in vita ſanctæ Eudoxiæ Martyris, quæ tempore Trajani floruit, primo ſcilicet Eccleſiæ ſeculo, & in monaſterio vivebat. Eſſenorum Philo Judæus ſolitariam vitam ſummis laudibus effert: quos Chriſtianos fuiſſe ſanctus Hieronymus, aliique apud Baronium dilucide teſtantur.

S. Io: Caſſian. in Collat. 18. cap. 5.

Phil. In lib. inſcript.: *Quod liber ſit quiſquis virtuti ſtudet.*

S. Hieronym. lib. de ſcript. Eccleſ. in Marc.

V. Baron. tom. 1. ad an. JeſuChriſt. 64. abunde agentem.

Multo potius Chriſtianorum cœnobitarum vitam exprimunt ea, quæ Philo de Therapeutis, hoc eſt, Deo inſervientibus viris; & de mulieribus, quæ Therapeutides fuerunt dictæ, idem Philo Judæus enarrat, poſtquam de Eſſenis diſſeruit: quorum vitam actuoſam facit, fortaſſe quod multum in terra incolenda tempus tererent: illam

Phil. lib. de vit. contemplat.

vero Therapeutarum contemplationi addictiſſimam. De his miram caſtimoniam, & perpetuam a Venere âbſtinentiam celebrat, ſummam abjectionem, atque neglectum bonorum fortunæ, parciſſimam vitam, frugaliſſimamque; quippe qui ſolius panis azymi cœna erant contenti. In epulis cruentis dapibus menſa omnino expers. Panis pro cibo, ſal pro obſonio, & pro condimento hyſſopus in delicatorum gratiam apponebatur; pro potu non vinum, ſed aqua limpidiſſima juvenibus, calida ſenibus præbebatur. Ante, ac poſt menſam pſalmi alterno choro, vel nova ab ipſis in laudem Dei carmina canebantur. Oriente ſole e duriſſimis ſtratis aſſurgentes divinæ contemplationi, ac precibus plurimum vacabant, ut & veſperi, & antequam cubitum irent. Reliquum tempus divinarum ſcripturarum lectio, pſalmodia, ac preces occupabant. Itaque ea omnia apud illos in more fuerunt tempore naſcentis Eccleſiæ, quæ tertio, ac quarto ſeculo frequentiſſimi in Ægypto, Palæſtina, & per totum Occidentem poſteriores monachi uſurparunt.

Therapeutarum exemplo redarguebat diſertiſſimus Philo Ægyptiorum, Græcorum, ac Romanorum impietatem, ſtoliditatemque, qui vel bruta animantia, vel manufacta, ac turpiſſima numina colebant, lautiſſima convivia, ineptiſſimamque Philoſophiam ſectantes. Hebræis hoc hominum genus annumerare videtur Philo, eorum menſam ad honorem menſæ Propoſitionis, ac pſalmos,

mos, & carmina ad memoriam canentis Mariæ, quæ Moſis ſoror fuerat, referens. Verum hæc ad laudem ſuæ nationis indicaſſe, nobis omnino perſuademus, & Therapeutas primos Chriſtianæ Eccleſiæ ſolitarios fuiſſe.

II. Non defuiſſe tamen apud Hebræos ſolitariam vitam degentes liquet ex Cinæis, & Rechabitis, quorum frequens mentio in ſcripturis. De Rechabitarum, qui ſolitudinem ſectabantur, origine non omnes inter ſe conveniunt ſacræ ſcripturæ interpretes. Arias Montanus ab Jetro inſtitutos fuiſſe credit. Novam de his hypotheſim excogitavit recens auctor, quæ mira viſa eſt Patri Calmet: hoc ſcilicet monaſticum genus ante diluvium viguiſſe, ac deinde cum poſteris Noëmi revixiſſe, nomenque ſortitum a verbis illis: *Pater mi, Pater mi, currus Iſraël, & auriga ejus*. Quibus uſus Eliſeus, & Joas Rex, ubi Hebræus textus habet *Rechab Iſraël*, atque inde Rechabitas dictos fuiſſe Eliam, Eliſeum, alioſque ſolitarios Prophetas. Quæ num veritati conſona, alii viderint.

L. 2. Reg. 4. v. 2. I. Paralipp. 4.

Arias Montan. In Judic. 1.

Jacob. Baulduc. De Eccl. ante legem lib. 3. cap. 16. Calm. in Dictionar. verb. Rechabitę.

Lib. 4. Reg. 2. 12. & cap. 13. v. 14.

At nedum apud Hebræos, ſed apud Ethnicos quoque ipſi ſolitarii viguerunt, & ab hominum commercio ſejuncti, ne a veſtigandis divini Opificis operibus humana conſuetudine averterentur. Tales præſertim Hyliobios fuiſſe tradit Strabo, ita appellatos, quod in ſilvis degerent, & frondibus, fructibuſque ſilveſtribus, vini, ac Veneris expertes veſcerentur, arborumque corticibus veſti-

V. S. Clement. Alexand. 1. Stromat. 4.

veſtirentur. Quod hominum genus adhuc in remotiſſimis Indiæ regionibus perſeverare tradunt recentiores, qui longas peregrinationes ſuas evulgarunt.

Valla. Tevernier &c.

Luc. Holſten. In Præfat. ad Cod. Regular. quas ſancti PP. Monachis, & Virginibus ſervandas præſcripſere.

III. Itaque ex jam dictis a Lucæ Holſtenj ſenſu cogimur recedere ferentis, non prius quarto ſeculo monachorum inſtituta incœpiſſe cum Paulo, & Antonio in Ægypto, vel cum Hilarione in Palæſtina, ceteroſque a nobis memoratos ineuntis Eccleſiæ Chriſtianæ, & Hebræorum ſolitarios umbratile potius poſteriorum monachorum ſpecimen, & figuram prætuliſſe.

Monachorum antiquiſſimas Regulas Diocletiani tempore conflagraſſe cordati viri exiſtimant, quando ſolitariorum innocuam vitam veræ ſapientiæ hoſtes aſperrimis obtrectationibus diſcerpebant: Quod *per religionis ſimulationem alimenta inertiæ quærerent*. At ut, data Eccleſiæ a Conſtantino Magno pace, refloruerunt, in eos invidorum hominum livor, & maledicentia recruduit: quibus percitus Valens Arianorum fautor, Catholicorum oſor, & in monachos infenſiſſimus legem tulit, ut e latebris *ignaviæ*, ſicut ipſe dicit, *Sectatores* ad patriæ munia ſubeunda, indicta pœna publicationis bonorum, revocarentur. Eam legem ad monachos Ægypti tantum pertinuiſſe docte monet Cujacius. Quam legem etiam parum obtinuiſſe eruitur ex generali Concilio Chalcedonenſi Can. IV., ubi omnis monachorum cura, & ſollicitudo, ac juriſdictio Diœceſanis

Valer. Maxim.

Eunapius Sardicenſis, & alii.

L. 63. Cod. Theodoſ. de Decurion. & l. 33. Cod. Juſtin. eod. tit. Ad quam v. Jacob. Cujac. t. 2.

V. In Can. IV. Chalcedon. Cabaſſut.

ſanis Epiſcopis demandatur ut prius. Quod rurſus in aliis poſterioribus Conciliis inſtauratum, abundeque confirmatum fuit a Juſtiniano.

Juſtin. Novell. 79. cap. 1. & 2.

IV. Refloreſcentium monachorum regulas ſumma diligentia in unum codicem tribus partibus conſtantem collegit ſanctus Benedictus in Gallia Ananiæ monaſterj Abbas præclariſſimus, qui pro generis nobilitate in aula Pipini, & ſubinde Caroli Magni educatus, deinde monaſticam vitam ſectatus eſt. Hic ſanctus Abbas præterea librum edidit inſcriptum: *Concordiæ Regularum*, quo Regulam ſancti Benedicti Abbatis Nurſienſis in Monte Caſino ſcriptam cum aliis confert, atque committit. Hunc codicem prius edidit Hugo Menardus; deinde Codex Regularum cum præfatione poſthumum opus Lucæ Holſtenj Romæ prodiit, contra quam Du-Pinus, & Cave in hac re hallucinati, præpoſtere rem tradiderunt; in præfatione ſiquidem Holſtenj plura, quæ in Menardi codice caſtigatione indigent, corriguntur.

V. S. Bened. Ananiæ vitâ ſcriptam ab Smaragdo Abbate ejus diſcipulo, & ab Hugone Menardo evulgatâ in princip. Concord. regular.

Du-Pin. Dans le Novelle Bibliotheque t. 7. chap. 14.

Cav. De ſcript. Eccl. ſeculo Photiano.

V. Orientalium monachorum vitam quamplures miræ ſanctimoniæ viri imitati ſunt, ut a S. Hieronymo, Theodoreto, Rufino, Socrate, Sozomeno, aliiſque celebratiſſimis ſcriptoribus memoriæ traditur. Quod primi omnium hunc vivendi morem in Occidentem detulerint SS. Athanaſius, & Petrus, quum Arianorum perſecutionem declinantes Romam pervenerunt, teſtis eſt ſanctus Hieronymus. Quam enim ſanctus Athana-

naſius vitam ſancti Antonj adhuc viventis ſcripto conſignaverat, in urbe promulgavit; eaque Angelica vivendi forma plures allecti, ad ſolitudines confugientes, monaſteria condiderunt. Virginum etiam ſanctimonialium deinde inſtitutum plurimum ipſe ſanctus Hieronymus propagavit.

S. Hieron. In Epitaphio Marcellæ.

In ulterioribus Italiæ provinciis frequentia monachorum cœnobia erecta fuerunt, inter quæ celebre illud Sublaci ad Anienis fontes, ubi degebat ſanctus Romanus, a quo ſanctus Pater Benedictus inſtituta monachorum, & habitum accepit, & in anguſto ſpecu tum deliteſcens parciſſimis eduliis ſe reficiebat; in Caſinum montem deinde profectus ſcripſit monachorum Regulam, quam *diſcretione præcipuam, ſermone luculentam* ſanctus Gregorius Magnus brevi encomio celebravit; in eam doctiſſimi nonnulli Theologi pulcherrima commentaria ediderunt. Septuaginta ſeptem capitibus conſtat, quibus adjunxit brevem appendicem, quam *Conſenſoriam* monachorum inſcripſit octo diſtinctam paragraphis. In iis plura ad expianda vitia, quod initium virtutis eſt, congeſta, ut pœnitentiæ, jejunia, auſteritates, multum ad contemplandum temporis præſcriptum, pſalmodiæ horæ, & ritus prolixe tradita. In excolendis virtutibus humilitatis, obedientiæ, præſertim autem caritatis in Deum, & proximum totus eſt; vehementius vero inſinuat eas Abbatibus, qui ceteris exemplo, ſapientia, & prudentia præeſſe tenentur.

Holſten. In cit. præfat., & Anton. Caracc. In Monim. Eccl. Neapol.

S. Greg. Magn. lib. Dialog. 2. de vit. & miracul. S. Benedict. c. 1. ibidem cap. 36.

V. Card. Bonam de Antiquit. & excell. Divin. Pſalmod. cap. 1. n. 6. & de ejuſdem ritib. cap. 18. §. 1.

Hiſce

Hiſce virtutibus quam maxime ſtuduit Antoninus noſter, vitamque inſumſit: hiſce ſanctum Patrem ſuum, ac Patriarcham Benedictum referre avebat: hiſce ornatus viventem hoſtiam ſeſe Numini præbebat, cui & pſalmodia, ac precibus laudis ſacrificium perpetuo offerebat. Utrum vero ſacerdotio initiatus incruentum quoque ſacrificium æterno Patri præſentarit? ſcriptorum de hac re ſilentium in dubio relinquit. Quod de ſancto Benedicto a pleriſque etiam diſceptatum eſt.

VI. Et ſane, ſi ad remotiſſima monachorum inſtituta, quibus addictiſſimus erat Antoninus, animum appellemus, illos in Clerum cooptatos minime inveniemus. Quod diſertiſſime elicitur ex canonibus a Gratiano congeſtis; copioſius vero ab Antonio Auguſtino. Sed fruſtra eſt quod Cujacius, Coraſius, aliique, quibus adhæret Gonzalez ad cap. 5. *De Temporibus Ordinandorum*, qui eoſdem inter laicos primitus recenſitos tradunt. Quantum enim a laicis diſtarent, audi Anaſtaſium Nicænum ex ſancto Maximo ejuſdem magiſtro quæſt. in ſacr. ſcriptur. p. 2. q. 5. *Quæ recte geruntur a ſecularibus ſunt delicta monachorum: ſunt autem quæ recte geruntur a ſecularibus*, (intellige per abuſum, aut vulgarem opinionem) *divitiæ, gloria, & potentia, & delitiæ, & caro recte curata, & liberi, & ſimilia, ad quæ cum pervenerit monachus, illico moritur; quæ autem a monacho recte geruntur, ſunt nihil poſſidere, ignobilitas, imbecillitas, continentia, afflictio, & ſimilia*. Vides quan-

Grat. cauſ. 16. q. 1. ubi nota primumCanonem ex Conc. Nic. non inveniri in exemplo Græco & Latino, ſed ſimile quid in Arabico apudFran. Turrianum prolog. 18.

V. Benedict. Hæphtenum in vita S. Benedict.

Coraſ. in Miſcellan. lib.3.c.7. num.8. Boccacc. Ronſard. Arioſt. &c.

Peluſiot. epiſt. 278. lib.1.

S. Bernard. epiſt. 78. qua Monachos a Laicis ſecernit.

Franc. Petrar. de otio Religioſ.

quantum a Laico diſtet monachus; quæ quidem fuiſſent addiſcenda a Coraſio, aliiſque fabulatoribus, ac monachorum detractoribus; vel quæ a ſancto Iſidoro Peluſiota, a Sancto Bernardo, a Franciſco Petrarcha, aliiſque innumeris præclare de iis dicta ſunt.

Rectius igitur alii medios antiquos monachos faciunt inter Laicos, & Clericos. E monachis vero Orientalibus plurimos ad Sacerdotium, immo ad Epiſcopatus aſſumtos fuiſſe liquet: præcipue vero e Baſilianis.

In Conſenſor. 6: 2.

Matth. 15. & Luc. 9.

Menard. in Concord. ad cap. 4.

VII. Sed, ut ut res de illis ſe habuerit, in regula ſancti Benedicti duo circa hoc negotium occurrunt capita, nempe 60., & 62., in horum priore ſacerdotes monaſterio frequentibus precibus inhiantes admitti permittit, ſi modò omnia, quæ poſſident, egenis, & pauperibus erogent juxta Evangelicum conſilium, regulamque ſedulo ſervaturos ſpondeant. His vero annus tirocinj, ſeu novitiatus non eſt præſcriptus, ut obſervat Menardus. Locus vero concedebatur primus poſt Abbatem, ante Præpoſitum, & Decanos, ſi non erant ſacerdotes.

In poſteriori capite venia datur Abbati, ut ex monachis ad ſacerdotium eos promoveri permittat, quos tanto honore dignos præ virtutum meritis duceret.

V. Baron. ad eum annum n. 10.

VIII. Præterea Bonifacius Papa IV. in Concilio Romano III. coacto anno 610. decrevit monachos ad Sacerdotium, & ad Epiſcopales infulas

ſulas digniſſime promoveri, acriter carpens, qui contrarium contendebant, cauſſantes quod monachi mundo mortui ſint, ac debeant Deo vivere; quinimmo ex hoc ipſo tantis dignitatibus meritiſſimos eſſe ſtatuit Pontifex; Decretum perinde dedit cum epiſtola conciliari ad Athelbertum Anglorum Regem, quo excommunicationis fulmen intentavit in omnes etiam Reges, ſi forte ipſius decreti executionem impediviſſent.

C. ſunt nonnulli 25. 8. q. 1. in Collect. Holſtenian. pag. 242.

Id Decretum cum ceteris actis Synodalibus diu delituerat, præter ea verba, quæ habentur apud Gratianum, donec e tenebris eruit diſertiſſimus Lucas Holſtenius. Nihilominus Du-Pinus hæc duo antiquitatis monimenta ſuſpectiſſima habet, præcipue quod in Decreto Concilj monachi Angelis aſſimilantur, eorumque veſtimenta ſex Cherubim alis, quibus Altiſſimus tegebatur; quas comparationes ridiculum potius alicujus monachi phantaſma, quam conciliarem ſenſum reputat.

Apud Iſajam Cap. 6. v. 2.

Vide præfractam hujus auctoris impudentiam; quum ceteroqui certum ſit ad obſecrationes S. Mellıti Londoniæ Epiſcopi, qui Romam advenit, Concilium celebratum fuiſſe, teſte Beda, & literas conciliares, ac præcepta Roma reducem in Angliam attuliſſe. Et licet notum ſit pleraque Decreti verba haberi apud Gratianum, integra autem edita fuiſſe a veridico, & fideli ſcriptore Luca Holſtenio, & correctiora inventa fuiſſe a diſertiſſimo P. Labbe in veteri Codice ſancti Symphoriani Metenſis; nihilominus nulla in contrarium ratione

Beda Hiſt. l. 2. c. 4.

In ultim. edit. Concil. t. 6. pag. 1356. &c.

adactus ea rejicere non dubitat Du-Pinus, quod tumoris aliquid, ac cacozeliæ deprehendere ſibi videatur in ſimilitudine veſtium monachalium, & alarum Cherubicarum. Mirum quod perfrictæ frontis vir ipſam allegoriam de Cherubicis alis non ſuggillet. Itaque nulli dubium, quin ſanctus Antoninus potuerit eſſe ſacerdos.

IX. Verum quum hæc licerent, humilitatis gratia pauci ex Benedictinis ad tantam dignitatem conſcendebant; ipſe ſiquidem ſanctus Benedictus Diaconatus ordinem non exceſſit, ut ſolidiſſime demonſtrat Abbas Angelus de Nuce, docte aliorum enervans opiniones. Quam quidem humilitatem æmulatum ſanctum Antoninum ne ad Diaconatum quidem aſſequendum animum adjeciſſe crediderimus; neque enim eam rem in parvis illis, quæ ſuperſunt, ejus vitæ laciniis ſcriptores reticuiſſent.

De Nuc. in Not. ad cap. 24. Vit. S. Benedict.

Quocirca putamus ſanctum noſtrum priſcos Orientalium mores, abjectionem, & Chriſtianam humilitatem imitari maluiſſe, qui adeo de ſe ſubmiſſe ſentiebant, ut poſt clericos ſacram Synaxim recipere, & locum in Eccleſia extra chorum obtinere in honore habuerint, ut ſanctus Dionyſius tradit, cujus opera tamquam genuina a Natali Alexandro propugnari pluries monuimus, & legitur in Conſtitutionibus Apoſtolicis ſancto Clementi tributis, quorum auctoritas ad exprimendos antiquos Eccleſiæ mores congrue allegari poſſe cenſemus, præcipue in re notiſſima ex Conciliis,

S. Dionyſ. De Eccl. Hierarch. cap. 3. & epiſt. ad Demophylum. V. Cujac. ad Novell. 5. Juſtin. Potiſſimum vero Franciſc. Hallier De Ordinib. Hierarchic. lib. 3. cap. 3. art. 4. & Bened. Hœphtenum In vit. S. Bened. prol. 18. §. 1.

ciliis, pluribuſque conſtitutionibus Cod. Theodoſiani, & Juſtinianei.

Gonzal. cap. 1. De Elect. & Elect. poteſt.

Id ipſum Emmanuel Gonzalez ex Cap. I. *De Electione, & Electi poteſtate*, quod Lucio I. Summo Pontifici, qui anno 253. ad Eccleſiæ Romanæ præſulatum conſcendit, rexitque annum unum, & menſes quatuor, minime ſpernenda conjectura tribuit: quum ceteri eruditi Canoniſtæ, præcipue Contius, & Antonius Auguſtinus de auctore dubitent. Verum, quum in prima Decretalium collectione aliqui codices Pio Papæ verba illa aſcribant, eadem, quæ Lucio I. tribuit Gonzalez, ſancto Pio, qui Romæ ſedit anno 156. aſciſci poſſe videntur, præſertim quum in quarta ſancti Pii epiſtola, quam genuinam Baronius, & Binius vindicant, de presbyteris ordinandis aliquid habeatur.

V. Ant. Auguſt. In Notis ad C. primum Tit. 4. primæ Collect. Decret.

Priſci igitur monachi vitæ auſteritati, jejuniis, contemplationibus, ſacris precibus, & Chriſtianis virtutibus, præſertim humilitati ſtudebant, ob quam ab Eccleſiaſticis dignitatibus ſeſe continebant. Poſt elapſum vero decimum Eccleſiæ ſeculum Abbatibus injunctum, ut ſacerdotio initiarentur ex Concilio Pictavienſi, aliiſque ſacris Canonibus; quando etiam ab illiberalibus artibus exercendis ad vitæ quæſtum avocari cœperunt, & liberalibus diſciplinis operam navare. Porro ſanctus Antoninus a laboribus, mechaniciſque opificiis non aſtinuiſſe ſequenti capite explanabimus.

CAPUT XI.

De Sancti Martini a ſancto Antonino Abbate extructo, cœlatoque ſacello.

I. Non deſidem, & inertem vitam, ut vulgus, pravique viri ſibi perſuadent, Anachoretæ, ſanctique Cœnobitæ ducebant, tum maxime occupati, quum meditationibus, & contemplationibus dediti feriari videbantur, ut divinam ſapientiam ex operibus naturalibus, vel ſupernaturalibus gratiæ haurirent. In utriſque doctiſſimus fuiſſe fertur ſanctus Antonius Abbas, qui Univerſitatis libro ſcrutando diutinam operam navabat: quo ad inviſibilia Dei conſpicienda mentis aciem acueret; quam exinde hauſtam ſapientiam multis ad eum confluentibus humaniſſima caritate communicabat.

Meditandi ſcientiam, ut putamus, neque ſtudio, neque methodo, ut a nonnullis noſtræ vitæ ſpiritualis magiſtris traditur, addiſcebant; neque ita laxa, ac deſidioſa erat, ut recentes quidam hæretici præſcribebant, & Quietis orationem nuncupabant. Sed ut Aſcetæ plures, præcipue Johannes Climacus, & noſtra ætate inter ſanctos aſcriptus Johannes a Cruce docuerunt; qui licet contemplantis mentem nullis laqueis arceat, ſed quocumque a Divina luce trahitur divagandum eſſe doceat: maximam nihilominus, perpetuam-

Orazione della Quiete di Molinos

que

Digitized by Google

que attentionem præcipit, ne mens a Dei amicitia, & conſortio diſtrahatur.

Reliquum tempus operibus manuum dabant; ut corpori neceſſaria compararent, nihil unquam remittentes cogitationis a præſentia Dei, in quo vivimus, movemur, & ſumus.

II. Præcipuum opus, cui ſanctus Antoninus perficiendo laborem conſumſit, fuit Ædicula, quam ſub nomine ſancti Martini Turonenſis D. O. M. conſtruxit, ornavitque cœlatis lapidibus, in quibus, quæ Servator noſter, ut nos in libertatem aſſereret, tormenta ſuſtinuit, mire inſculſit. Ita & quæ meditatus fuerat, opere exprimebat, & externo illo opere viciſſim mentis meditationes fovebat, & interea ſaxorum duritiem effuſis lacrymis fortaſſe emolliebat, & mallei ſoliditatem invicta animi ſui fortitudine, & conſtantia roborabat.

Sancti Martini Turonenſis ſanctimonia,(cujus vitam luculentiſſime concinnavit Sulpitius Severus ejus diſcipulus, quam eruditiſſimis inde notis illuſtravit Carolus Sigonius) admirationi fuit ſancto noſtro Antonino, ut proinde ei animum devoverit. Verum ædiculæ, quam ejuſdem nomine inſignivit, ne rudera quidem, aut veſtigia extant. Ita omnia tempus edaci dente corrodit. Veroſimile tamen videtur non in ipſo ſancti Agrippini templo, ſed haud procul in loco, ubi longo poſt tempore ædificatum cœnobium, in quo Franciſcanorum obſervantium ſodalitas degit, ut videtur

De ſancto Martin. V. lib. 2. Hiſtor. Sacr. Sulpit. Sever. in fin. cum Not. Carol. Sigon. ubi de Idacio, & Ithacio: & vitam ipſius, ac Dialog. de ejuſd. miracul. apud eumdem Sulpit. Sever. & Carol. Sigon.

In teſtimon. de Sever. quæ præmiſit ſacræ ipſius Hiſtoriæ.

Baron. tom. 3. plurib. in loc., & præſertim an. 351. n. 17. 360. & alibi; & tom. 4. ann. 375. n. 3. & tom. 5. ann. 402.

Gonzag. De Origin. Seraph. Relig. Franciſc. ejuſque progreſſib. De Regularis Obſerv. Inſtit., form. adminiſtr. &c. in 2. p. De Provinc. Terr. Labor. convent. 20. pag. 528. primæ editionis Romanæ anno 1587.

tur innuere Pater Franciſcus Gonzaga ipſius Ordinis Generalis miniſter, qui hæc tradit de Conventu ſancti Franciſci Surrentino : *Quum beatus Pater Antonius* (potius Antoninus dicendum fuiſſet) *Ordinis ſancti Benedicti alumnus, & monachorum ejuſdem inſtituti aliquando Abbas quoddam ſpecu prope maritimum litus, ac longiuſculum a Surrento Campaniæ oppido pœnitentiæ agendæ gratia ſibi in habitationem delegiſſet, contiguam vineam ſimul, atque Sacellum ſancto Martino ſacrum tum recreationis, tum quoque celebrationis cauſſa anno Domini* 600. *plantari, ædificarique ſtuduit. Quo tamen vita functo Surrentinus Senatus, ne hujuſmodi opus vel profanaretur, vel ab Ordine alienaretur, pulcherrimum Benedictinarum Monialium monaſterium in præfatæ vineæ meditullio ex communi ærario conſtruendum, ipſumque Sacellum in commodam Patris Confeſſarj earum habitationem promovendum curavit. Quumque is locus, quod oppidi vallo excluſus eſſet, maximis periculis, præcipue vero Turcarum incurſionibus pateret, præfatæ Moniales ad alium ſibi intra mœnia ex præfati Senatus mandato paratum translatæ ſunt, ipſeque Fratribus Franciſcanis, antequam Obſervantes, a Conventualibus ſejungerentur, collatus extitit. Facta vero hujuſmodi diviſione, penes Conventuales remanſit, quibus denique ad Surrentinorum inſtantiam alio ſecedentibus, Obſervantibus traditus eſt. Hujus loci accola aliquando fuit beatus Jacobus Picenus, hicque aliqua miracula edidit. Cujus Fratres, qui ut plurimum ſunt decem, Regiis ciſternis*

ex facultate a Ferdinando ſeniore Aragonio Neapolitanorum Rege facta anno 1469. Paulo II. Summo Pontifice, Friderico III. imperante, liberrime poſſunt uti. Horum verborum exemplum expreſſum ex archetypo manuſcriptum ſervatur in Surrentino Archiepiſcopali Chartophylacio aliquantum ab autographo diſſidens, a quo maluimus allatam auctoritatem excribere; circa quam nonnulla annotare ad germanam veritatem, qua nihil amabilius, comprobandam operæ pretium duximus.

III. Circa ſatam vineam a ſancto Antonino, erectumque Sacellum ultro cum Gonzaga ſentimus; quinimmo opinamur omnes illos amœniſſimos hortos mari imminentes, quibus partim Franciſcani fratres, partim Clerici Regulares Theatini modo fruuntur, ſimul conjunctos unicam ſancti Abbatis vineam olim conſtituiſſe, eo præſertim, quod apud Surrentinos conſtans traditio vigeat, in utrorumque hortorum contermina parte olim vitem germinaſſe, e cujus botris expreſſum vinum infirma valetudine laborantibus præſentiſſimam opem ferebat; quocirca pro certo habebant eam unicam reliquam fuiſſe ex vitibus, quibus ſanctus vir ſuum conſeverat arvum.

IV. Verum Gonzagæ nullam fidem præſtare poſſumus circa ea, quæ ab aliis fortaſſe oretenus accepta inconſiderate ſcriptis mandavit de ſpecu, in quo ſanctus Abbas diu pœnitentiæ ergo delituit; quod & priſci reticuerunt, & cum iis, quæ memoriæ tradiderunt, nullo modo cohærent; ferunt enim

enim egregium illum ſancti Patriarchæ Benedicti ſectatorem, poſtquam Surrentum convenit, in monaſterio Agrippinenſi perpetuo moram traxiſſe, ejuſdem præſulatum geſſiſſe, vineam plantaſſe, ſacellum erexiſſe, egregiiſque ſculturis decoraſſe, quæ diſſident a ſolitaria, & inerti illa vita in ſpecu ducta. Sed ubi ſpeluncam illam, cujus nullum veſtigium, aut memoria ſupereſt, Gonzaga, conſtituis? *Prope maritimum litus longiuſculus a Surrento* reponis? Vah! vaſtum igitur adeo, ac nemoroſum pomœrium ad litus habet, vel habuit unquam Surrentina Civitas, in quod ſe abdere longe ab hominum commercio pœnitens Anachoreta potuit, quum nullus locus ipſo litore civitati proximior, aut frequentior unquam extiterit, in quo naves conſtruuntur, onerantur, inuncantur; eo applicant, inde ſolvunt? ita ut nuſquam induſtriorum civium major habeatur concurſus. Fuit quoque in litore, poſtquam Tiberius in Caprearum inſulam ſeceſſit, præcipuum nobilium Romanorum delicium, quod ſcitiſſimis ædificiis, templiſque onerarunt, ut in altera parte dicetur; unde emergunt in dies venerandæ antiquitatis veſtigia, & quum placidum ventis flat mare, funduſque nitet, ſubſtructiones intuentium oculis ſponte ſua objiciuntur.

V. Ulterius quæ idem auctor ſubdit de monaſterio Benedictinarum Sanctimonialium in meditullio S. Antonini vineæ primo extructo in pomœrio, tum intra mœnia inſtaurato, ne Turcarum

rum incurſionibus pateret, ipſum Surrentum ferme ne conſpexiſſe quidem declarant; auditaſque potius fabulas enarraſſe dignoſcet, qui ſitum Surrentinæ civitatis teneat, non ad maris actam jacentis, ſed ſupra rupes, ubi latam planitiem ulteriora Promontorj juga relinquunt. Duo habet hinc inde litora ad hypocircium ambo ſpectantia, inter quæ inacceſſæ protenduntur rupes. Ex his per crepidinem ardui clivi ab arte non raro mollitam ad ipſam civitatem conſcenditur. Prope ſcanſilis viæ finem duabus munitis portis, pontibuſque, quos nocturni vigiles cuſtodiunt, hoſtibus præcluditur aditus; inde ab extructi latere muri, aggeres, valla, propugnacula, portæque aliæ, ceteraque munimenta ad formam recentioris militaris architecturæ incipiunt; urbemque ea ex parte, quæ terram ſpectat, & maxima eſt, circumſepiunt; antiquitus rotundæ, ac quadratæ turres muris adjacebant. Qua vero ad mare vergit, & ubi poſita vinea ſancti Antonini, muris prorſus intecta; ſupervacaneum enim fuiſſet eam partem munimentis cingere, quam ipſa loci indoles præ arduis ſaxis, præruptiſque rupibus adeo vallatam reddit, ut nulla arte munitior fieri poſſit; vix humili lorica, aut ſedilibus paſſim inſtructa eſt ad commodum eorum, qui eo ad maris proſpectum laxius ſe effundunt. Quorſum igitur muros ad eam tutiſſimam civitatis partem cum Gonzaga effingere?

VI. Verum quid Turcarum meminiſſe oportuit,

V. Laonicum Chalcondilam Athenienſ. de Orig. & Reb. Turcor. lib. 10. & Annal. Sultan. a Johann. Leunclavio latin. fact. lib. 1.

Iohan. Cuſpinian. de Reb. Turcic. Iohan. Camerarium, Sagredum &c.

quum de ea tempeſtate Gonzaga loquatur, quando barbara illa gens nondum Conſtantinopolim ceperat, nec contra Italiam piratas moverat. De Africanis Saracenis potius ab hoc auctore mentio facienda fuiſſet.

Neque etiam rectam Chronologiam ſervavit S. Antonini ſeceſſionem referens ad annum 600. quæ vix anno 618., aut 619., vel ultra contingere potuiſſet, ut in Commentariis ad Lectiones ſancti Catelli palam faciemus. Mittamus igitur Gonzagam, quem honoris gratia memoratum volumus.

V. Euſeb. lib. 3. Hiſt. Eccleſ. cap. 14. & lib. 8.

S. Auguſt. in Brevicul. collat. diei 3. c. 13.

Gonzalez, alioſque Canoniſt. ad Can. 1. De Reliq. & Venerat. ſanct.

A. Baillet Les Vies de Saints t. 1. Diſcours Sur l'Hiſtoire de la Vie des Saints p. 2.

Tilemon. alioſq.

VII. Ad rem vero redeuntes, nemo miretur, quod ſanctus Martinus Turonenſis, qui in Gallia duobus ferme ſeculis ante obiverat, antiquis iis temporibus tam cito præter morem in Italia, & præſertim Surrenti ſanctorum cultum fuerit conſecutus. Quum ea ætate ſanctimoniæ fama decedentes viri tantum in eorum provinciis ſoliti eſſent Chriſtiana veneratione Epiſcoporum, vel Metropolitanorum auctoritate honeſtari. Quam deinde ſenſim a ceteris Orbis Chriſtiani Catholicis etiam obtinuerunt. Perſpicuum enim eſt ſanctum Martinum Turonenſem niſi forte primum, ſaltem inter primos fuiſſe, qui per Orbem communi fere omnium affici adoratione in Eccleſiis meruerit. Et quidem ſanctus ipſe Benedictus quum Caſinum ſeceſſit, ibi ſancto Martino Turonenſi primum ædiculam extruxit, ut in ejus vita legitur.

Circa

Digitized by Google

Circa ſancti Antonini annos uſque ad extremam ſenectutem eum vixiſſe ducimus ; id noſtra Chronologia etiam innuit ; quod ſenium vetus ejuſdem pictura exprimit .

VIII. Quod in calce ſecundæ Lectionis additur : *Ad Dominum migravit xvi. Kalendas Martj* , concinere videtur cum Martyrologio Romano , atque antiquiſſima Surrentinorum traditione , qua eo die celebritatem ipſius illos magnificentiſſime inſtituiſſe ab hominum memoria conſtat . Eodemque hoc die ad Superos eum evolaſſe tradit antiquiſſimus auctor Anonymus his verbis : *Expiravit in Domino xvi. Kalendas Martj , Conſule Probiano* . Quamobrem vehementer miramur quei factum ſit , ut in veteribus aliquot Martyrologiis Langobardica manu exaratis , *Pulſanenſi* ſcilicet , & *Pleſcano* , & præcipue in illo Florentiæ excuſo anno Domini 1486. opera Antonj Veſpucj in præcedentem diem ſancti Antonini mentio injecta ſit his verbis : *Idibus Februarj ſancti Antonini Confeſſoris* , ut teſtatur ſe vidiſſe Caracciolus . Quorum auctoritate fretus Bollandus immerito quidem conſilium Baronj , qui ad diem xvi. Kal. Martias ſanctum Antoninum aſcripſit , videtur acriter carpere , atque improbare his verbis : *Cetera a Cardinale Baronio ad diem inſequentem tabulis Martyrologj aſcripta , auctores haud uſquequaque in omnibus ſolidos ſecuto* . Quaſi vero Baronius primus ſuo arbitrio , inconſultoque obitum ſancti Antonini , aliaque minoris momenti ad poſterio- Bolland. in Comment. præv. §. 1.

Digitized by Google

rem diem protraxerit . Et quaſi unis ſolummodo citatis a Caracciolo Martyrologiis ſtandum eſſet, ceteris aliis non infimæ notæ auctoribus neglectis, ipſo etiam vetuſtiſſimo Anonymo, &, quod caput eſt, Surrentinæ quoque Eccleſiæ traditione, & conſuetudine .

Caracciol. loc. ſæpecit. Not. 15.

IX. At, ut dicam quod res eſt, hæc omnia a Bollando turbantur; quoniam plus æquo Caraccioli defert auctoritati, & quandoque immo audentior etiam præterit. Hic enim de obitu ſancti Antonini verba faciens inquit: *De die quidem nonnihil variant vetera Pulſanenſe, & Pleſcanum Martyrologia, quæ beatum Antoninum habent die præcedenti, hoc eſt, Idibus Februarj. Sed re conveniunt; nam illa obitum, Romanum vero Martyrologium, & Eligianum Kalendarium depoſitionem commemorant*. Verum quei his verbis Pulſanenſe, & Pleſcanum Martyrologia, & Anonymum, ac Martyrologium Romanum inter ſe diſcordantia jam ſatis conciliaſſe ſibi perſuaſerit Caracciolus, non videmus. Nos ſane ipſius ſententiæ accederemus, ſi variatio inter Martyrologia tantummodo reperiretur, quæ revera, adhibita diſtinctione de obitu, & depoſitione, conciliari facillime poſſent. At vero ab Anonymo diſſidentiam nunquam ea methodo concordaveris; Anonymus enim adeo diſtincte, dilucideque ſancti Antonini obitum ad xvi. Kalendas Martias refert, ut nullum relinquat locum interpretandi ſe depoſitionem voluiſſe potius indicare. Niſi perperam, præpoſtereque velis

velis prius depoſitionem, deinde obitum ſancti Antonini contigiſſe.

X. Nos igitur, qui conſtanter tenemus una cum Anonymo, & cum lectionibus a S. Rituum Congregatione probatis, cum ipſa Surrentinorum traditione, & cum Romano Martyrologio diem extremum XVI. Kalendas Martias clauſiſſe ſanctum Antoninum, arbitramur vetera Pulſanenſe, & Pleſcanum Martyrologia non eſſe de ſancto Antonino Abbate Surrentino intelligenda, ſed de alio ſancto Antonino, qui ibi fortaſſe deceſſerat, ubi hæc Martyrologia confecta fuerunt. Atque id nobis eo magis perſuademus, quod antiquis Martyrographis, qui non unius civitatis, aut regionis, ſed Orbis Chriſtiani Martyres, ſanctoſque in faſtis annotarunt, uſuvenerit, uti Florentinius advertit, aliique, & in hujuſmodi Martyrologiis videre eſt, ſi non alia, ſaltem mortis genus, nomen, & locum, ubi ſancti viri aliarum regionum obiverint, poſteritati demandare; quod in Martyrologiis a Caracciolo citatis pro ſancto Antonino haud legitur. Præterea ſi de ſancto Antonino Surrentino loquerentur, potius debuiſſent ita tenere: *Idibus Februarj ſancti Antonini Abbatis*, non vero *ſancti Antonini Confeſſoris*; ut revera habent, ſi Caracciolo credimus. Quid igitur argumenti eſt, ut ſuſpicemur ea Martyrologia ibi de Abbate Surrentino meminiſſe, niſi tantum homonymia? Cui ſi minimum attendendum hac in re eſſet, poſſemus etiam nullo ſtabili fundamento conjice-

Soller. in Actis ſanctor. Bollandian. tom. 5.

conjicere plura ſane ex antiquis Martyrologiis a Sollerio nuper vulgatis ſancti Antonini Abbatis Surrentini voluiſſe mentionem invehere; hæc enim plures ſanctos Antoninos commemorant. Id abſurdum plane eſſet, accuratoque ſcriptore prorſus indignum, quum ex Periſtaſi, ſive adjunctis aliis rebus facile cuique ſit cognoſcere, ea de aliis ſanctis Antoninis, non autem de Abbate Surrentino eſſe intelligenda. Perpendat igitur lector quam firmæ ſint hujuſmodi Caraccioli conjecturæ, quibus Bollandus incunctanter adhæret.

XI. Qui autem fuerit Conſul ille Probianus, de quo meminit Anonymus; quum antiqua Surrentinorum monimenta pluries incendiis, & direptionibus conſumta perierint, ut alias diximus, ad noſtram memoriam non pervenit. Opinamur

Bolland. in Not.

tamen cum Bollando Conſulem fuiſſe Surrentinum. Ex quo inſuper colligimus etiam ſancti Antonini tempore Surrentum nulli fuiſſe ſubjectum, & more Reipublicæ ſeipſum gubernaſſe, ut fuſius in libro tertio ſecundæ partis expendemus.

CA-

CAPUT XII.

De Obitu, ac Sepultura ſancti Antonini.

I. QUum in ultimum vitæ diſcrimen ſanctus noſter Abbas adductus eſſet, mœrentes, qui aſtabant, monachi, in lacrymaſque effuſi ſubmiſſe eum interrogarunt, quo in loco exanime cadaver inferri juberet. Neque intra, neque extra urbem reſpondiſſe, teſtatur Anonymus, fertque vetuſtiſſima Surrentinorum traditio; proindeque in mœnibus ipſis civitatis conditum fuit: ubi ad cuſtodiendam dilectam civitatem ſuam pervigilium agere videtur, ut ſupra etiam dictum eſt. Neque exinde unquam ſacrum corpus dimotum; quod quum quidam cernere immodica cupiditate averent, locum effodere aggreſſi ſunt, ſed oſtentis conterriti altius excavare deſtiterunt, ut memoriæ traditum eſt. Certa tamen fides eſt crebris miraculis comprobata, ibi in mœnibus civitatis ſancta oſſa quieſcere, ubi templum ſuo nomini poſitum extat; peculiariter vero ſubtus abſidem Aræ maximæ exeſis muris inhærentem, ubi ſacrum concameratum hypogeum columnis ſuffultum, affabreque ornatum ſancti Antonini Altare complectitur, ſub quo jamdiu conditum ſacrum corpus auguſte, ſancteque colitur.

II.

II. Heic porro ea, quæ ſtatuimus circa tempus, quo Dei vir in vivis fuerit, recudendi, atque firmandi iterum exhibetur occaſio. Octavo enim, aut nono Eccleſiæ ſeculo, quo vixiſſe ſanctum Antoninum doctus vir contendebat, jamdiu exoleverat mos ſepeliendi fideles extra Eccleſias, præſertim vero Benedictinos, qui ea tempeſtate vel in ipſis ſacris templis, vel ſaltem in cœmeteriis intra monaſterj clauſtra ad ſepulturam dabantur. Neque credibile eſt ſanctum Antoninum extra Eccleſiam ſepulturam elegiſſe, ſi contrarium in more poſitum tunc fuiſſet. Abſonum ſane a virtute videbatur ſocietatem aliorum ſanctorum corporum reſugere, & ſuffragiis privari, quibus fruuntur ii, qui in Eccleſia conduntur. Quæ res clarius niteſcet, ſi de variata Eccleſiæ diſciplina circa mortuorum curationem, aliquid perſtringamus.

Caracciolus.

V.PP.Congreg. S. Mauri in Not. ad epiſt.12.S.Gregorj Magni lib.1. indict.9.

III. Execrati ſunt ſemper Chriſtifideles illorum ſententiam, qui nullam de humanis cadaveribus curam ſuſcipiendam eſſe ducebant, nec quidquam laborandum, humi ne conditi, an ſublime putreſcerent, ut ſentiebant Cynici, Epicurei, & Stoici. Multo potius Antropophagorum immanitatem averſati, qui ſenes occidebant, parentum cadavera comedebant, ſanctius, honeſtiuſque ducentes ab hominibus, quam a vermibus devorari, perinde ac ab hominibus comeſi homines non fœdius putreſcerent, nec ulla omnino ſupereſſet via vermes a voratione arcendi. Alios mortuorum

Lucret. lib.3.Lucian. De Luc. Senec. Epiſt.93.

Herodot. lib.3.& 4. Strab. hiſt.11.

rum curandorum modos apud barbaras nationes qui curioſius dignoſcere cupit, adeat in primis Ciceronem, Lilium Gregorium Gyraldum, Alexandrum ab Alexandro, Panvinium, Grævium, Spondanum, Gretſerum, Mercurialem, Cardinalem Bonam, Alexandrum Donatum, Nardinum, & ſexcentos alios.

Cic. Tuſcul. diſp. lib. 1. Lil. Greg. Gyrald. De ſepulcr., & Spond. ad Hom. Iliad. 7. & Odyſs. lib. 3. Alexand. ab Alexan. Dier. Genial. lib. 3. cap. 2. Onuphr. Panvin. in ſuis lib. Antiq. Roman. Spondan. De ſacr. Cœmet. Mercurial. De Curat. mortuor. Bon. de Divin. pſalmod. Don. de urbe Roma. Farnab. ad Senec. Troad.

IV. Quod vero ad rem noſtram pertinet, a primis Eccleſiæ incunabulis conſuevere Chriſtiani curam mortuorum fidelium corporibus impendere, id opus corporalis miſericordiæ Deo acceptiſſimum eſſe rati ex Tobia, aliiſque veteris, & novi Teſtamenti auctoritatibus, quas abunde colligit ſanctus Auguſtinus. Non quod inſepulta corpora aliquid patiantur, quum ſint ſenſus prorſus expertia; neque eorum animæ, quas non tranare Stygia fluenta, erranteſque vagari, priuſquam corpora ſuas ſedes teneant, Poëtæ fabulati ſunt; ſed, ut ſubdit idem ſanctus Auguſtinus: *Nec ideo tamen contemnenda, & abjicienda ſunt corpora defunctorum, maximeque juſtorum, ac fidelium, quibus tanquam organis, & vaſis ad omnia bona opera ſanctus uſus eſt ſpiritus*. Qui ſanctus Doctor adducto inſuper exemplo de veſtibus, & parentum anulis, qui cari ſunt poſteris, multo magis corpora honoranda eſſe arguit, quæ adeo arcte ab animabus informata fuerunt; quod idem antea dixerat in primo libro de Civitate Dei. His etiam ſimilia pridem docuerat Origenes.

Tob. cap. 2. v. 9. & 12. S. Auguſtinus Lib. de cura gerend. pro mortuis ad S. Paulin. Nolan. inſerto in 6. Oper. tom. a PP. Congreg. ſancti Mauri n. 3. Virgil. l. 6. Æneid. S. Aug. loc. cit. n. 5. De Civit. Dei l. 1. cap. 13. Origen. lib. 5. contra Celſum, & l. 8.

V. Humi condi cadavera uſitatius fuit He-

Gen. cap. 3. v. 2. Eccleſ. cap. 12. v. 7

bræis ad ea Geneſis verba attendentibus: *Quia pulvis es, & in pulverem reverteris*; & ad Eccleſiaſten: *Revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat, ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.*

S. Auguſt. oper. tom. 5. In Sermonib. ad populum ſerm. 172. juxta ordinat. Benedictin. S. Maur. n. 3. & ſerm. ſequent.

Conſtructa quoque ſanctis Patriarchis ſepulcra; quem morem ſanctus Auguſtinus Chriſtianis commendat ita: *Sit pro viribus cura ſepeliendi, & ſepulcra conſtruendi*,

Veſtes etiam, aliaque pretioſa ornamenta cum mortuis condere conſueverunt plerique, quæ ne latronum præda evaderent, ita lacerabant, ac deformabant, ut nemini uſui eſſe poſſent, quemadmodum teſtatur Origenes. Quem profuſum luxum, ac ſumtum non probat ſanctus Johannes Chryſoſtomus.

Origen. In Job ad cap. 1.

S. Jo: Chryſoſt. Homil. 8. in S. Johann.

Nihilominus mos ſepeliendi pretioſas res cum cadaveribus magnorum Præſulum, materiamque latrunculis præbendi uſque ad ſequiora Eccleſiæ ſecula, nobiſque viciniora perſeveravit, ut ex lepida Johannis Boccaccj fabella liquido patet.

Gio: Boccac. Decam. gior. 2. Nov. 5.

Condendi etiam terra vetuſtiſſimum fuiſſe apud Romanos inſtitutum tradit Plinius. Cadavera vero cremare poſterius fuit.

Plin. lib. 7. cap. 54.

At vero jure XII. Tabularum ſtatutum: *Hominem mortuum in urbe ne ſepelito, neque urito.* Id, quod Senatusconſulto, Duillio Conſule, approbatum eſt: a qua nihilominus lege, & S. C. Imperatores, & Veſtales immunes fuerunt.

Cic. lib. 2. De legib.

V. Lil. Greg. Gyrald. lib. de Vario ſepeliédi Ritu pag. 649.

VI. Eamdem hanc legem Imperator Adrianus confirmavit, addita multa quadraginta aureorum fiſco

Lib. 3. §. Divus Adrianus ff. de Sepulcr. Violat.

ſiſco addicenda contra non parentes. Hanc prohibitionem revocavit poſtmodum Leo VI. Græcus Imperator cognomento *Philoſophus*, *&* *Sapiens*, qui obiit circa principium decimi ſeculi, improbans reſcriptum Adriani tanquam humanæ naturæ injurium in ſua Novella Conſt. 53. Claruit ſane hic Imperator prudentia, & ſumma Romanarum legum peritia, quas, ut plerique putant, in 60. lib., aut titulos collegit, indito iis Baſilicorum, ſeu Ἑξηκονταβίβλου nomine. Eos Johannes Leunclavius latinos fecit, ediditque. Inſignis quoque fuit ob Geometriæ, & Philoſophiæ ſcientiam, quemadmodum tradit Zonaras, ejuſque diverſa opera demonſtrant, præcipue ſacri ſermones. Verum in Europa, & in ipſa Italia, jam tranſlato Occidentali Imperio ad Succeſſores Caroli Magni, parum obtinebant Orientalis Imperj leges; proinde etiam ante Novellam Leonis Conſtitutionem prohibitionem Romanorum Principum de non inferendo in civitates cadavera cum aliis ſuperſtitionibus Violati Sepulcri abolitam fuiſſe auctoritate Chriſtianorum Conciliorum liquet: præcipue quum experientia compertum ſit nullam noxam vivis fœtorem afferre, quando illa in Coemeteriis, vel profundis foſſis operculo ſcite ſtipatis humantur. Propterea fruſtra ſunt enixæ querimoniæ, & timor Lilj Gregorj Gyraldi circa fœtorem cadaverum, niſi improbus ſit præ multitudine, quando ea urere ſanctus ipſe Auguſtinus fas eſſe dicebat.

Novellas Conſt. Leon. VI. latinas fecit, ediditque Agylæus n. 113. non tres, ut habet Cave.

Zonaras Annal. tom. 3. In Imperio Michaëlis Theophili, & Theodoræ, & in Imperio ipſius Leonis.

V. Baron. ad ann. 902. extant in Biblioth. PP. tom. 17.

V. Cujac. obſerv. lib. 21. cap. 13.

Gyrald. loc. ſupra cit.

De Civit. Dei loc. cit., ac de Cura gerenda pro mortuis.

V. Gyrald. loc. cit.

Atque hic ſane Panicus timor, ac metus, ne fœtor, & gravis fœduſque halitus vivos inficeret, occaſionem dediſſe putatur illi, quæ in legibus XII. Tabularum habetur, prohibitioni. Quapropter pro mortuis ſepeliendis Chriſtiani Romæ, & alibi etiam extra urbes ſacra loca compararunt, quæ Græca voce κοιμητήρια, ideſt, Cœmeteria, quaſi Dormitoria appellarunt. Areæ quoque dicta a Tertulliano, a ſancto Hieronymo Polyandria, non quaſi polluta antra, ut ridicule exponit Julius Lavorius, ſed quaſi multorum hominum receptacula.

Spondan. De ſacr. cœmet. lib. 1. p. 3. cap. 12.
V. Pomp. Sarnell. Nella guida de' Foreſtjeri per Napoli lib. 3. cap. 4.
Tertull. ad Scapulam lib. Apolog. pro Chriſtian.
S. Hieron. in Jerem. 1. v. 19.
Lavor. De Priſc. funerand. Mor. cap. 6. V. Gonzalez ad cap. 1. De ſepultur.
S. Epiphan. Hæreſ. 3. cōtra Ebion.
V. Antiqu. Baſilic. Sarnell. cap. 16. n. 11.

Inſuper Tumbæ a Judæis, ut ſanctus Epiphanius tradit, Catacumbæ, ſive Catacombæ, quaſi ſpeluncæ in petris effoſſæ, & conſtructæ (ut monimentum Chriſti Domini, quod erat Joſephi ab Arimathæa in ſaxo exciſum, & ut ſpelunca illa Abrahæ) & loci natura Cryptæ Arenariæ dicebantur.

VII. Atque hæc veluti Templa, & Oratoria primis Chriſtianis per omnes fere provincias fuerunt, quô tempore perſecutionum ad ſacra, & preces ſolebant convenire, ut Euſebius pluries innuit, & præſertim ubi tradit Gallienum Imperatorem ſupremum dominium nactum, cœmeteria ſua ut Chriſtianis reſtituerentur, effeciſſe, quæ pater ejus Valerianus antea per vim abſtulerat. Sed ubi crevit Chriſtianorum huc confluentium frequentia anniverſario præſertim paſſionis Martyrum die, iſti ampliora, & auguſtiora loca

Euſeb. Cæſarien. Hiſt. Eccl. lib. 7. cap. 11. l. 9. cap. 2. & lib. 6. cap. 13. & alibi.
V. S. Clement. Conſt. Apoſt. lib. 6 cap. 29. S. Athanaſ. in ſua Apolog. & Panvin. lib. cit. cap. 7. ac Spondan. loc. cit. & Sarnell. Antiqu. Baſilic. loc. cit. n. 12.

Digitized by Google

ca pro orationibus ſibi extruentes ipſis cœmeteriis adjacentia, ea etiam cœmeteria vocarunt. Quamvis non defuerunt, qui clanculum plura Martyrum cadavera ſæpe in ædibus ſuis, hortiſque domeſticis, aut Cryptis ſecretis intra mœnia ſepelierint, ut in eorum paſſionibus legitur, & advertit Baronius, & Panvinius.

Baron. Tom. 1. Annal. ann. 226. Panvin. loc. cit.

VIII. Deinde, pace Eccleſiæ data, ut opinatur Panvinius, vel melius ex Maxentj tempore, (qui, ut gratificaretur Chriſtianis, eoſque a Conſtantini amicitia divelleret, ſe Chriſti ſectatorem inſimulavit, illiſque pro Martyribus in urbe conceſſit ſepulcra comparare, ut refert Euſebius, quando Marcellus Papa vigintiquinque Titulos in urbe conſtituit *propter Bàptiſmum*, *Pœnitentiam*, *& propter ſepulcra Martyrum*, ut habetur apud Anaſtaſium Bibliothecarium) cœpere Chriſtiani primum Martyres, ſanctoſque viros intra urbes tumulare, ac ſupra eorum corpora martyria, ſeu templa, altaria, oratoria, & id genus alia excitare.

Panvin. loc. cit. cap. 11. 12. & 13. V. Romam ſubterraneam lib. 3. cap. 66.

Panv. l. cit. cap. 7. V. Baron. tom. 3. ad ann. 306. n. 25. & ad an. 309. n. 4. Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 8. cap. 26. Spondan. loc. cit.

Anaſt. Biblioth. in Vita Marcelli Papæ.

IX. Laudabili miſericordia ad hæc martyria, vel monimenta, aut Martyrum ſepulcra Agapæ a Chriſtifidelibus antiquiſſimis temporibus inſtitui cœpere; quibus & egeni reficiebantur, & Chriſtiana caritas fovebatur non aliter, ac in ipſius Chriſtianæ religionis incunabulis poſt ſacram Synaxim Agapæ in Eccleſiis celebrabantur; quem morem ſcite contra Romanum Senatum propugnavit Tertullianus.

Tertull. in Apolog. cap. 39.

At

Digitized by Google

At vero quemadmodum Agapas propter enatos præcipue a Nicolaitis abuſus Gangrenſis, Laodicena, aliæque Synodi vetuerunt: ita ſacræ Martyrum cœnæ propter edacium, ac bibonum intemperantiam ab Epiſcopis eliminatæ fuerunt. Cui malo compeſcendo præ aliis operam navaſſe videtur ſanctus Ambroſius Mediolanenſis. Refert quidem ſanctus Auguſtinus Monicam matrem ſuam, dum Mediolani verſaretur, caniſtrum cibis refertum, ſicuti in Africa conſueverat, detuliſſe, & ab Oſtiario fuiſſe prohibitam, quod is mos fuiſſet a Præſule Ambroſio interdictus.

Syn. Gangren. cap. 11. &c.

S. Ambroſ. De Elia, & Jejun. c. 17.

S. Auguſt. lib. 6. Confeſs. cap. 2.

Ipſe quoque ſanctus Auguſtinus eas effuſas cœnas acerrime improbat, in quibus per corruptelam voracitate, propinationibus, temulentia non egeni, ſed intemperantes nutriebantur. *Novi*, venuſte inquit ſanctus Doctor, *multos eſſe, qui luxurioſiſſime ſuper mortuos bibant, & epulas cadaveribus exhibentes ſuper ſepulcra ſeipſos ſepeliant, & voracitates, ebrietateſque ſuas deputent Religioni*. Hos merito ut ſuperſtitioſos, & *ſepulcrorum adoratores* proſcribit, non quod inſtitutio talium cœnarum ab initio aliquid Idololatriæ, aut inhoneſti contineret, ſed, quod ſobrietatis & abſtinentiæ virtus in iis conviviis ſepeliri, & contraria vitia cohoneſtari viderentur. Simile quid Cinenſes uſurpare novimus, ſed multo pejus, quod eas cœnas non ad ſepulcra Martyrum, ſed damnatorum hominum celebrant.

S. Auguſt. lib. De morib. Eccl. Cathol.

V. Card. Bellarm. Controv. tom. 2. Controv. 4. lib. 2. cap. 4. §. Quod autem.

X. Circa hæc Martyrum ſepulcra nos nequid-

quidquam latet quoſdam emunctæ naris eruditos contendere, quod primis hiſce Eccleſiæ ſeculis uſque etiam ad ſeptimum, & ultra nunquam in ipſis Eccleſiis alii Chriſticolæ, exceptis Martyribus, ſanctiſque viris fuerint ſepulti; ſed ad ſummum in exteriori templorum ambitu, in eorum porticibus, vel juxta Eccleſiarum muros, quos putant poſterioribus ſeculis fuiſſe pertuſos, & ea ſepulcra intra Eccleſias aſcita, ut modo eſt, & in capellas, quibus in antiquis Eccleſiarum ſtructuris non erat locus, commutata; cui ſententiæ fidem arceſſere nituntur ex Johanne Diacono, qui de ſancto Gregorio ſcripſit: *De ſepultura juxta Eccleſiam commodum ſperare prohibuit*. Et præterea quod apud Euſebium legatur, Conſtantinum Magnum in veſtibulo templi ſanctorum Apoſtolorum fuiſſe Conſtantinopoli ſepultum a filio, qui revera ſummo honori id illi fuiſſe cenſuit, ut ait ſanctus Johannes Chryſoſtomus. *A quo Conſtantino*, ut ait Sozomenus, *tamquam ex ejus rei auctore, conſuetudine ducta, Imperatores Chriſtiani ibi ſepeliuntur, atque Epiſcopi etiam; quippe quum dignitas ſacerdotalis imperj dignitati par ſit, immo vero in locis ſacris primas obtineat*. Et profecto Theodoſium juniorem in paterno monimento fuiſſe poſitum in dextera porticus ejuſdem templi ſanctorum Apoſtolorum referunt Cedrenus, & Nicephorus. Et Romæ in porticu ſancti Petri ſepultus fuit Honorius Imperator.

V. Pomp. Sarnell. In Baſilicograph.

Io: Diac. In Vit. S. Greg. lib. 2. c. 20.

Euſeb. in Vit. Conſtant. lib. 4. c. 60.

S. Jo: Chryſoſt. Homil. 26. In epiſtol. 2. ad Corinth. & Hom. 66. ad populum Antiochenum.

Sozom. lib. 2. cap. ult.

V. Io: Cabaſſut. In Notit. Eccleſ. ſecul. 9. in fin. ubi de Concil. Nannat. poſt n. 3., & can. 4.

Niceph. lib. 14. cap. 58.

V. Panvin. loc. cit. cap. 7.

XI. At vero maxime mirari ſubit, quei id ſibi adeo

adeo potuerunt perſuadere viri alioquin eruditi, ut circa hanc rem aliqui perperam, aliqui fluctuantes, aliique confuſe ſcripſerint. Uberrima enim ſuppetunt ubique exempla eorum, qui intra Eccleſiam illis etiam antiquis temporibus humati fuerunt. Sanctus ipſe Ambroſius in Baſilica a ſe excitata, in quam tranſtulerat corpora ſanctorum Martyrum Gervasj, & Protasj, ſibi ſepulturæ locum deſtinavit. Idemque fratrem ſuum Satyrum in Eccleſia juxta Martyrem ſepelivit, ut teſtantur complures, & præſertim Dungalus vetus ſcriptor his verbis: *Idcirco* (nimirum ſubſidj a Martyre impetrandi gratia) *Ambroſius ſuum fratrem Satyrum, quem nimium dilexerat, juxta ſanctum Martyrem Victorem ſepelivit, de quo tres libros edidit egregios, unum de ejus planctu, alteros duos conſolatorios de Reſurrectione, & Paradiſo, cujus Epitaphium hoc dictavit Tetraſticho*:

Uranio Satyro ſupremum frater honorem
Martyris ad lævam detulit Ambroſius.
Hæc meriti merces, ut ſacri ſanguinis humor
Finitimas penetrans alluat exuvias.

Idque majorum inſtitutum fuiſſe ipſemet fatetur Ambroſius, ſive mavis, Maximus Taurinenſis his verbis: *Ideo a majoribus proviſum eſt, ut ſanctorum oſſibus noſtra corpora ſociemus, ut dum illos Tartarus metuit, nos pœna non tangat &c.* Sanctum Ambroſium imitatus fuiſſe videtur ſanctus Paulinus, qui in fine panegyrici Celſo puero dicti cecinit:

V. Baron. Tom. 4. ad ann. 383. n. 17.

Dungal. Tom. 1. Auctar. ad Bibliothec. SS. PP. in lib. contra Claud. Taurin. ad Ludovicum Pium. V. Gretſ. loc. cit. l. 2. c. 18. Et præterea Ludov. Thomaſs. De Nov. & Veter. Eccleſ. Diſcipl. p. 3. lib. 1. cap. 65. n. 4., & alios.

V. Baron. loc. cit. n. 16. & Gretſer. De Funer. Chriſtian. lib. 2. cap. 8. pag. 104. edit. Ingloſtadien. ann. 1611.

Maxim. Taurin. Serm. 77. inter Ambroſian.

V. Baron. loc. cit. n. 18. & Gretſer. loc. cit.

Quem

Quem Complutenſi mandavimus urbe propinquis
Conjunctum tumuli fœdere Martyribus.
Ut de vicino ſanctorum ſanguine ducat,
Quo noſtras illo purgat in igne animas.

Et quidem vetus fuit conſuetudo defunctis condendi epitaphia, vel ea appingere ſepulcris, ut tradit Prudentius, præſertim eorum, qui fuerant de Christiana republica benemeriti, vel ſanctimoniæ, aut Martyrj gloria obiverant. Unde ſanctus Damaſus Papa plurima ſanctorum Martyrum ſepulcra verſibus exornavit.

Prudent. In Paſſion. S. Hippolyt. Epiſc. & Martyr. V. Paul. Diacon. Hiſt. Langobard. lib. 3. cap. 9.

Inſuper Marcellina ſancti Ambroſj ſoror juſſit, ut corpus ſuum Roma transferretur Mediolanum, & in fratris ſepulcro conderetur, ut fraternis aſſociaretur oſſibus, cujus Epitaphium lege apud Baronium. Sancta quoque Macrina ſancti Gregorj Nyſſeni ſoror, ejuſque parentes in Baſilica Martyrum ſepulti fuerunt. Et corpus beatæ Paulæ in medio Bethleemiticæ Eccleſiæ poſitum fuit, ut auctor eſt ſanctus Hieronymus inquiens: *In media Eccleſia ſpeluncæ Salvatoris eſt poſita.*

V. Spond. loc. cit. cap. 13. Baron. Tom. 4. ann. 383. n. 17.

V. Gretſer. loc. cit.

S. Hieron. In Epitaph. Paulæ V. Panvin. loc. cit.

XII. Clodoveus vero Francorum Rex Pariſiis in templo ſanctorum Apoſtolorum conditus fuit. Et ſanctus Benedictus Abbas Caſini in Baſilica ſancti Johannis Baptiſtæ. Præterea miſſos facimus Leonem, Simplicium, Gelaſium, Anaſtaſium II., Symmachum, Hormiſdam, alioſque Romanos Pontifices, qui apud ſanctum Petrum conditi fuerunt, ut refert Panvinius. Quid dicamus de Venantio Fortunato Pictavorum ſub finem

Idem loc. cit.

Mabill. Tom. 1. Annal. Ordin. S. Benedict. lib. 7. pag. 200. n. 55. an. Chriſti 589.

Idem ibidem n. 56.

Evagr. lib. 3. cap. 31.

S. Auguſt. De Cur. gerend. pro mortuis cap. 1.

vitæ Epiſcopo, quem in beati Hilarj Baſilica ſepultum fuiſſe contendit Mabillon? Qui inſuper hæc ſubdit: *Beatæ Mariæ Baſilicam ſancta Radegundis itidem extra muros Pictavenſes ad ſepulturam monialium ſanctæ Crucis conſtrui curaverat.* Quid de Juſtiniano Imperatore, qui Baſilicam ſanctorum Apoſtolorum ædificavit Conſtantinopoli, in qua Imperatores, & Patriarchæ ſepulturæ locum haberent, ut auctor eſt Evagrius? Apertiſſime id rurſum liquet ex memorato ſancti Auguſtini libro *De cura gerenda pro mortuis* ſcripto, ut putant Patres Congregationis ſancti Mauri, poſt annum 428., ubi habetur Floram religioſiſſimam viduam a ſancto Paulino Nolano Epiſcopo impetraſſe, ut fidelis defunctus ſuus filius Cyngius in beatiſſimi Felicis Baſilica poneretur, quod a ſancto Hipponenſi Epiſcopo probatur.

V. S. Greg. M. juxta Ordinat. PP. Congr. S. Maur. lib. 1. Indict. 9. epiſt. 12. ad Johan. Epiſc. de Urbe veteri, & lib. 8. Ind. 1. epiſt. 3. & lib. 9. Indict. 2. epiſt. 3. & aliis.

Dialogor. lib. 2. cap. 10. 23. & aliis & lib. 4. cap: 50. 51 52. 53. 54. & aliis

XIII. At quid tot, tantaſque hiſtorias congerimus, quarum, ſi temporis anguſtiæ, atque inſtituti noſtri propoſitum pateretur, poſſemus grande volumen conſarcinare? Ut uno verbo lectores expediamus, qui voluerint certo comperire, an antiquis Chriſtianis mos fuerit ſepeliendorum defunctorum in Eccleſiis, adeant Epiſtolarum, & Dialogorum libros ſancti Gregorj Magni, qui adeo luculenter, dilucideque patefacit ſe facultatem ſepeliendi in Eccleſiis aliquibus feciſſe, & quoſdam, qui indigni plane erant, ut in eo ſacro loco, in quo tumulati fuerant, immorarentur, ex Eccleſia foras extractos fuiſſe

tam

tam aperte narrat, ut nullum neque legenti ſcrupulum, neque cavillanti effugium relinquat, quin quiſque, velit nolit, fateatur ante ſancti Gregorj ætatem complures propter corruptos mores, etiam indignos fuiſſe in Eccleſia ſepultura donatos. Et præterea quid aliud arguunt verba hæc ſancti Ambrosj? *Nondum erant hujuſmodi templa, in quibus fidelium domino reliquiæ condantur.* S. Ambr. lib. De Abraham cap. 9. n. 8. pag. 308. nov. edit.

XIV. His omnibus fortaſſe adductus eruditiſſimus Gretſerus inquit: *Conſuetudo ſepeliendi in Eccleſiis paſſim invaluit, ne priſcis quidem Chriſtianis ignota, aut inuſitata, qui in magni beneficj loco ponebant, ſi ſepulturam in Eccleſia martyris, vel alterius ſancti reliquiis nobilitata conſequerentur.* Gretſer. loc. cit. Videat igitur lector quid cauſſæ fuerit eruditis illis ceteroqui ſcriptoribus, qui vel ancipites hac de re ſcripſerint, vel contrariam potius apud Chriſtianos conſuetudinem viguiſſe cum jactantia Gretſerum ipſum pro ſe compellantes aſſeruerint. Novimus equidem Garſiam Loaiſam Hiſpanienſium Conciliorum editorem hæc ex ſuo penu ad verba Concilj Bracarenſis mortuos in Eccleſiis ſepeliri prohibentis addidiſſe: *Hunc morem antiqui Chriſtiani religioſe ſervaverunt, ut in Capellis, aut in muro Eccleſiæ, & non intra Eccleſiam humarentur, quamvis eſſent Proceres, & Principes viri, ut obſervatum eſt in multis Baſilicis Hiſpaniæ.* Garſ. In Not. ad Concil. Bracaren. can. 18. Novimus Marco Patriarchæ Alexandrino hæc ad Theodorum Balſamonem Conſtantinopolitanum Patriarcham deferenti: *Vetere Provinciæ* (Alexan- V. Tom. 1. l. 5. Iur. Græco-Romano. fol. 382

drinæ ſcilicet) *conſuetudine ſepeliuntur corpora Orthodoxorum in noſtræ regionis Eccleſiis, quæro, num hoc licitum?* Ipſum Balſamonem prolixe, & inter alia reſpondiſſe; Διὸ ἐν ἐκείναις μὲν, ἐν αἷς δηλονότι μαρτυρικὰ λείψανα τεθησαύρισται, καὶ ἁγίου μύρου ἐμεσολάβησε χρῖσμα, ἀνθρώπινον λείψανον οἱονδήποτε οὐ ταφήσεται. Ideſt: *Quapropter in illis quidem, in quibus nimirum Lipſana Martyrum recondita ſunt, & ſancti unguenti, ſeu Chriſmatis facta fuit unctio, humanum qualecumque cadaver non ſepelietur.* Significabat igitur Marcus in ſuo Alexandrino Patriarchatu Chriſtianorum in Eccleſiis ſepeliendorum conſuetudinem fuiſſe, ac ſua adhuc ætate permanere, cui Balſamon juxta quoſdam Canones reſpondit, non eſſe ſepeliendos fideles in Eccleſiis jam ſacro Chriſmatis oleo delinitis, ſive conſecratis, ſed tantum in Oratoriis, ſeu Capellis ſacerdotali benedictione ſolummodo inſignitis. Sepulcrorum enim loca ita benedicta fuiſſe refert Gregorius Turonenſis. Verum huic Balſamonis reſponſioni, & Patriarchalis provinciæ ſuæ conſuetudini obtrudimus verba Gretſeri, qui hac de re ita diſſerit: *Sed quidquid ſit de hac Græcorum conſuetudine, vel etiam de veterum quorumdam Conciliorum, & Epiſcoporum decretis, quibus id ſanciendi pro conditione hominum, inter quos vivebant, probabiles rationes ſuppetebant, contraria conſuetudo paſſim in Eccleſia jam invaluit, ne priſcis quidem Chriſtianis ignota &c.* Quibus iiſdem verbis utemur contra Garſiam; ni ei voluerimus objicere ſancti Gregorj ſe lectionem

Theod. Balſam. ſchiſmat. In Reſponſ. ad interrog. Marc. Patriarch. Alexandr.

Greg. Turon. Lib. de Gloria Confeſſ. cap. 106.

Gretſ. loc. ſæpe cit.

nem neglexiſſe, ex quo potuiſſet contrarium ediſcere. Aliquando enim in Hiſpaniis, ut ceteris in locis ſecundum temporum varietates mos fuit ſepeliendi in Eccleſiarum atrio, & Capellis, ſeu Oratoriis; idque etiam pro hominum conditione viſum fuit quandoque Epiſcopis decernere. Itaque nihil eſt, quod evincat nunquam antiquitus in Eccleſiis fuiſſe ſepultos Orthodoxos. Immo contrarium aſtruunt, noſtramque ſententiam confirmant omnia *templa, etiam vetuſtiſſima in omnibus Chriſtiani Orbis partibus extructa*, ut Gretſeri verbis utar.

Idem ibidem.

XV. Non ibimus tamen inficias, non potuiſſe aliquando, & præſertim ſancti Gregorj ætate mortuos in Eccleſiis ſepeliri ſine Epiſcopi ſui licentia, quod ex citatis ſancti Gregorj locis certo certius eruitur, & præcipue ex cap.52. libri 4. Dialogorum, & ex epiſtola 16. libri 1. Epiſtola 3. libri 8. ad Epiſcopum Meſſanenſem, & ex epiſtola 3. libri 9. ad Januarium Epiſcopum Calaritanum, in qua licentiam ſepeliendi in Eccleſia propter pretium dari omnino vetuit; & eam conſuetudinem, ex quo ad Pontificatum acceſſerat, ſe ab Eccleſia ſua amandaſſe teſtatus eſt; indeque ſubdit: *Sed ſi quando aliquem in Eccleſia veſtra ſepeliri conceditis, ſi quidem parentes ipſius, proximi, vel hæredes pro luminaribus ſponte quid offerre voluerint, accipere non vetamus. Peti vero, aut aliquid exigi omnino prohibemus. Quod valde irreligioſum eſt, ne aut venalis fortaſſe*,

Hæc epiſtola in marmore inſculta legitur inter ruinas antiquæ Ædis S.Gregorj Romæ.

rum intra urbis mœnia, & præſertim ſequioribus temporibus poſt optionem illam ſepeliendi intra, vel extra civitates a Leone Philoſopho factam, ut diximus, vel etiam ante. Sic enim fidelium animas, quarum corpora hiſce ſanctis locis condita erant, tot orationum, ac ſacrificiorum participes fore ſperabant Chriſticolæ, & eorum ſanctorum, ac martyrum, quibus in templis copulabantur, interceſſione a Purgatorj pœnis eas nonnihil conſecuturas levaminis.

XVII. Verum quum, ut diximus, quod dignitatis, & virtutis cauſſa paucis antea conceſſum erat, paulatim ad omnes, qui Chriſtiani nominis erant, extenſum fuiſſet, tandem factum eſt, ut etiam pravorum, ac deperditorum quorumdam hominum corpora ſepulturam in Eccleſia conſecuta fuerint, quæ deinde meruerunt, ut ab ea divinitus ejecta fuiſſent; cujus rei exempla nonnulla refert ſanctus Gregorius Magnus; quapropter Epiſcopis, ac Patribus in Synodis coactis viſum fuit libertatem hanc æquo majorem publicis decretis tandem aliquando compeſcere, ac retardare. Idque primum, quod potuimus expiſcari, Patres Concilj Bracarenſis I. in Hiſpaniis circa annum 563. tempore Johannis Papæ III. feciſſe reperimus; qui vetuerunt, ne corpora intra Baſilicas conderentur, uti licitum nequidquam erat, ea intra muros urbium tumulare. Mos enim ſepeliendi extra mœnia adhuc vigebat id temporis in Hiſpaniis, atque etiam in Gallia, ut

S.Greg.Mag.In Dialog. præſertim lib.2.& 4.

Concil. Bracaren.I. juxta Pagium, non II.ut habet Labbeus, cap. 18. tom. 6. Concil. pag. 522. ult. edit.Venet.

Item placuit, ut corpora defunctorum nullo modo in Baſilica ſanctorū ſepeliantur, ſed, ſi neceſſe eſt, de foris

circa muros Baſilicæ uſque adeo non abhorret. Nam ſi firmiſſimũ hoc privilegiũ uſque nunc manet civitates, ut nullo modo intra ambitus murorum cujuslibet defuncti corpus humetur, quanto magis hoc venerabiliũ martyrum debet reverentia obtinere?

Burcard. lib. 3. cap. 157. Iv. p. 3. cap. 120.

Garſ. In Not. ad verba can. 18. Concil. Bracaren.

ut ſubdit hic Burcardus, & Ivo Carnutenſis. Hoc idem Pelagius Papa II. circa annum 578. per Chriſtianum Orbem, & præſertim per totam Italiam ſancivit, ut teſtatur Garſias Loaiſa his verbis: *Pelagius II. ſic ſtatuit, ut inter alia ejus decreta legi in Codice ms. Bibliothecæ divi Laurentj: Item placuit, ut corpora defunctorum nullo modo intra Baſilicam ſepelirentur, ſed, ſi neceſſe eſt, foris circa murum Baſilicæ.* Hinc licentia, qua olim utebantur ad ſepelienda in Eccleſiis fidelium corpora Chriſtiani, omnino compreſſa fuit adeo, ut vel extra urbem, ubi talis mos adhuc erat, vel prope Eccleſias tantum intra mœnia conderentur. Quod Epiſcopi ipſi, qui ſibi jus hujuſce rei permittendæ, ubi conveniens fortaſſe fuiſſet, merito vindicarunt, per eorum diœceſes ut penitus obſervaretur, advigilabant, & nonniſi alicubi raro, & paucis, qui id merebantur, ſepulturam in Eccleſia concedebant, ut ſupra innuimus, quod ex citatis hucuſque ſancti Gregorj locis, & præcipue ex laudata epiſtola 3. libri 9. ubi ait: *Sed ſi quando aliquem in Eccleſia veſtra ſepeliri conceditis*, apertiſſime eruitur. Unde credibile eſt ſolitum fuiſſe, ut parentes, vel alii morientem interrogarent, ubi condi optaret; qui ſi intra muros in Eccleſia reſpondiſſet, omni ope nitebantur eam ab Epiſcopo licentiam ferre, ut ſatis voluntati morientis fieret; quod ſemper religioni duxerunt; id ſi non obtinebant, prope Eccleſias ejus corpus humabant,

mabant, quod videntur innuere verba illa Bracarenſis Synodi, & Pelagj II. *Sed ſi neceſſe eſt foris circa murum Baſilicæ*. Ubi vero non adhuc libertas invaluerat ſepeliendi intra civitatum mœnia, extra urbem defuncti tumulabantur. Atque eo quidem tempore in conſuetudinem abire cœpit, ut aliquid Epiſcopis, vel Eccleſiæ Clericis pro luminaribus, & eorum incommodis ad eorumdem alimenta impertiretur. Sed aliquo annorum lapſu factum fuit, ut quidam vel Epiſcopi, vel Clerici, non vero omnes, pretj aliquid quaſi pro eccleſiaſtica ſepultura peterent, quod ſanctus Gregorius enixus fuit non ſolum in ſua Eccleſia, ſed ubique etiam locorum hortamentis, decretiſque reſcindere, atque omnino abolere. Non igitur jam inde ab initio, quum in Eccleſiis ſepeliri cœpit, lucrum ſibi quærere ſacerdotes conſueverunt, ut omnium, quos terra ſuſtinet, perditiſſimus effutiit Hoſpinianus.

XVIII. At quis unquam, qui Anonymi noſtri verba cum his, quæ hucuſque diximus, contulerit, non colliget ſanctum Antoninum ea tempeſtate ad Cœlos evolaſſe, qua nos obitum ejus figimus, paulo poſt ſcilicet ſancti Gregorj tempora, circa annum videlicet 630., quo hæc omnia vigebant? Ea enim ætate quum nemo poſſet in Eccleſiis, niſi alicubi, & perraro, & ubi id Epiſcopis juſta de cauſſa permittere libebat, humari, & extra, vel intra mœnia, ut morienti placitum erat, quod Surrenti fortaſſe omnium

maxime vigebat; quum nulla extet memoria, vel monimentum, quo doceamur iis temporibus intra ipſam urbem aliquos fuiſſe humatos; ſanctiſſimus noſter Abbas ne a civitate ſua ſecedere, eamque derelinquere omnino videretur, juſſit, ut neque intra, neque extra, in ipſis ſcilicet mœnibus conderetur. Atque hoc noſtro judicio probabilius in cauſſa fuit, ut ipſe ſepulturæ ſuæ id loci deſtinaret, non autem illud Anonymi, quod veri ſpeciem præſeferre non videtur.

Verum non inficiamur hujuſce prohibitionis ſanctiſſimum Pontificem Gregorium non fuiſſe adeo tenacem; & quibusdam Epiſcopis, ac præſertim Johanni Epiſcopo Urbis Veteris mandaſſe, ut licentiam ſepeliendi in monaſterio ſancti Georgj Agapito Abbati non abnueret, his verbis. *Quod ſi ita eſt, a tali vos hortamur inhumanitate ſuſpendi, & ſepeliri ibidem* (in monaſterio ſcilicet ſancti Georgj) *mortuos, vel celebrari Miſſas, nulla ulterius habita contradictione permittas*. Non adhuc tamen in ipſo ſancto Gregorio offendimus aliquod generale decretum, quo Pelagj II. prohibitionem, & initam jam conſuetudinem antiquaverit; immo ne peculiare quidem, ſed omnia in ſuo vigore, & Epiſcoporum judicio decernenda reliquit. Nam illius epiſtolæ verba, quam ad Johannem Epiſcopum Urbis Veteris dedit, videntur potius intelligenda de Miſſis in Eccleſia celebrandis, & de mortuis non in Eccleſia, ſed alio in loco intra Monaſterj fines id temporis ad hoc fortaſſe addicto ſepeliendis.

S. Greg. lib. I. Indict. 9. epiſt. 12. juxta ordin. PP. Cong. S. Mauri.

XIX.

XIX. Quinimmo contrarium potius videtur indixiſſe ſanctus Gregorius in ea epiſtola, quam dedit ad Johannem Epiſcopum Surrentinum, ubi inquit: *Et quoniam Savinus Abbas monaſterj ſancti Stephani Inſulæ Capris* (alii legunt Cabris, & Calabris) *ſuggeſſit nobis ſe ſanctæ Agathæ martyris reliquias jam olim apud ſe habere conceſſas, & in monaſterio ſuo vult ipſa ſanctuaria collocari. Ideo ad prædictum monaſterium te jubemus accedere, & ſi ibidem nullum corpus conſtat humatum, prædicta ſanctuaria ſolenniter collocabis, ut devotionis ſuæ potiatur effectu*. Quæ alibi recitavimus. Quibus profecto verbis cuiquam fortaſſe videbitur ſanctiſſimus Pontifex quodammodo improbaſſe conſuetudinem ſepeliendorum defunctorum juxta ſanctorum Martyrum corpora, aut in eorum Eccleſiis. Quandoquidem, ne ſanctæ Agathæ lipſana, ubi humata extarent cadavera, collocaret, Epiſcopo illi Surrentino expreſſe vetuit. Nec quidquam ſuffragatur interpretatio Patrum Benedictinorum ſancti Mauri, qui advertunt ſanctum Gregorium non vetuiſſe eas collocari reliquias in illo monaſterio, ſi aliquo fortaſſe ejuſdem monaſterj ſecreto loco corpora defunctorum condita fuiſſent: ſed juſſiſſe, ne illæ eodem in loco reponerentur, ubi ſepulta antea fortaſſe cadavera extarent. Hac enim interpretatione poſita etiam inferretur ſanctum Pontificem noluiſſe, ut ſacra corpora cum aliorum Chriſtianorum cadaveribus arcta propinquitate ſociarentur in Eccleſiis. Verum, quum hic

Idem lib. I. Indict. 9. epiſt. 54. juxta ordin. PP. S. Maur. alias 52.

PP. Cong. S. Maur. In Not. ad cit. epiſt. lit. C.

hic non potuerit eſſe ſancti Gregorj ſenſus, qui alias in Chriſtianorum Eccleſiis, quæ ſuper Martyrum corpora, & ſanctorum reliquias ſolitæ fuerunt excitari, ut infra indicabimus, ſepulturas neque interdixit, neque improbavit, immo locorum conſuetudini, & Epiſcoporum arbitrio ſemper indulſit: nos opinamur ſanctum Pontificem voluiſſe potius illis verbis innuere, quod indecens ſane, atque abſurdum judicaret, ſi locus antea aliorum corporum ſepulturæ deſtinatus ſanctæ Agathæ martyris reliquiis poſtea devoveretur; quod revera martyris venerationi factum videretur indecenter: ideoque vetuiſſe, ne, ubi ullum fuiſſet humatum corpus, lipſana ipſa reponerentur. Itaque noluit novo decreto inhibere, ne in Eccleſiis, quæ Deo Optimo Maximo, & ſanctorum Martyrum honori antea fuerant erectæ, inde Chriſtianorum corpora tumularentur.

XX. Ceterum inhibitio illa ſepeliendi in Eccleſiis, quæ ſancti Gregorj tempore adhuc vigebat, duorum ſeculorum lapſu adeo immutata erat, ut ſub IX. ſeculi initium jam denuo ubique indiſtincte omnes Chriſtiani in Eccleſiis ſepelirentur, ut ea ætate queſtus fuit Theodulfus Epiſcopus Aurelianenſis pro ſua provincia his verbis: *Antiquus in his regionibus in Eccleſia ſepeliendorum mortuorum uſus fuit, & plerumque loca divino cultui mancipata, & ad offerendas Deo Hoſtias præparata cœmeteria, ſive polyandria facta ſunt.* Et quamquam Epiſcopi, & Concilia huic licentiæ iterum ſuis

De Theodulf. V. Baron. ad ann. 835. & Concil. t. 7. pag. 1237. ac Guilielm. Cav. de Script. Eccleſ. in ſecul. Iconoclaſtic.

Theodulf. in Epiſt. ad Fratres, & Compresbyteros Parochiæ ſuæ.

ſuis decretis temperare ſtuduerint: tamen non antiquo illo rigore uſi ſunt; nam id permiſerunt Epiſcopis, Abbatibus, Presbyteris, iiſque etiam laicis, qui boni nominis fama deceſſerant; ut fecit præſertim laudatus Theodulfus in eadem ſua epiſtola hæc ſubdens: *Unde volumus, ut ab hac re deinceps abſtineatur, & nemo in Eccleſia ſepeliatur, niſi forte talis ſit perſona Sacerdotis, aut cujuſlibet Juſti Hominis, qui per vitæ meritum talem vivendo ſuo corpori defuncto locum acquiſivit. Corpora vero, quæ antiquitus in Eccleſiis ſepulta ſunt, nequaquam projiciantur, ſed tumuli, qui apparent, profundius in terram mittantur, & pavimento deſuper facto, nullo tumulorum veſtigio apparente, Eccleſiæ reverentia conſervetur.*

Hoc ipſum iiſdem plane verbis ſtatuit circa annum 845. Synodus coacta Meldis Galliæ Lugdunenſi urbe Epiſcopali, quæ olim Archiepiſcopo Senonenſi, nunc vero Pariſienſi ſubeſt: & Concilium Moguntiacum, quod circa annum 813. ſub Leone III. præcepit, ut *Nullus mortuus in Eccleſia ſepeliatur, niſi Epiſcopi, aut Abbates, aut digni Preſbyteri, aut Fideles Laici.* Quo in capite advertunt Turrecremata, Sylveſter, & Angelus nomine fidelium laicorum non intelligi omnes Chriſtianos, ſed eos tantum, qui ſanctimoniæ, ac virtutis fama deceſſerant; quapropter inter Eccleſiarum immunitates ponunt, ut laici, etſi Chriſtiani, non ſint intra Eccleſias ſepeliendi, ſed in atrio potius, &

Synod. Meldcn. c.9.

Concil. Mogunt. c.52. apud Gratian. C. Nullus 13. q.2.

V. Burcard. l.3. cap.151. Ivon. p.3. cap. 213. & Bail Tom. 2. Concil. ſecul.9.

Turrecrem. In C. Nullus 13.q.2. Sylveſt. verb. Immunitas 1.n.7. Angel. n.6.

V. Franciſ. Suarez de Religion. tom.1. tract.2.l.3. cap.8. n.7.

& cœmeterio ; quod etſi ex hoc textu non adeo clare colligatur : dilucide tamen eruitur ex Can. *Præcipiendum* , ubi hæc leguntur . *Prohibendum eſt etiam ſecundum majorum inſtituta , ut in Eccleſia nullatenus ſepeliantur , ſed in atrio , aut in porticu , aut in exedris Eccleſiæ : intra Eccleſiam vero , & prope altare , ubi corpus , & ſanguis Domini conficitur , nullatenus ſepeliantur* . Hic canon , quem ex Concilio Vaſenſi citat Gratianus , potius in Nannatenſi , vel Namnatenſi Synodo reperitur can. 6. quæ celebrata fuit juxta Petrum Pithœum , alioſque anno 892. Antiquiorem vero putat Jacobus Sirmondus .

Can. Præcipiendum 13. q. 2. §. 1.

Ex Nannatenſ. citat. a Butchar. l. 3. & Ivon. p. 3. c. 222.
Pithœus In Notul. ad dict. can.
Spondan. de Sacr. Cœmeter. lib. 1. p. 3. cap. 14.
Sirmond. In Not. V. Concil. poſtremæ edit. tom. II: pag. 664.

Duo in Vaſio urbe Galliæ in Provincia , ut Ptolemæus , & Mela appellant , Gallice *Vaiſon*, celebrata reperiuntur antiquitus Concilia ; primum tempore ſancti Julj Papæ anno 337. contra Arianos ; alterum 442. ſub ſancto Leone Papa, ut optime ſtatuit Sirmondus contra eos , qui unum, aut tres faciunt . In neutro verba relata a Gratiano reperiuntur ; licet ea , quæ incipiunt a §. 1. *Prohibendum* , non deſint in Epitome Conciliorum . At , quoniam Canones Vaſienſis Synodi confuſos, & permiſtos fuiſſe notant optimi Critici ; fortaſſe ex ea excripſit , & confirmavit Nannatenſis . At ſcrupulum rurſus movent aliqui propter verba illa *ſecundum majorum inſtituta* . Nullam enim ante Vaſionenſe Concilium ajunt antiquiorem de ea re prohibitionem haberi . Verum ſi perpendas verba , nullam prohibitionem indicant , ſed conſue-

V. Sirmondi Notas ad Vaſion. tom. 4. Concil. ult. edit. pag. 719.

Epitom. Concil. In Vaſen. cap. 3.

Ad Concil. Vaſien. tom. 4. Conc. edit. Venetę p. 719

ſuetudinem aliquos in atriis, & exedris Eccleſiæ humandi. Ut ut tamen eſt, Triburienſe, vel Triburicenſe Concilium ann.895. habitum in Germania idem vetuit, exceptis tamen Epiſcopis, Abbatibus, Presbyteris, ac juſtis hominibus, ut cetera ejuſdem ætatis Concilia ſanxerunt. Triburienſ.c.17.

Nota heic opportune Vaſenſe Concilium corrupte dici, ſed potius Vaſionenſe, vel Vaſienſe a Vaſio dicendum, uti Sirmondus animadvertit.

XXI. Poſtremo hæc eadem decreta iterum relaxari cœperunt adeo, ut paulatim pia conſuetudine jam receptum fuerit, ut omnes Chriſti fideles, qui in divina gratia e vita deceſſiſſe credebantur, intra Eccleſiam ſepelirentur, rejectis tantummodo iis, qui de æterna ſua ſalute leviſſimam, aut nullam prorſus ſpem reliquerunt: ut ſunt, qui violentas in ſe manus intulerunt ex *C. Placuit* 23. *q.* 5. qui uſuris dediti fuere ex *C. Quia omnibus de Vſuris*: ceterique, qui ob grave delictum eo privilegio indignos ſe reddidere. Qui copioſiora deſiderant, adeant Gonzalez, alioſque paſſim Canoniſtas. Gonzal.tom.3. In lib.3.Decr. tit. 28.de ſepult.

Ex his, quæ hucuſque diſſeruimus de Chriſtianorum Funeribus, ac Sepulturis, illud præcipue pro coronide inferendum, quod nono aſſertæ ſalutis ſeculo, & ſi nullum opprobrium, aut infamiæ, ut modo, notam incurrerent qui extra Eccleſiam, vel etiam in exteriori urbis pomœrio ſepelirentur: nihilominus nec probitatis, nec pietatis ſpecimen præbebant ii, qui ſuo cadaveri in Ec-

Eccleſiam inferendo non proſpexiſſent. Ex quo conſequens eſt miræ virtutis S. Antoninum, qui paſſus fuit, immo juſſit, ut non ſolum extra Eccleſiam, ſed alieno in loco, in ipſis ſcilicet urbis mœnibus ſepeliretur, non adeo tarde IX. nimirum ſeculo, ut placuit Caracciolo, mortem oppetiiſſe, ſed potius VII. ſeculi initio, quo iis in locis, aliiſque, vel ſaltem in Eccleſiarum atriis conſueverunt defuncti, ut diximus, ſepeliri. Nunc inſtitutum noſtrum proſequamur.

CAPUT XIII.

De aliquibus miraculis poſt mortem a ſancto Antonino patratis.

Primum miraculum, circa quod nonnullæ animadverſiones.

I. QUanta vero patrarit miracula, ac quoties Surrentinam urbem ab hoſtium incurſionibus, atque ab ultimo pene excidio eripuerit ſanctiſſimus noſter Abbas, nimis longum eſt heic annectere. Inſignia tamen, ac celebriora quædam veridicorum ſcriptorum etiam teſtimonio comprobata heic ſolummodo referemus. Quorum illud primum eſt, quo a ſceleſtiſſimo Sicardo Siconis filio Beneventi Duce XIX., & Principe VI. Surrentinam urbem arctiſſima obſidione vallatam vindicavit, ipſo Sicardo in ſomnis acerrime objurgato, & etiam percuſſo, ejuſque filia a Dœmone abrepta, quam inde idem ſanctus Antoninus ad ſepulcrum ſuum pro-

procumbentem , orantemque liberavit , ut fuſius legere eſt apud Anonymum , & Marium de Vipera , qui eam obſidionem , & miraculum copioſius referunt .

Anonym. In Vit. S. Antonin. Mar. de Viper. In Chronolog. Epiſcop. & Archiepiſc. Metropol. Eccl. Benev. in Guc̃t. Epiſc. 39. pag. 51.

II. Id vero nos eveniſſe cenſemus praecedenti , vel fortaſſe etiam proxime ſuperiori anno 835. ſcilicet , vel 834. antequam Sicardus , ut conjicit Bollandus , & poſt eum Antonius Baillet, Neapolitanis, ceteriſque pacem dederit, quod accidit anno 836. Et quamvis poſtea fraude , ac dolo , ut refert Anonymus Salernitanus , & Ammiratus , diſcordes inter ſe Amalphitanos contra pacem datam expugnarit , ſibique parere adegerit : tamen antecedenti fortaſſe miraculo exterritus una cum Amalphitanis Surrentinis etiam imponere non auſus eſt . Idque reſpondet Caraccioli verbis ajentis : *Igitur Sicardus Neapolitanis mœniis abactus totam ſuam rabiem in Surrentinos vertit* .

Bolland. In Comment. præv. ad vitam S. Antonini §. 2. n. 8. Anton. Baillet. tom. 1. Des les vies des Saints 14. Fevrier. V. Capitul. Sicard. apud. Peregrin. In Hiſt. Princip. Langobard. & apud Murat. Rer. Italic. tom. 1. Anonym. Salern. ubi de Sicard. Ammirat l. ſæpe laud. in vit. Sicard. Caracciol. Notat. 18.

III. Heic tamen obiter advertimus non adeo facile nos aſſequi , quid ſibi velit Marius de Vipera in deſcribenda hac Surrentinæ urbis oppugnatione illis erbis : *Pila murali bombo emiſſa templum beatiſſimi Antonini concuſſit quidem , non tamen excuſſit &c.* Videtur profecto , ni fallimur, auctor indicare voluiſſe , quod Sicardi milites, pyrio accenſo pulvere , globulum ex æneo tormento in prædictum templum exploſerint . At bellica hæc tormenta illis temporibus convenire non poſſunt . Novimus ſane adeo antiquiſſima facere

Mar. De Viper. loc. cit.

 ſcri-

ſcriptores bellorum arma; ut Artabanus, cujus teſtimonium Euſebius *De Preparatione Evangelica* citat, Moſen omnium primum bellica inſtrumenta inveniſſe perhibuerit; quum adhuc juvenis in Ægypto, teſte Joſepho, in Æthiopes expeditionem apparavit. Quibus a Moſe inventis, complura, ut Scorpio, Catapulta, Baliſta, Funda, Aries, Teſtudines, & id genus alia, quæ inter murales machinas recenſentur, deinde temporum diuturnitate Græcorum, & præcipue Demetrj illius Polyorcetis ingenio, & induſtria acceſſerunt.

Euſeb. de Præpat. Evang. lib. 9.

Joſeph. in 2. Antiq. Judaic.

IV. Verum Bombardam, Sclopum, aliaque ſimilia, quorum unum Orlando exhibitum, & ab eodem indignanter rejectum fuiſſe commentus eſt poëtica fictione Arioſtus, vicinioribus ſeculis reperta fuiſſe tradit Polydorus Virgilius ab homine Germano, qui quum medicaminis cauſſa pulverem ſulphureum domi ſervaſſet in mortario, illudque lapide texiſſet, fortuito quodam die ignem ex ſilice prope mortarium excuſſit, in quod ſcintilla quædam intruſa pulverem inflammavit, qui repente magno erumpens fragore, lapidem ſurſum violenter intorſit; quo ille caſu edoctus, machinam æneam formavit, cujus uſum Venetis inde aperuit in eo bello, quod ad Foſſam Clodiam cum Januenſibus geſſerunt anno ſalutis 1330. Hinc alia ænea multiplicis generis tormenta deinde derivarunt. Verum etſi hujuſce machinæ repertorem, quaſi pro mercede id tuliſſe tradat Poly-

Polyd. Virg. In lib. 2. De Rer. Inventor. cap. 11.

Polydorus Virgilius, ut nomen ſuum perpetua oblivione premeretur, eique tantum æneorum tormentorum inventionem, pulveris vero pyrj caſui tribuat; tamen Edmundus Purchotius refert eum vocatum Bertholdum Schuvartum natione Germanum, Friburgo oriundum, & Fratrem fuiſſe Ordinis ſancti Franciſci, Chymiæque deditiſſimum, ut etiam ſentit impius alioqui Gilbertus Cognatus: eumdem nitratum pulverem, ſeu pyrium XIV. Chriſti ſeculo ſua arte inveniſſe. Et Jovius ait columbrinam inventam in arce Tolonæ a Ferdinando Davalo, quæ in Iſchiana poſtea collocata, navigia ab acceſſu vel in triginta ſtadiorum diſtantia deterreret.

Polyd. Virg. loc. cit.

Purchot. tom. 2. In Phyſic. general. Element. ſect. 3. cap. 2.

Gilbert. Cognat: Annotat. in Lucian. Timonem lit. b.

V. Præterea non ignoramus quoſdam eſſe, qui apud nos pyrj pulveris uſum ad antiquiſſima tempora referendum, antequam Cinenſibus innotuiſſet, ſed inde ab hominum memoria omnino excidiſſe, volventibus annis, contendant. Et ſane Dionyſius Halicarnaſſeus de Alladio duodecimo Latinorum Rege hæc habet: *Poſt Agrippam Alladius undeviginti annos res quædam tyrannica, & cum Diis inimicitias gerens, Nam ab eo deſpiciente numina apparatæ ſunt fulgurum imitationes & fragores tonitruis ſimiles, quibus terreri homines, tamquam eſſet Deus, poſtulabat*. Hujuſmodi videntur tormenta bellica dicta *Bombarde*, *o Cannoni*, ita, ut Americani eos Hiſpanos, qui primum ad Mexicum appulerunt, e Cœlo elapſos crederent, quod Cœli fulmina præſeferrent. Ut ut tamen

Dionyſ. Halicar. lib. 1. Antiquit. Roman.

V. etiam Lucian. in Salmon. fulminat.

eſt, omnes conveniunt nono ſeculo, Sicardi videlicet tempore nulla fuiſſe hujuſmodi ænea tormenta; quamobrem exploratum eſt non his, ſed aliis machinis fuiſſe templum ſancti Antonini impetitum. Credimus heic Marium de Vipera voluiſſe ea locutione Cæſarem, alioſque ſcriptores antiquos fortaſſe imitari, quos minime eſt aſſecutus.

Veget. lib. 2. c. 15. Lucan. etiam Pharſal. lib. 1. Et pila minantia pilis

VI. Pila ſane muralia Romani ſcriptores dixerunt, ut videre eſt apud Vegetium, tela Romana, quorum haſtile erat quinque pedum, & ſemis, ac ferrum trigonali figura novem unciarum, & hæc de muris in hoſtes projiciebantur; ut indicant verba illa Cæſaris: *Aut ex vallo, & turribus trajecti pilis muralibus interibant*. Hiſce pilis muralibus, hoc eſt, ejectis vel e muris, vel e loco extra muros, nec inficiamur, mœnia etiam quatiebantur: at nullo bombo murali emittebantur, ut ſibi perſuaſit, ac ſcribit de Vipera, qui eorum ſcribendi rationem, ex quibus hiſtoriam ſuam hauſit, non aſſecutus paucis verbis plura involvit menda. Primum Grammaticum, quod *Pila murali* numero primo utatur, quod nunquam adhibuere Latini, qui ſemper dixerunt *Pila muralia* numero multitudinis. Secundum, quod illa bombo emiſſa ferat. Si enim pro telis, vel haſtis voluit intelligi, ea non bombo, ſed ſibilo potius, aut ſtridore diſcurrebant. Inquit enim, Templum ſancti Antonini concuſſiſſe. Rectius vero, accuratiuſque Anonymus, qui hæc habet:

Cæſar. In Comment. bell. Gall. lib. 7.

Anonym. loc. cit.

habet : *Quum interim lapis murali tormento emiſſo vaſto impetu ſtridens ferebatur , & muri locum , ubi corpus ſanctum ſovetur , advolavit , ſed non violavit .*

VII. Sed quo tormenti genere lapis hic ejaculatus fuerit, non adeo facile eſt divinare . Caracciolus quid fuerit Vinea explicat auctoritate Vegetj : alia vero ad rem pertinentia ne ipſe quidem fortaſſe aſſecutus prætermittit . Res quidem eſt nebulis , & aliqua obſcuritate obſita , ut advertit Godeſchalcus Stewechius . Verum nos majori , qua potuerimus , brevitate rem omnem expediemus . Et primo ducimus præmittendum , milites in machinis bellicis multa ab animalibus nomina mutuatos , hinc nomina illa in bellicis Arietum , Scorpionum , Cuniculorum , Teſtudinum ; &c. , ut Stewechius , Iſidorus , Servius , aliique .

Stevvech. in Comment. ad Veget. l. 4. cap. 14. & c. 22.

Idem Stevvech. ad l. 4. Vegeti De Milit. Rom. c. 16. Iſid. Etymol. lib. 18. cap. de Clypeis. Serv. l. 11. Æneid.

VIII. Quod vero ad harum machinarum uſum Vitruvius lib. 10. a cap. 15. uſque ad 18. de Machinis iſtis expugnatricibus agit , de Catapultis ſcilicet , de Scorpionibus , & Baliſtis , quibus omnibus machinis nedum tela , & haſtilia , ſed lapides etiam ad excutiendos muros emiſſos fuiſſe autumat Daniel Barbarus Vitruvj ſui admodum ſtudioſus , cui tamen non adhærent alii . Pro Barbaro autem facit Cæſaris , aliorumque auctoritas . Cæſar enim ait : *Centones inſuper injecerunt , ne ſaxa ex Catapultis miſſa lateritium diſcuterent* . Hinc Lipſius lib. 3. Poliorceticωn Dialogiſ. 2. de Catapulta duplicem machinam hanc fuiſſe

Cæſar. lib. 2. De Bell. civil. V. P. Johan. Anton. Valtrin. R. in 7. libris de Re Militari veter. Romanorũ editis Coloniæ Agrip. 1597. cap. 7. & ult. lib. 5. De Machin., & Torment. bellic. præſertim

fuiſſe ait; alteram, qua tela, & grandiores ſagittæ; alteram, qua lapides, & ſaxa intorquebantur; atque hinc diſtinctionem ortam majoris, & minoris Catapultæ, ex Livio colligit.

Ioh. Ant. Valtrin. cap. 6. & ult. de Machin. ac Torm. bellic.

Ammian. Marcell. lib. 19. 23. & 24.

VVolſgang. Laz. Commenr. Reipubl. Rom. lib. 4. de Milit. Rom. cap. 6. pag. 424. num. 20.

Et quamvis Polybius de Philippi Macedonis apparatu Catapultas a Baliſtis disjungat, unis telorum, alteris lapidum impulſionem tribuens: tamen Cæſaris auctoritate evincitur e Catapultis ſaxa etiam emiſſa. Unde adductus, ut opinor, Johannes Antonius Valtrinus quid idem facit Scorpionem, & Catapultam. Et Ammianus Marcellinus pluries teſtatur Scorpionibus, quos eoſdem ac Onagros eſſe ait, præſertim libro 23., ex quo libro Wolfgangus Lazius in deſcriptione Scorpionis verba excripſit, lapides emiſſos ſua ætate, & præſertim quum obſidionem Ardeæ civitatis, in qua ipſemet unus ex obſeſſis erat, exponit. Ait enim libro 19. *Per Scorpicnum ferreas fundas e propugnaculis ſubinde rotundi lapides acti, diſſolutis turrium coagmentis, Baliſtas, earumque tortores ſudere præcipites*. De quo Scorpione vide inſuper Lipſium omnia dilucidius explicantem.

Juſt. Lipſius loc. cit. Dialog. 4., & 5. De Scorpione.

Veget. lib. 4. cap. 22., & 29.

At vero apud Vegetium, qui rei militaris apud Romanos optimus ſcriptor habetur, legere eſt, Onagro, non Baliſta lapides miſſos. *Baliſta*, inquit, *funibus, nervis, chordiſque* (quæ vox aſcititia, non Vegetj eſt) *tenditur, quæ quanto prolixiora brachiola habuerit, hoc eſt, quanto major fuerit, tanto ſpicula longius emittit*. Et paulo

lo poſt : *Onager autem dirigit lapides , ſed pro nervorum craſſitudine , & magnitudine ſaxorum pondera jaculatur ; nam quanto amplior fuerit , tanto majora ſaxa fulminis more contorquet . His duobus generibus nulla tormentorum ſpecies vehementior invenitur . Scorpiones dicebant , quas nunc Manubaliſtas vocant : ideo ſic nuncupati ; quod parvis ſpiculis inferant mortem* ; Quibus Vegetj verbis etiam utitur Wolfgangus Lazius , ut antiquos hac in re exhibeat nihil luminis ex ſuo penu addens . Heic tamen obiter advertas , quod chordæ , nervi , ſeu funes tormentorum præfectis ancillæ , & omnium mulierum crinibus , ubi opus fuit , effectæ fuerunt , ut referunt Cæſar , Strabo , & Lipſius .

VVolfgang. Laz. Comm. Reipubl. Rom. lib. 4. de Mil. Rom. cap. 6. pag. 424. n. 20. & ſeq.

Cæſar. lib. 3. de Bell. Civil. Strab. lib. 17. & Lipſ. loc. cit. Dialog. 3.

IX. Vides igitur quantum inter ſe diſcrepent ipſimet Romanæ Antiquitatis ſcriptores ; quamobrem bellica iſthæc tormenta non perpetuo conſtantia , neque ſemper eadem forma , neque ad eumdem uſum conſtructa crediderimus . Etenim Anonymus ille , qui *De Rebus Bellicis* libellum ſcripſit ad Theodoſium , ut creditur , ejuſque filios , duplicem Baliſtæ formam , & ſchema tradit , Baliſtæ ſcilicet Quadrirotis , & Baliſtæ Fulminatricis , atque hujus mentio etiam reperitur injecta apud alium auctorem Anonymum , *in Notitia Imperj* ; de qua hæc ait præ ceteris : *Ex hac igitur Baliſta tot , & tantis ingenii artibus communita expreſſum telum in tantum longius evadit , ut etiam Danubj famoſi præ magnitudine fluminis latitu-*

Anonym. edit. Cum Cl. Æliano, Polybio , Sexto Rufo , Frontino &c. pag. 40. & 49.

tudinem valeat penetrare; *Fulminalis etiam nuncupata appellatione ſua virium teſtatur effectum*. Ipſe etiam Wolfgangus Lazius poſtquam verbis Vegetj, & Marcellini Baliſtam deſcripſit, telorumque jactui putat fuiſſe accommodatam, ſubdit eam duplicem fuiſſe, alteram, quæ manu, aut equo ferebatur; majorem alteram, quam, quia curru vehebatur, Carrobaliſtam a Vegetio vocitatam advertit. Et profecto hanc Baliſtarum ſpeciem innuere videtur Vegetius, ubi ait, *Carrobaliſtam inſtrui jaculis, quæ nullæ loricæ, nulla poſſunt ſcuta ſufferre*; indeque ſubdit per ſingulas Centurias ſingulas Carrobaliſtas haberi conſueviſſe, atque in una legione 55. Carrobaliſtas fuiſſe, inſuper addens: *Non ſolum autem caſtra defendunt, verum etiam in campo poſt aciem gravis armaturæ ponuntur, ad quorum impetum nec equites loricati, nec pedites ſcutati poſſunt obſtare*. Et libro 3. cap. 24. majorum Baliſtarum vim exprimit.

VVolfgang. Laz. Comm. Reipubl. Rom. lib.4.deMilit. Rom. cap. 6. pag. 423. n.50. & ſeqq.

Veget. lib. 4. cap. 22. & lib. 2. cap.25.

At triplicem Baliſtæ figuram exhibet Stevvechius Vegetj commentator accuratus, & diverſas inſuper fuiſſe Baliſtas aſſerit, qui advertit hoc in capite Vegetium innuere Baliſtis ſpicula mitti. At Valerius Maximus, Cicero, Lucius, Siſenna apud Nonium Marcellinum ſilicibus emittendis Baliſtas aptatas tradunt; qua in diſſertatione ſuffragium quoque tulit Iſidorus, qui Baliſtam ab emittendo jaculo dictam cenſet. Idemque paulo poſt Baliſtam verbere nervorum torqueri ait, & magna vi aut haſtas jacere, aut ſaxa. Quapropter putan-

Stevvech. In Comm. ad lib. 4. Veget. cap. 22.

Maxim. lib. 1. Cicer.2.Tuſcul. quæſt.

S. Iſidor. Etymolog. lib.18.

tandum eſt alias Baliſtas ad jacienda minora ſaxa, alias ad torquendos graviſſimos lapides, aut foetida beſtiarum cadavera, quas Baliſtas Tractorias, ſeu Catapultas vocavit Sebaſtianus Munſterus; quibus ultimis machinis ad deditionem coacti fuere, qui munitiſſimam arcem in medio Rheni collocatam juxta oppidum Rheinfeldenſe tenuerunt, ut notat Stevvechius.

Stevvech. loc. cit.

X. Immo, teſte Appiano, in Mithridatico bello plumbeos graviſſimos globos novellorum orbium ferreorum hujuſmodi Baliſtæ jaculabantur, ſaxaque uſque ad talentum, & centum pondo pendentia; dictæque proinde Baliſtæ Centenariæ, & Talentariæ, de quibus vide Turnebum, & Philandrum; quale equidem pondus, ut notat Lipſius, ænea noſtra tormenta ſulphureo pulvere inſtructa non jaciunt. Aliæ vero antiquorum Baliſtæ ad emittenda potius ſpicula fuerunt aptatæ.

Turneb. Adver. lib. 23. cap. 24. verſus finem.

Philand. in Vitruv. cap. 21. l. 10. lit. h

Lipſ. loc. cit.

Atque ita intelligendus Vitruvius, cui his in rebus fides quidem præſtanda; quippe in caſtris Julj Cæſaris fuit Machinis bellicis Præfectus, ut liquet ex ejus Præfatione libro 8. Architecturæ præfixa. Quique non modo lapides Baliſtis mitti expreſſe, ac fuſe docet: verum etiam fuſius tradit proportionem, qua dilatandum os, ſeu capitellum Baliſtæ, ut majus ſaxorum pondus continere, atque impellere valeat.

Vitruv. lib. 10. cap. 17.

V. Guilielm. Philand. in Not. ad idem cap. & ad cap. 15. ejuſdem lib. lit. a

XI. Verumtamen textus Vitruvj adeo ibi mendoſus eſt, obſcurus, ac mutilus, ut illum exponere ejuſdem ſtudioſiſſimus Daniel Barbarus minime ſit

confiſus. In aliquibus nihilominus graphice illuſtravit illud Vitruvj caput adjumento Bitonis, Heronis, Cteſibj auctorum Græcorum Adrianus Turnebus. Et Johannes Buteo in ſua Logiſtica, ſeu Arithmetica idem Vitruvj caput perpurgavit, & acutiſſime interpretatus eſt multis verbis, & ſcite diſſeruit de proportione lapidum ad Baliſtæ foramen aptandorum.

Turneb. lib. 2. Adverſarior. c. 5.

Sed faciliori methodo aſſequetur quæ Vitruvius præcipit, qui Regulas *Colibrarum*, quibus Neoterici utuntur in præſentibus machinis, & Tormentis Pyrotechnicis, didicerit; vel circini proportionis Galilæi uſum apprehenderit. De protendenda ictus longitudine diſſerit quoque Vitruvius. In qua re fuiſſet conſiderandum, num Baliſta, quæ machina mobilis eſt, in motu lapides explodat, an vero, quum conſiſtit; nam in motu longior eſt ictus. Quod primus omnium obſervavit Italiæ noſtræ novus Archimedes Galilæus in Syſtemate, cujus doctrinam excepit, atque illuſtravit Petrus Gaſſendus Tractatu *De motu impreſſo a Motore translato*. Confer inſuper quæ docuit Mechanicæ peritiſſimus Johannes Wallis, aliique. Sed hæc non hujus loci.

V. P. Claud. Franc. Milliet Des Chales in Pyrotechniæ lib. 2. prop. 12.

Vitruv. cap. 16. lib. 10.

Petr. Gaſſend. oper. tom. 3.

XII. Interim lapis ille, de quo loquitur Anonymus in vita ſancti Antonini, num Catapulta, Baliſta, Scorpione, aut Onagro emiſſus fuerit, haud licet divinare.

Catapultæ nos, vel Talentariæ, aut Centenariæ Baliſtæ lapideum illum ictum tribuendum eſſe argui-

Digitized by Google

arguimus, quod hoc tormenti genus ædificia dejicere, ſternereque valeret, ut cecinit Lucanus:

Luc. Pharſal. lib. 3.

At ſaxum quoties ingenti verberis ictu
Excutitur: qualis rupes, quam vertice montis
Abſcidit impulſu ventorum adjuta vetuſtas,
Frangit cuncta ruens, nec tantum corpora preſſa
Exanimat, totos cum ſanguine diſſipat artus.

De cujus vi, atque vehementia plura ſcripſere Paulus Diaconus, Hegeſippus, & Lipſius. Eapropter miraculo verterunt cives Surrentini, quod ingens ille lapis ſancti Antonini templum impetens neque everterit, neque concuſſerit.

Paul. Diac. de Geſt. Langobar. lib. 5.
Lipſ. loc. ſæpecit. pag. 20.
Hegeſip. l. 3. cap. 12.

Non autem ab Onagro emiſſum credimus, quem eundem fuiſſe novella ſua ætate ac Scorpionem fert Ammianus; quod hæc machina non tantum virium contineret. Multo minus a *Fuſtibalis*, quod genus tormenti bellici deſcriptum fuit a *Modeſto*, quiſquis fuerit is, qui omnia ferme ex Vegetio hauſit de Rei Militaris Vocabulis, aitque: *Fuſtibalus eſt longus pedes quatuor, cui per medium ligatur funda de corio, & utraque manu impulſus prope, non inſtar Onagri dirigit ſaxa*. Hoc enim inſtrumentum petrarium non ad evertenda eminus ædificia, ſed ad enecandos cominus præliantes aptum videtur.

Ammian. lib. 23 poſt Scorpionis deſcriptionem.

XIII. Porro Baliſta poſterioribus temporibus plura nomina, & horridula quidem accepit apud Latinos. Græci eam μάγγανα, aut μαγγανικὰ Latini Manganum dixerunt. Unde Abbo in obſidione Pariſienſi ait:

Conficiunt longis æque lignis geminatis

Mangana, quæ proprio vulgi libitu vocitantur.
Saxa quibus jaciunt ingentia.

Eodem prorſus modo loquitur Leo Imperator Sapiens dictus *Tacticæ, ſeu De Re Militari c.* 15. An vero hæc Mangana eadem ſint ac quæ Monangones
Hero cap.18.
vocat Hero, quos nonnulli Fundas vocant, ut ipſemet tradit, non adhuc ſatis liquet. At de his qui-
Paul.Diac l.21
dem videtur locutus Paulus Diaconus, qui ſcripſit: *Dejicitur lapide emiſſo ex Mangone, & contritum eſt caput ejus, & facies*. Unde apud ipſum Paulum, ut ex ea locutione educitur, idem videtur Mangon ſuus, ac Monangon Heronis. Alio etiam nomine appellata fuiſſe Baliſta legitur iis tempo-
Oth. Friſing.de Geſt.Frideric.l.2. cap.16.
ribus apud Othonem Friſingenſem ajentem: *Ferunt quodam die lapidem vi tormenti ex Baliſta, quam modo Margam vulgo dicere ſolent, propulſum ad ſuperiora loca conſcendiſſe*. Ubi potius legendum fortaſſe Mangam; nam Radevicus de Geſtis
Radevic. lib.2. cap.47.
Friderici Imperatoris inquit: *Tormenta quæ vulgo Mangas vocant*. Atque ex hac voce, ut ſentit Li-
Lipſ.lib.3.Dial.3.
pſius, vel ex ſuperiore voce *Mangana* derivaſſe videntur *Mangonella, Mangonalia, Mangatella*; quæ verba in Avorum, Atavorumque hiſtoriis legere eſt; quarum ſane vocum non pauca exempla in Leodicenſium Chronicis annotavit Ægidius Ruy-
Turpin. cap.9.
tius. Turpinus autem Caroli Magni ævo aliis nominibus idem videtur exprimere, ubi habet: *Aptatis juxta murum Petrariis, & Mangatellis, &*
Lipſ. loc. cit.
Troiis. Quibus in verbis advertit Lipſius Baliſtam Petrariam vocatam, quia lapides emittebat, alia-

Digitized by Google

aliaque projiciebat in urbes, ut etiam caput abſciſſum e trunco, ſicut refert Paulus Diaconus. Et in Chronico quodam Leodicenſi legitur. *Epiſcopus miſit Leodium Mangonalia, ſeu Fuſtibula, ſive Tribuceta, vel Arietes, aut Sues, Vineas, Biblias Petrarias, ſive Cattos verſatiles, neſcio quæ ex his ingeniis in ſignum, quod intendebat caſtra ſolo æquare*. In quibus verbis nomina quædam offenduntur machinarum muralium, quæ ne OEdipus ipſe quidem explanaret. Et in alio pariter Leodicenſi Chronico invenimus *Bibliam Petrariam, & cetera bellica inſtrumenta*. Ac denique in vetuſta Caroli Magni vita, quam edidit Pithœus, *Clitas* etiam inter murales machinas legimus. In his omnibus advertit Lipſius Biblias Petrarias Baliſtæ genus dictum. Verum pace tanti viri dicimus nos non ſatis videre, quare his diverſis Petrariis machinis Baliſtarum potius ſpecies, & non Scorpionum etiam indicentur; & ſolum colligimus haſce machinas obſidionis Surrentinæ tempore uſui militibus fuiſſe, & aliqua ex iis ſepulcrum S. Antonini impetitum, ac veroſimilius, ut diximus, Baliſta.

Paul. Diac. de Geſt. Langob. c. 5.

CA-

CAPUT XIV.

De ſancti Antonini Apparitione, qua Agarenos deterruit.

Animadverſiones in ſecundum miraculum.

I. SEcundum celeberrimum ſane miraculum eſt, quod cum aliis quatuor ſanctis Surrenti Tutelaribus ſemel, bis, & iterum in Saracenorum claſſibus Ænariam inſulam infeſtantium apparens, illos tam vehementer primo terruerit, ut fugam raptim capeſſere coëgerit, indeque Surrentinis cum iiſdem pugnantibus ita præſens aſtiterit, ut ne unus quidem illorum, iſtis magna eorum ſtrage profligatis, in navali pugna ceciderit. Ita prorſus Anonymus.

Anonym. loc. cit.

II. At de qua Saracenorum incurſione heic loquatur laudatus Auctor, non adeo facile eſt conjicere. Plures enim Saracenorum impreſſiones memoriæ proditæ ſunt, quas inter alios accuratiſſime deſcribit Leo Oſtienſis. Ex iis prima eſt, qua hi Chriſtiani nominis hoſtes anno ſalutis 820. invaſerunt Siciliam, ac ſub jugo Panormum redegere. Secunda, qua Sergio II. Romano Pontifice, & Baſſacio Abbate Caſinenſi anno ejus decimo, ſalutis 846., ut notat etiam Pithœus, direptis ſanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli templis, Roma digreſſi Cajetam irruperunt, ubi Spoletio venientem Francorum exercitum, eoſque comprimere ſatagentem in fugam fœdiſſime verte-

Leo Oſtien. In Chron. Caſin. c. 2.

Idem, cap. 26.

Pith. In Annal. Francor.

verterunt; unde parta victoria ſuperbientes, quum in Caſinenſe monaſterium irruere conarentur, illuc pervenire inſigni miraculo a ſancto Benedicto inhibiti fuerunt. Tertia, qua monaſterium Caſinenſe iterum Cœlitus, ac ſancti Benedicti ope ſervatum fuit anno Reparationis humanæ 847. Quarta, qua, devictis Capuanis, ac Neapolitanis admodum afflictatis, ſancti Vincentj monaſterium prope Caſinum funditus everſum fuit, ac depopulatus Theſaurus; hanc vero Angelus de Nuce factam recte opinatur circa annum 873. Deinde pergit Oſtienſis, ac fœdera percenſet, quæ a Neapolitanis, Cajetanis, Amalphitanis, & Salernitanis inita fuere, proh dolor! cum ipſis Saracenis, quibus tandem permiſſum fuit a Cajetanis præſertim non ſine Chriſtiani nominis dedecore, ac ſempiterna Italæ virtutis infamia Liris amnis oſtia incolere, ubi 40. annos conſtitere; unde anno 915. ſub Johanne X. Pontifice Maximo tandem aliquando exturbati, ac prorſus ejecti fuerunt.

IdemOſtien.c.28.

Idem cap.35.

Angel.de Nuc. In Not.adi dem cap.

Idem Oſtien. cap. 40. 43. & 52.

Flav. Blond. In deſcript. Campan.

III. Verum quum nulli ex his Maurorum incurſionibus convenire videantur, quæ habet Anonymus in recenſenda inſulæ Ænariæ direptione, nos illam, cujus heic Anonymus meminit, eam omnino fuiſſe opinamur, quam licet inſigniorem, ſilentio tamen involvit Oſtienſis: at fuſiſſime commemorat Anaſtaſius Bibliothecarius. Atque ipſiſſimam eſſe ducimus cum Caracciolo, Bollando, & Luca Dacheryo, quam, ut ulciſceren-

Anaſt.Biblioth. In vit. Leon. IV. V. etiam Platin.in ipſum Leonem. Caracciol.Notat. Bollan.In Not. ad vitamS.Anton.

Dacher. In Præfat. ad dictam vitam. rentur Neapolitani, Surrentini, Cajetani, ceterique una fœderati in Saracenos conſpirarunt, V. Capac. Hiſt. Neap. l. 1. de Duc. Neapol. pag. 148. eoſque fugientes, Duce Cæſario Sergj Neapolitani Magiſtri militum filio, prope Oſtia Tiberina aſſecuti, collatis ſignis, magna Neapolitani Regni gloria, ac felicitate, ſummoque Romani Pontificis, & levamento, & lætitia Saracenorum navales copias profligarunt, eorumque claſſem vel ad ultimum navigium deleviſſent, niſi, oborta magna ventorum vi, ab invicem ægre ſejuncta fuiſſet utraque Claſſis. Iiſdem tamen ventis fœda excitata tempeſtate ita reliquæ concuſſæ fuerunt hoſtium naves, ut in Oſtienſe litus fere omnes fuerint alliſæ. Qui vero ex Mauris eo naufragio evaſerunt *per quaſdam noſtras inſulas*, ut ipſis Bibliothecarj verbis utar, *famis laborsaiuv penuria plurimi a noſtris hominibus inter-* Baron. In Annal. ad ann. 849. *fecti fuerunt*. Id anno 849. ſub Leone IV. accidiſſe colligit ex ipſo Anaſtaſio doctiſſimus Cardinalis Baronius.

IV. His igitur poſitis, conjicimus Agarenos hac inſtructa Claſſe ad Crateris oram appuliſſe, ibique pluribus factis excurſionibus in- Anonym. In vit. S. Antonin. ſulam præſertim Ænariam devaſtaſſe. At audito inde fœdera in ſeipſos iniri, inſtructamque comparari claſſem, ab imminenti conflictu calamitatem, excidiumque ſibi metuentes ex ipſa Ænaria Tiberina Oſtia verſus ſolviſſe, ubi noſtri fœderatis navalibus copiis eos aſſecuti feliciſſime fregerunt. Idque innuere quodammodo videntur verba

verba hæc Anonymi : *Tempore autem procedente, Saracenorum infinita multitudo contra Chriſtianæ pacis tranquillitatem conjurata omnia, quæ attigit, loca more nimboſiſſimæ grandinis proterens eraſa reliquit. Emenſo tandem infeſti illi Prædones pelagi ſpatio, applicuerunt ad inſulam Neapolitanæ poteſtati ſubjectam, quæ Ænaria, uſitatiori vero nomine Inſula Major nuncupatur &c.*

V. Verum heic non pigebit advertere hanc Inſulam illam eſſe, quam modo vulgus *Iſchia* nominat. Verumtamen numquam alibi, neque apud antiquos, neque apud poſteriores legiſſe ſcriptores meminimus hanc Inſulam hujuſmodi *Majoris Inſulæ* nomine fuiſſe appellatam. Scimus equidem Ænеariam, vel potius contracte Ænariam a ſtatione navium Æneæ dictam, ut Plinio placet: Plin. lib. 3. c. 6.
& Inarimen etiam Virgilium eam vocitaſſe carmine illo :

Durumque cubile
Inarime Jovis imperiis impoſta Typhœo.

Quo in loco non deſunt, qui criminentur Maronem, utpote deceptum hoc carmine Homeri :

Εἰν Ἀ'ρίμοις, ὅθι φασὶ Τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς.

Ideſt :

In Arimis, ubi dicunt Typhœi eſſe cubilia.

Quod ſcilicet Εἰν Ἀ'ρίμοις, quæ apud Homerum duæ ſunt voces, quaſi unam putarit ille Latinus Poëta, & conjunctam pro Inarime acceperit ſecus, ac mens fuit Homeri, qui, ut iſti propugnant, voluit potius illis vocibus innuere

Strab. lib. 6. V. Natal. Comit. Mytholog. Deor. l. 6. cap. 22.

 apud

apud Arimæos Syriæ populos, teſte Strabone, habuiſſe Typhœum incunabula, ubi inſuper contendunt eumdem fuiſſe ſepultum. At cuique Pindarum, Heſiodumque legenti patet eaſdem has voces, quibus Homerus uſus eſt, hoſce pariter Poëtas ad indicandam, exprimendamque Ænariam inſulam adhibuiſſe. Et quamvis non obſcure quidem intelligatur ex præpoſitione illa Εἰν, & voce Α'ρίμοις conflatum hoc nomen *Inarime*: nihilominus uſus apud Latinos invaluit, ut Ænaria hoc etiam compoſito nomine Inarime appellaretur. Sic poſt Virgilium cecinit Valerius Flaccus:

Valer. Flacc. Argon.3.

Ut magis Inarime, magis ut mugitor anhelat.

Sic Silius Italicus:

Silius lib.10.

Non Prochyte, non ardentem ſortita Typhœa
Inarime.

Sic Statius:

Stat. l. 2. Silv. In Surrent. Pollj verſ.76.

Hæc videt Inarimen, illi Prochyta aſpera paret.

Et paſſim alii, quos omnes imitatus eſt Italicus Lyricorum Princeps Petrarcha, ubi concinit:

Petrarc. Nel Trionfo della Caſtità.

Non Inarime allor, che Tifeo piange.

Quem verſum pluribus explicuit, atque ab omni cenſura vindicavit Jacobus Mazzonius.

Jacob. Mazzon. Nella difeſa di Dante lib. 1. cap. 4

VI. Pithecuſas inſuper, & Pithecuſam dictam etiam fuiſſe eam Inſulam invenimus, ſive a Simiis, quibus dicitur olim referta; nam Πίθηκος Græce Simia eſt; ſive a Πίθος, quod dolium ſignificat, a doliariorum ſcilicet copia, quæ ibi ex creta conficiebantur, ut revera noſtra etiam æta-

te

te ex ipſa creta quamplurima, & diverſi generis vaſa conflantur. Ad id alluſiſſe videtur Ovidius inquiens:

Orbataque præſide Pinus
Inarimen, Prochytenque lègit, ſterilique locatas
Colle Pithecuſas habitantum nomine dictas.

Ovid. Metamorph. l.14. verſ. 59.

Verum hoc nomine contendunt alii utraſque inſulas Inarimen ſcilicet, Prochytenque indicare voluiſſe Ovidium. Utquumque tamen eſt, nunquam Ænariam *Inſulam Majorem*, quantum poſſumus memoria repetere, appellatam fuiſſe invenimus; niſi forte Anonymi tempeſtate *Ænaria* comparatione *Prochytes*, quæ minor eſt, *Major Inſula* vulgo fuerit nuncupata. Hæc obiter, adeat Cornelium Nepotem, laudatum Strabonem, Philoſtratum in Imaginibus (etſi hic fere omnia fabuloſe) Philippum Cluerium, Capacium, Giannettaſium, alioſque, qui de Ænaria plura deſiderat.

V. Suid. qui Xenagoræ locum affert de Orig. Pithecus. &c Apollon. Scholiaſt. l.2. pag.121. V. Philip. Cluer. Ital. Antiqu. tom. 1. lib. 1.

Strab. Geograph. lib. 13.

Philip. Cluer. Ital. antiq. tom. 2. lib. 4. pag. 1567.

VII. Quantum ad miracula, ne haſce notas longius producamus, cetera, quæ apud Bollandum, Anonymum, alioſque legi poſſunt, heic miſſa facimus. Non tamen prætermittendum eſt, quod recentioribus temporibus accidit anno ſcilicet 1558., quo, paulo antequam *Turci* Surrentinam urbem civibus, fortuniſque exhaurirent, voces quædam per eam civitatem auditæ fuerunt, quaſi e ſancti Antonini ſepulcro erumpentes, quibus commonebantur Surrentini, ut ſibimetipſis conſulerent, militum præſidio munirent urbem, ejuſque cuſtodiæ diligentius invigilarent. At hiſce vocibus nihilo

cautiores facti cives negligentiæ pœnas luerunt, quum paulo poſt præter opinionem effuſa Turcorum multitudo præter quatuor capitum millia, & amplius in ſervitutem adducta, in quibus non exiguus fuit Virginum ſacrarum, ac monachorum numerus, quorum ibi propter amœnitatem, ac nobilitatem loci quamplura ſemper fuerunt cœnobia, complures infantes, ſeneſque occidit, urbiſque penitus direptæ, atque alicubi incenſæ faciem infandum in modum fœdatam reliquit, ut alibi attigimus. Id non modo apud Matrem Jacobam legitur, ſed ejus etiam apud ipſos Surrentinos extat memoria a majoribus ita prorſus tradita, ut legere eſt in manuſcriptis Codicibus, qui de ea calamitate apud privatos Surrentinos ſervantur.

V. Thuan. loc. cit.

VIII. Similibus, aliiſque innumeris jampridem Surrentini cives beneficiis obſtricti, tam benemerito, vigilique Tutelari ſuo magnificum ſane, ac nobile templum erexerunt in urbis mœnibus, ubi traditione acceperant ſacrum corpus extare, ac ſupra hoc poſuerunt altare, in quo ſacra fiunt. Quam vero antiquum ſit hoc templum non ſatis conſtat. Nos vetuſtiſſimum illud facimus, aſſeveramuſque non abs re jam inde ab initio noni ſeculi, quo tempore Caracciolus, aliique hunc perperam ſecuti ſancti Antonini obitum accidiſſe ſtatuunt, ſanctiſſimum Abbatem eodem loci, quo nunc, templum habuiſſe. Idque clariſſime colligi putamus ex Mario de Vipera, qui referens Sicar-

Mar. de Viper. lib. cit. In Gusto Epiſcop. pag. 51.

Sicardi obſidionem, tradit templum ſancti Antonini, quippe quod in mœnibus urbis extaret, fuiſſe ab hoſtibus impetitum. Quod licet heic clare non exprimat Anonymus: tamen dilucide innuit illis temporibus ſanctum Antoninum templum habuiſſe, quum miraculum percenſet liberationis hominis per quinquennium a Dæmone vexati, qui ad Eccleſiam ſancti Antonini pertractus fuerat a contribulibus ſuis, ibique ad columnas templi manibus, pedibuſque ligatus brevi Dæmonis ſervitute liberatus fuit; idque paulo poſt Sicardi obſidionem accidiſſe non obſcure ipſemet refert ante Saracenorum incurſionem anni 849., quem adi.

IX. Ex his vides quantum firmitatis habeat; quod ſtatuit Caracciolus, S. ſcilicet Antoninum mortem obiiſſe anno 830., quando ex Anonymo ſuo conſtat eumdem ſanctum anno 834., quo Surrentinam Sicardi obſidionem accidiſſe conjicimus, templum jam habuiſſe. Quei veroſimile Caracciolo viſum fuit intra quadriennj ſpatium, & minus a ſua morte templum, ac Divorum honores obtinuiſſe ſanctum Antoninum, atque inter ſanctos Surrentinæ civitatis Patronos relatum iis præſertim ſeculis, quibus non adeo facile, ut antea, populi voce, ac plauſibus ſanctorum albo ab Epiſcopis accenſebantur ſanctimoniæ fama decedentes viri, ut modo enucleate videbimus; quum inſuper aliunde compertum ſit ita multo tempore poſt ſuam mortem templum illi fuiſſe ædi-

ædificatum , ut jam diſtinctus , ac peculiaris ſepulcri ſui locus ab hominum memoria obliteratus annorum diuturnitate ignoraretur ; quapropter, ut templum in ſuo ſepulcro erigerent Surrentini , corpus aggreſſi ſunt , ut illud invenirent, effodere , ut alibi diximus .

CAPUT XV.

Quando ſanctus Antoninus Chriſtiana Apotheoſi in ſanctorum album relatus.

I. VErum , ut clarius pateat , ſanctum Antoninum non potuiſſe intra tam breve tempus , ſi anno 830. obiiſſet , templum , & venerationem obtinere , aliqua de ſanctis canonizandis prælibemus . Conſtat ſiquidem (ſi licet paulo altius hiſtorias memoria repetere) ſub tribus primis Eccleſiæ ſeculis Numini erectis templis , altaribus , ac præſtitis ſacrificiis præficere fideles nomina Martyrum conſueviſſe , eoſque venerari *ferias agendo , & ſolennes conventus circa eorum reliquias , & ſacra pignora agitando* , ut refert Euſebius . Neque adeo præpropere fiebat ; mos enim tunc erat Epiſcopis , in cujus ditione martyr pro Chriſti nomine occubuerat , rem omnino ad Metropolitam , vel Primatem , aut Patriarcham ſcribere , a quo mature adhibitis in Concilio ſuffraganeis Epiſcopis , an inter Martyres cooptandus eſſet , decernebatur , ut quodammodo

Euſeb. lib. 4. Hiſtor. Eccleſ. c. 15. S. Greg. Nyſſen. in vit. S. Greg. Thaumaturg.

Digitized by Google

modo innuere videtur ſanctus Auguſtinus, qui modum præſcribens aſſequendi, qui ſint veri Martyres, tandem addit: *Non facit Martyrem pœna, ſed cauſſa*. Vel ſaltem neceſſe erat, ut judicium, ac decretum antea accederet illius Epiſcopi, in cujus Provincia, vel Diœceſi Martyr fuiſſet colendus, juxta ea, quæ ex Concilio Agrippinenſi accepta refert Ivo. Nefas quippe erat, ut inquit Euſebius Cæſarienſis, coli aliquem etiam martyrem, aut reliquias illius, qui vel ſacri Senatus conſulto, vel alicujus ſaltem Epiſcopi judicio, atque auctoritate nondum fuiſſet vindicatus, hoc eſt, probatus, & receptus; quod idem clare colligitur ex hujuſmodi ſancti Optati Milevitani verbis: *Quum proponeret* (Lucilla ſcilicet Donatiſtarum patrona) *Calici ſalutari os, neſcio cujus hominis mortui, etſi Martyris, ſed nondum vindicati, correcta ab Archidiacono Cæciliano cum confuſione irata diſceſſit*.

S. Auguſt. In Brevicul. collat. diei 3. cap. 13., & copioſius t. 5. juxta ordin. PP. Congr. S. Maur. ſerm. 326, n. 1.

Ivo Carnut. p. 3. Decret. c. 54.

Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 4. cap. 14. & lib. 5. cap. 15.

S. Optat. Milev. lib. 1. adverſus Parmenonem.

II. Præhabitis igitur diligenti diſcuſſione, & approbatione ſaltem Epiſcopi, licebat ſolenni ritu referre nomina martyrum, qui inter Divina invocarentur, ut liquet ex eodem Optato, eorumque nominibus templa inſignire, atque altaria erigere, ut tradit ſanctus Auguſtinus, ſuper ſacra eorumdem corpora, quæ impenſe colebantur in ipſis etiam Eccleſiæ primordiis, uti ſcribit Euſebius. Unde ſanctus Felix I. Romanus Pontifex conſtituit, ſeu publico decreto confirmavit, ut ubique locorum ſupra reliquias, ſeu memorias

Idem lib. cit.

S. Auguſt. ſerm. 113.

Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 5. cap. 1.

Ex lib. Pontifical. In vit. S. Felic. I.

morias Martyrum Miſſæ celebrarentur juxta Apocalypſim, ubi Martyrum ſepulcra altaria Dei appellantur. Idemque Liturgiæ Jacobi, & Clementis, antiquæ ſane, cujuſcumque ſint auctoris, aperte innuunt. Hinc petebat ſanctus Cyprianus, ut ad ſe dies mortis ſingulorum Martyrum tranſcriberentur, quo poſſet anniverſaria eorumdem paſſionis die ſacrificium offerre; cujus rei rationem affert ſanctus Auguſtinus his verbis: *Quod in ſacrificio altaris ſignificatur generale Sacrificium, in quo immolatur univerſum Chriſti corpus.*

III. Quapropter quum in Canone Romano poſt Beatam Virginem, & Apoſtolos Martyres duodecim nominentur, nec de Confeſſore ullo mentio habeatur, merito ſuſpicatur clariſſimus Cardinalis Bona illum Miſſæ Canonem antiquiorem eſſe quarto ſeculo, quo ſancti Confeſſores in Oriente, & Occidente ſacro cultu venerari cœperunt, & præcipue ſanctus Martinus Turonenſis. Quod ſi ita eſt, fruſtra ſunt qui auctorem Canonis faciunt ſanctum Gelaſium Papam evectum ad ſancti Petri ſolium anno 492., vel Muſæum presbyterum Maſſilienſem, qui floruit circa medium quinti ſeculi, aut Voconium Afrum Caſſellani Mauritaniæ oppidi Epiſcopum, qui claruit paulo poſt Muſæum. Ii enim præclariorum aliquod ſanctorum Confeſſorum nomen in Canonem inſeruiſſent. Sanctus Gregorius Magnus Scholaſtico tribuit Canonem; quis vero Scholaſticus ille fuerit, vide apud eumdem Bonam exiſtimantem appel-

Hic conſtituit ſuper ſepulcra, aut memorias Martyrum Miſſas celebrari.

Et in Epiſt. 2. quæ habetur in 1. tom. Concil. ult. edit. pag. 925.

Quapropter in præfata conſtituimus Synodo, Urbiſque, & omnibus Eccleſiis tenendū, & agendum mandamus, ut ſuper memorias Martyrum Miſſæ celebrentur.

Sed duas Epiſtolas Felicis I. ſuppoſititias docti critici habent.

Apocalyp. cap. 6. 2. 9.

Origen. lib. 3. in Job.

Liturgia S. Jacobi etiam in concilio quiniſexto.

S. Cyprian. epiſt. 37.

V. etiam S. Greg. Magn. in epiſt. ad Eulog. Alexand. Epiſcop. &

Onupht. Panvin. De Rit. ſepelien. mort. apud veteres Chriſtianos c. 14.

S. Auguſt. l. 10. de Civit. Dei c. 6. & lib. 22. cap. 10.

Card. Bona Rer. Liturgic. lib. 2. c. 12. n. 3.

Quis Auctor Canonis Miſſæ.

Bon. loc. cit. cap. 11. n. 2.

pellativum nomen eſſe, & officium deſignare docentis Evangelicam religionem.

IV. In ſacris Diptychis nomina Martyrum antiquiſſime referri ſolita apud doctos aliquos ſcriptores legimus, quod minime probandum videtur. Erant enim Diptycha non gemini libri, in quorum uno viventium, altero vero mortuorum nomina ſcribebantur; quemadmodum Meurſius putavit; ſed unus liber pugillaris duabus tabulis complicatis, in quarum priore inſcripta nomina viventium, quæ per Diaconum publicabantur inter ſacra myſtica, ſcilicet Summi Pontificis, Imperatoris, Regum, Epiſcopi loci, Patriarcharum &c., in altera vero charta mortuorum, inter quos primi erant Epiſcopi.

Quid Diptychon ſignificet.

Jo: Meurs in Lexico Græcobar.

DeDiptych. Triptych. Fentaptych. &c. V. Adrian. Turneb. lib. 9. Adverſ. c. 23. &

V. Cabaſſut. in Notit. Eccleſ. ſecul. 2. diſſert. 15.

Neque heic adhæremus doctiſſimo Cardinali Bonæ dicenti Epiſcoporum in Diptychis *inſcriptionem ſpeciem quamdam habuiſſe Canonizationis, ſeu Beatificationis*, quum in ea tabula legerentur etiam defuncti Eccleſiæ benefactores, Baſilicarum conſtructores &c. qui non proinde inter ſanctos, aut beatos referebantur. Potius igitur Canonizationis ſpecies, qua publicus cultus fidelibus permittebatur, aut præcipiebatur, erat eorum relatio in Martyrologia, ut ſupra cap. 2. dicebamus.

Bon. Rer. Liturg. ſib. 2. cap. 12. num. 1.

V. Jo: Stephan. Durant. de Ritib. Eccl. Cath. lib. 2. cap. 43. n. 9.

Emmanuel. Gonzal. Tell. ad C. *Item conſtitutum de Hæretic.*

Sarnell. in Baſilicograph. cap. 26. & alios.

Et Heribert. Roſvveyd. in Onomaſtic. ad vitas Patrum.

V. Verum quod Eccleſia principio Martyribus præſtitit, inde etiam Confeſſoribus ſingularis ſanctimoniæ fama decedentibus, & præſertim Eremitis, ac Pœnitentibus, qui vitæ aſperitate, corporiſque afflictationibus quamdam martyrj lau-

Lud. Thomaſſ. De Nov. & Vet. Eccl.diſcipl.t.1. p.1. lib.2. cap.92. n.ult.
V.Steph.Durant. De Rit. Eccl. l.1. cap.2.
A. Baillet. Les Vies de Saints t.1. Dans le diſcours ſour l'hiſtoire des Saint. p.2.
S.Hieron.In Vit. Hilarion.
V. etiam Thomaſſ. loc. cit. n.9. & ſeqq.

ream, ut inquit Thomaſſinus, ſibi comparaverant, tribuere cœpit in Oriente, quum effervescere deſiit immanis Tyrannorum in Chriſtianam religionem ſævitia, ut etiam A. Baillet ſentit. Hoc etiam liquet ex ſancto Hieronymo aſſerente ſanctum Antonium Abbatem ſanctorum honores præ humilitate reſpuentem caviſſe ante mortem, ut ſuæ ſepulturæ locus eſſet incompertus, ne ſupra ſuum cadaver martyrium, ideſt Eccleſia, vel Capella fabricaretur. Hujuſmodi exempla complura, ac frequentiora, præcipue in Palæſtina, Syria, proximiſque provinciis quartum Eccleſiæ ſeculum præſtitit. Idem deinde mos circa quintum ſeculum in Occidente invaluit, obtinuitque ferme uſque ad decimum Eccleſiæ ſeculum, teſte Papebrochio, & A. Baillet. Verum is honor nemini, etſi miraculis inclareſceret, id etiam temporis deferri licebat, niſi hoc prius in Synodis Provincialibus, adhibita diligenti in vitæ illius, qui venerationi exponendus erat, probitatem inquiſitione, fuiſſet ſuffragio Epiſcoporum decretum: vel ſaltem illius Epiſcopi, in cujus ditione erat aliquis venerationi exponendus, matura auctoritate approbatum. Quamobrem non tam propere, ut Martyres, poterant ipſi etiam Confeſſores ſanctorum cultum obtinere. Debebant enim complura præcedere miracula, eaque, ut diximus, per oculares teſtes in Concilio comprobari, ut omnes conveniunt, & advertit Urbanus II., Cardinalis Petrus Damiani, & diſertiſſimus

Papebr. In Conat.Chronico-Hiſtor. ad Catal. Pontif. Rom. diſſer.20. p.1. poſt. vitam Johan.XV.
A. Baillet loc.cit.

Urb.II.In Reſponſ. ad Bened. Kemperleg. Abb.

tiſſimus Tilemontius; quod idem ex antiquo Eccleſiæ uſu hauſtum ſcripto expreſſit Honorius III. Inde ex Synodali decreto concedebatur, ut ſupra defuncti corpus Altare conſtrueretur; hic enim ritus erat referendi in ſanctorum numerum, uti advertunt Baronius, & Phœbeus.

VI. Atque hinc eſt, quod tamquam ſpeciale privilegium memoret de ſancto Romualdo, quum adhuc in vivis eſſet, innumeris miraculis præclariſſimo, Cardinalis Petrus Damiani, quod poſt quinquennium a ſancti viri obitu conceſſa fuiſſet, Monachis apud Summum Pontificem inſtantibus, licentia, ut ſupra venerabile ejus corpus, quod poſt quinquennium inventum fuerat integrum, altare conſtrueretur. Ex quibus omnibus liquet, quam a veritate alienum videatur, quod ex ſententia Caraccioli deſcendit, ſanctum ſcilicet Antoninum triennio poſt, vel quatriennio ab obitu non Altare ſolum, ſed etiam Templum jam habuiſſe.

VII. Præterea addere contra Caracciolum non immerito poſſemus, quod eo ſeculo, ad quod ſancti Antonini obitum ipſe transfert, jam ademta fuiſſet Epiſcopis canonizandi facultas, & Romano Pontifici omnino reſervata, ea quidem ratione, quia ad Romanum Pontificem tantummodo ſpectet toti Eccleſiæ proponere quid credendum, agendumque ſit in iis, quæ ſunt Religionis. Et quamvis credat Phœbeus Alexandrum III. eam circa annum 1160. poteſtatem

Petr. Dam. epiſt. 29. ad Henric. Archiep. Raven., quę habetur tom. 3. Biblioth. SS. PP.

Tilem. Hiſtoir. Eccl. t. 1. p. 1. Not. 13. ſour la ſaint Vierge.

Honor. III. In C. Venerabili 52. De Teſtib., & Atteſtat.

Baron. tom. 10. Annal. ad an. 993. n. 5.

Phœb. In Diſſ. de canoniz. ſanct. apud Domin. Cappel. in act. Canon. S. Petr. de Alcant., & S. Mar. Magdal. de Pazzis.

Phœb. loc. cit.

Alexand. III. in C. Audivimus. De Reliq. & Venerat. Sanctor.

tem Epiſcopis primum ademiſſe afferens verba illa Canonis *Audivimus*: *Ne liceat aliquem pro ſancto abſque auctoritate Romanæ Eccleſiæ venerari*: tamen Alexander III. noſtro judicio novum non cudit ea de re decretum, ſed potius jampridem factum exprimit, & tamquam notum confirmat; In eo enim capite prohibet quibuſdam, qui diabolica fraude inducti virum in ebrietat confoſſum venerabantur, ne illum amplius colere auderent; quum etſi per eum ſtupenda ſigna, ac miracula fierent: tamen non liceret ipſum pro ſancto abſque auctoritate Romanæ Sedis venerari, ut nobiſcum etiam ſentit Papebrochius, & clare colligitur ex ejuſdem Pontificis verbis, quæ hæc ipſiſſima ſunt: *Hominem ergo illum de cetero colere non præſumatis, quum etiam ſi per eum miracula fierent, non liceret vobis pro ſancto abſque auctoritate Romanæ Eccleſiæ publice venerari*. Quis ex hoc contextu, & dicendi modo non arguat innuere Alexandrum III., vel anterius aliquod fuiſſe decretum, vel inveteratam ea de re conſuetudinem?

Papebroch. loc. cit.

VIII. Præterea, quod ante Alexandrum III. ea fuiſſet Epiſcopis ademta auctoritas, adeo certum eſt, ut id etiam reperiatur vel ſtatutum, vel potius commemoratum, & confirmatum a Paſchale II. in Canonizatione ſancti Petri Epiſcopi Anagnini anno 1110. Pontificatus ſui X. Et quamvis nullum anterius ea de re decretum legatur: tamen conſuetudine ſaltem multo ante invaluiſ-

Paſchal. II. In liter. Canon. S. Petri Epiſc. Anagn.

valuiſſe putandum eſt, ſicut etiam Papebrochius opinatur, ut in ſanctorum Canonizatione ſanctæ Sedis oraculum poſtularetur.

Quinimmo in tam *arduo*, ac *ſublimi* Canonizationis negotio, ut verbis Alexandri III. utamur, tam caute ea tempeſtate decimo præſertim ſeculo ſe gerebat Eccleſia, ut nonniſi in Conciliis Generalibus, vel Plenariis ſanctorum Canonizatio ageretur, præſidente Romano Pontifice, ut factum fuit aliquanto poſt circa ſanctificationem S. Gherardi Leucorum Epiſcopi a Leone IX. in Synodo Romana IV. anno 1053. Et ab Innocentio II. in Concilio Piſis coacto anno 1134. circa Canonizationem ſancti Hugonis Epiſcopi Gratianopolitani. Qui idem mos jam ea ætate adeo temporis longinquitate invaluerat, ut ſi quis Pontifex per ea ſecula id extra Concilium decernere vellet, præter Eccleſiæ morem ſe facturum ultro profiteretur. Ita teſtatus eſt Urbanus II., qui ad Romanam Cathedram anno 1087. aſſumtus Benedicto Kemperlegienſi Abbati petenti, ut unum ex ſuis deceſſoribus aliquem in ſanctorum album referret, hæc inter cetera reſpondit: *Non enim ſanctorum quiſque debet canonibus admiſceri, niſi & teſtes adſint, qui ejus miracula viſa ſuis oculis atteſtentur, & plenariæ Synodi firmentur aſſenſu.* Ita Eugenius III. in literis Canonizationis Henrici Imperatoris ad Epiſcopum, & Canonicos Bambergenſes datis Tranſtiberim ſecundo Idus Martj anno 1152., in quibus hæc habentur: *Tametſi*

Alexan. III. in lit. canon. S. Eduard. Reg. Angl.

V. Baron. ad ann. 1134. lit. b.

V. Natal. Alexand. Hiſt. Eccleſ. tom. 4. diſſer. 17. ſecul. 4. circa finem.

Eugen. III. In lit. Canonic. &c. §: 2.

metſi hujuſmodi petitio niſi in generalibus Conciliis admitti non ſoleat, auctoritate tamen ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ omnium Conciliorum firmamentum eſt, petitionibus veſtris acquieſcimus.

Quod idem legitur in literis Canonizationis ſancti Eduardi Regis Angliæ datis Anagniæ VII. Idus Februarj anno 1161. ab Alexandro III. Id vero adeo omnibus perſuaſum fuit illis temporibus, ſcilicet, ut a Conciliis, vel a Romana Sede cujuſvis ſancti viri Canonizatio peteretur, ut Archiepiſcopus Viennenſis in Gallia, & ſuffraganei ejus ſub initium ſeculi XIII. anno ſcilicet 1231. poſtulantes a Gregorio IX. Canonizationem Stephani Dienſis Epiſcopi anno 1208. defuncti ita loquantur: *Quia nemo quantacumque meritorum prærogativa polleat, ab Eccleſia Dei pro ſancto, ut ajunt, habendus, aut venerandus eſt, niſi prius per Sedem Apoſtolicam ejus ſanctitas fuerit approbata*. In quibus omnibus animadvertendum jam inde ab XI. ſeculo Pontifices Romanos ita ea de re locutos, ut vel conſuetudinem, vel decretum anterius fuiſſe arguamus.

V. Papebroch. loc. cit.

IX. At ex quo tempore id (ſcilicet ut Romano Pontifici, & Conciliis reſervaretur canonizandi facultas) in conſuetudinem abire cœperit, quum obſcurum plane ſit, putat Papebrochius ab anno 993. Indictione 6. incœpiſſe; quando ſcilicet Johannes XV. in Synodo Romana in Lateranenſi Palatio coacta pridie Idus Februarj Dei ſervum Udalricum Epiſcopum Auguſtanum vita ſun-

Papebroch. loc. cit.

V. Baron. In Annal. tom.

Et Natal. Alexan. loc. cit.

functum anno 863. die II. Junj, auditis iis, quæ de illius vita congeſſerat Luitholphus Auguſtæ id temporis Antiſtes, verbali declaratione ſanctorum Canoni inſeruit. Quod primum, & indubium ſolennis Canonizationis exemplum eſſe ſtatuit ſæpe laudatus Papebrochius; quia tum in Annalibus Baronj, tum in aliis Conciliorum tomis obvium eſt.

X Verum nos, bona pace tanti viri, multo ante vel Romanorum Pontificum decreto, vel ipſa Epiſcoporum, Eccleſiæque conſpiratione, & laudabili conſuetudine invaluiſſe putamus inſtitutum petendi ſaltem a ſancta Romana Sede, & inde a Conciliis generalibus ſanctorum Canonizationes. Quum enim res iſthæc magni quidem momenti deceptionibus videretur obnoxia, licet caute ab Epiſcopis ageretur, eam curam Romanis Pontificibus, & Conciliis generalibus relinquere congruentius, tutiuſque judicatum eſt. Siquidem provida ſagacitas, & acuta Epiſcoporum prudentia, qua in id negotj toto pectore incumbebant, aliquando etiam deluſa fuit: & ſanctorum honores, neſcimus cujus culpa, immeriti quidam tulere. Ejus rei exempla quædam ſuppeditat antiquitas, ut legere eſt præ ceteris apud Severum Sulpicium. Et Euſebius Cæſarienſis, quem totius Eccleſiæ judicio tamquam præfracte Arianum proſcriptum fuiſſe conſtat, uti ſanctus aliquando habitus eſt; ita prorſus, ut neque Uſuardus, neque Ado Viennenſis, neque

Sever. Sulp. In vit.S.Martin.Tur. cap. 8.

V.Controv.inter Cav. & Joh. Cleric.

neque Notkerus, aliique Martyrologiorum ſcriptores dubitarint, eum tamquam ſanctimonia celebrem ſuis Martyrologiis inſerere; qui omnes fortaſſe lapſi ſunt ab Homonymia decepti, & loco Euſebj Samoſateni, qui acerrimus Catholicæ fidei propugnator eo nomine, Conſtantio, & Valente Imperatoribus Arianis, perſecutionem paſſus, tandem in odium fidei tegula obrutus ab Ariana muliere Martyr occubuit, ſacris faſtis Cæſarienſem Euſebium aſcripſerunt; vel loco Euſebj Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopi, (quod veroſimilius eſt) cujus ſanctitatis egregium edidit teſtimonium ſanctus Gregorius Nazianzenus, Euſebium Cæſareæ in Palæſtina Epiſcopum ea probitatis nota celebrem occubuiſſe ſibi perſuaſerunt. Et revera in veteri alias laudato Martyrologio ſancti Hieronymi nomine inſignito apud Dacheryum legitur: *XI. Kalendas Julj In Cæſarea Cappadociæ depoſitio ſancti Euſebj Epiſcopi*. Utut tamen eſt, in hunc errorem etiam Lemovicenſis impegit Eccleſia, quæ quum Euſebium Cæſareæ in Palæſtina Epiſcopum Arianam hæreſim in Concilio Nicæno ejuraſſe, & in orthodoxa fide uſque ad mortem ſanctiſſime vixiſſe credidiſſet, ſacros ei honores per aliquod temporis ſpatium detulit.

S. Greg. Nazianz. In Orat. de funet. Patris.

Dacher. tom. 2. Spicileg. ult. edit. Pariſien. an. 1723.

Eccl. Lemovic. In prim. Lect. Breviarj ſui.

Hiſce proinde fallaciis, horrendiſque præſtigiis ut conſulerent Romani Pontifices, quibus ſuprema in Eccleſia poteſtas divinitus data eſt, tam arduum negotium a ceteris Epiſcopis avocantes, ſibi

V. Opus noſtrum de Suprem. Rom. Pont. in Eccl. poteſt.

V. Alteſerr. In Vindiciis contra Feuret p. 2.

ſibi tamquam unam ex cauſſis majoribus aſcive-runt.

XI. Id vero putamus, ni noſtra nos fallit opinio, uſuvenire cœpiſſe, ex quo ſancti cujuſque cultus ex anguſtioribus Diœceſis unius confinibus liberius emerſit, & per Chriſtianum Orbem longius, latiuſque propagatus univerſalior, communiorque apud omnes Chriſtifideles fieri conſuevit. Quum Romano Pontifici, & Conciliis generalibus ab eo probatis jus ſit proponendi, ut diximus, toti Eccleſiæ quid credendum, agendumque ſit in iis, quæ ad Religionem ſpectant. Hanc Eccleſiæ conſuetudinem multo ante decimum ſeculum in more poſitam fuiſſe compertum eſt; idcirco & ſolennes ſanctorum Canonizationes conjicimus, quod ipſemet Papebrochius non videtur improbare; nam quamvis illam a Johanne XV. factam primam ſolennem per Romanum Pontificem celebratam fuiſſe aſtruat: tamen non prætermittit paulo poſt ſubjicere: *Si quis attulerit antiquius exemplum, libenter ſuſcipiam; neque enim exiſtimo nullum extitiſſe*. Quibus verbis, ut opinionem noſtram altius confirmat, ita vineta ipſemet cædit ſua. Papebroch. loc. cit.

XII. Et revera adſunt exempla Canonizationum ſanctorum Kiliani, & ſociorum, & ſancti Trudperti, quæ a Luca Caſtellino Zachariæ Pontifici, qui fuit circa annum 745., ejuſque ſucceſſori Stephano II. in Romanam Sedem anno 752. aſſumto tribuuntur: & Canonizationis

beati Suviberti a Leone III. factæ Werdæ, inſtantibus Carolo Magno Imperatore, & Hildebaldo Archiepiſcopo Colonienſi anno Æræ Chriſtianæ 803. prævia narratione eorum, quæ de vita, & miraculis Beati Viri coram expreſſa fuerant; cui interfuerunt plures Cardinales, Archiepiſcopi, Primates, Epiſcopi, & Proceres, ut legitur in epiſtola a ſancto Ludgero Monaſterienſi Epiſcopo ad Rixfridum Epiſcopum Trajectenſem data; utque aſſeruit Alexander VII. in ſua ad Epiſcopos, & Cardinales oratione habita in Conſiſtorio ſemipublico pro Canonizatione beati Thomæ a Villanova. Quæ omnia quamvis rejiciat tamquam pura puta alicujus audacis impoſtoris figmenta, neſcimus, qua nixus ratione Papebrochius: tamen inficias ire non poterit vir eruditus; quod ex literis a Johanne XV. datis ſuper ſanctificatione Udalrici nequeat colligi, eum Pontificem id temporis primum hujuſmodi canonizandi ritum inſtituiſſe; quod ſane vel aperte innuiſſet, vel ex ſuis verbis aliquo pacto erueretur.

V. Sut. tom. 2. Die 1. Martj epiſt. S. Ludger. cap. 9.

V. Phœb. loc. ſupracit.

XIII. Ex hoc igitur liquet jam antea in uſu fuiſſe; quod confirmant apertiſſime verba illa, quæ ipſo auctore Papebrochio non rejicienda in Monaſtico Anglicano poſt paſſionem ſanctorum Wultadi, & Ruffini, alioqui Papebrochj ipſius judicio fabuloſiſſimam, ita prorſus leguntur: *Edgaro principante, atque pontificantibus ſanctis Dunſtano Cantuarienſi Archipræſule, & Erchesſuvaldo* (immo Ethelwaldo) *Wentonienſi Epiſcopo, ſtudebant*

Monaſt. Anglic. t. 2. pag. 125.

debant plures religioſa devotione patriæ ſuæ ſanctos exaltare, pia ſolicitudine vitas illorum inveſtigare, Summique Pontificis auctoritate ipſos canonizare. Ex quibus patet jam inde ab anno 960., circa quem regnabat in Anglia Edgarus Rex XII. cognomine Pacificus, ante tempora Johannis XV. conſuetudinem petendi a Romano Pontifice ſanctorum Canonizationes etiam in remota Angliæ regione tenuiſſe. Itaque colligendum eſt, multo ante ubique locorum eam invaluiſſe ſeculo fortaſſe ſeptimo, vel octavo. Hæc igitur omnia evincunt contra Antonium Caracciolum, in cujus gratiam hæc aliquanto uberius, quam patiebatur inſtitutum noſtrum, pertractata ſunt, nullo modo potuiſſe ſanctum Antoninum, ſi nono ſeculo e vivis deceſſiſſet, intra tam breve temporis, quatuor ſcilicet annorum curriculum ſanctorum honores ita ſtatim, & e veſtigio ferre, atque templum obtinere, ut ex opinione Caraccioli ipſius inferretur; & præſertim, quod Romani Pontificis huic rei, ut vidimus, ea tempeſtate accedere debuiſſet auctoritas.

XIV. Ad templum redeuntes, an hoc, quod modo extat, idem omnino ſit, quod nono ſeculo quoque extructum erat, nihil eſt unde colligatur. Credibile tamen videtur idem eſſe, ſed pluries in tanta annorum longinquitate reſtauratum, & nobiliſſimo concamerato hypogeo adauctum. Hoc templum ab initio, & a nono præſertim ſeculo ſub Præpoſito, & ſancti Antonini (V. Anonym. in vit. S. Antonini.)

L l 2 cor-

corporis cuſtode fuit, inde ſub poteſtate Rectoris, & Confratriæ, quæ ſancti Antonini ſocietas adhuc dicitur. Verum illud cum contiguis domibus, & amœniſſimis hortis ſancti Antonini nuncupatis dono dedit, ſuis tamen juribus relictis, eadem Confratria Clericis Regularibus ſancti Cajetani Thienæi anno 1688., qui Clerici Regulares ad ceream candelam ſtati ponderis quotannis Archiepiſcopo offerendam ſe obſtrinxerunt, Hieronymo Provenzali id temporis Surrenti Archiepiſcopo, ut liquet ex actis Johannis Baptiſtæ Verlezj tabellionis manu exaratis. Rectoris autem vice in præſentia fungitur Surrentinum Seminarium. Patres vero Theatini elegans cœnobium prope templum extruxerunt, hortoſque tam amœnos, feraceſque reddiderunt cultura, ut ſummæ jucunditati intuentium oculis, præcipue quod ſupra litus ſiti, cœnobio vero non exiguæ utilitati ſint.

XV. Ad ſancti Antonini ſepulcrum non modo e Surrentina regione, ſed ex aliis etiam civitatibus confluere fideles conſuevere tum pietatis, tum voti ergo, & præſertim a Dæmonibus abrepti, ſeu lymphati; qui jam inde ab antiquiſſimis temporibus ad ejus ſepulcrum projecti, vel ipſius templi columnis alligati mirum in modum liberati fuerunt; quod abunde ſcriptores vitæ ejus referunt, & in Romano Martyrologio annotare non prætermiſit Baronius; qui inſuper quæ ſua ætate ad ſepulcrum ejus fiebant admiranda,

da, in annotationibus ad idem Martyrologium hoc modo deſcripſit: *Quæ autem noſtra ætate ad ſepulcrum ejus admiranda fiunt, percepi non a quibuſvis narrata, ſed a ſinceriſſimis, prudentiſſimiſque Sacerdotibus, qui interfuerunt.*

XVI. At quænam doctiſſimo Dei ſervo narrata fuerunt? Perſimilia fortaſſe iis, quæ ante Prophetarum ſepulcra contingebant, ut refert ſanctus Hieronymus ad Euſtochium virginem Epitaphium Paulæ matris ſcribens, ejuſdemque iter ad Sebaſten, ſive Auguſtam his verbis: *Ibi ſiti ſunt Eliſæus, & Abdias Prophetæ, & quo major inter natos mulierum non fuit, Johannes Baptiſta, ubi multis intremuit conſternata mirabilibus; namque cernebat variis Dæmones rugire cruciatibus, & ante ſepulcra ſanctorum ululare homines more luporum, vocibus latrare canum, fremere leonum, ſibilare ſerpentum, mugire taurorum, alios rotare caput, & poſt tergum terram vertice tangere, ſuſpenſiſque pede feminis veſtes defluere in faciem &c.* Similia ſane, & fortaſſe etiam admirabiliora quod in dies accidant ad ſancti Antonini ſepulcrum, teſtes ſunt Surrentini, omneſque Surrentum adeuntes.

S. Hieron. Oper. tom. 4. p. 2. pag. 666. juxta ordin. PP. Cóg. S. Maur. V. inſuper Baron. tom. 4. ad ann. 362. n. 148.

XVII. Quod ad Surrentinorum in ſanctum Antoninum religionem, & ad ſolennitatem, quam die eidem ſancto Abbati ſacra ſolent quotannis inſtituere, ut tertia innuit lectio, non omiſerimus heic aliquod leviter attexere. Itaque Surrentini omnes, antequam feſtus ſancti Antonini dies

dies illuceſcat, ad novendialia pietatis opera ſeſe exercere conſueverunt, novendialeſque preces in ejus templo inſtituere, quo tota civitas eo tempore, mane præſertim effuſa ruit. Ubi vero XVI. Kal. Martj illuxerit bene mane nobiles Surrentinæ civitatis viri non mediocri pompa argenteum ſancti Antonini ſimulacrum cereis facibus undequaque circumdatum e templo, ubi aſſervatur, in Metropolitanam Eccleſiam deferunt; unde paulo poſt numeroſum ſupplicantium prodit agmen, coactum ex patritiis viris, qui ſplendide ornati bini cum cereis facibus incedunt, uno eorum principio erectum ſacrum geſtante vexillum. Sequuntur eodem ordine piæ ſocietates plures, ſeu Confratriæ varias ſacras indutæ veſtes, exinde multigenus ibi degentium monachorum cœtus; ſuccedit Diœceſis ſacris amictoriis amictus Clerus, & poſtremo cum conſueto Crucis ſigno Metropolitanum Capitulum conſuetis Cappis indutum. Agmen claudit eadem ſancti Abbatis hominum humeris reportata ſtatua ſub magna umbella, cujus contos nobiles ex ordine viri hinc inde ſuſtinent, circumambiuntque cereis luminaribus, præeunt ſciti cantores, qui muſicis inſtrumentis, ac vocibus doricum nomon ſuaviſſime modulantur.

Exploduntur tonitrua bellica hilare reboantia; totuſque pene in ſacram lætitiam effuſus ſequitur populus; atque ita per auguſtiores vias ſerico apparatu, vel exquiſitis ornatas periſtromatis, ſan-

ſancti Abbatis ſignum piiſſime circumfertur uſque ad templum ejus nomini poſitum. Ubi ſelectus alius canentium chorus alternis carminibus Numinis, & ſancti Tutelaris celebrant laudes. Ibidem cum electis canentium, ac ſymphoniæ choris Archiepiſcopus ſolenniſſimo ritu Divinam rem concinit, aſtantibus, inſervientibuſque Canonicis, integroque Eccleſiæ Metropolitanæ Collegio. Supplex adeſt nobilium Ordo, Populuſque omnis qua cives, qua exteri aſtant venerabundi. Eo enim die tanta eſt Surrenti hominum ex aliis civitatibus confluentium frequentia, ut ipſa civitas ſui ipſius, tantæque multitudinis nequidquam capax eſſe videatur. Eo vero in templo celebritas, & in ipſa civitate exterorum multitudo ad octavum uſque diem perſiſtit, atque perdurat.

Finis I. Diſſertationis.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO II.

In Lectiones S.Catelli Stabienſis Epiſcopi ac Patroni.

SECUNDI NOCTURNI.

LECTIO I.

CAtellus Stabiarum Epiſcopus ſummis virtutibus, quibus eſt evectus ad infulas, Eccleſiam ſibi creditam gubernavit. Inter eas effulſit rerum Cœleſtium contemplationis amor; cui, ut liberius inſerviret, divum Antoninum Ordinis ſancti Benedicti monachum jamdudum ſibi familiaritate devinctum proſecutus eſt: cum quo inter vaſtas ſilvarum ſolitudines, ac prærupta montis Gauri juga Deo vacaturus ſeſe quandoque abdidit. Quorum vitam, moreſque nocte concubia Archangelus Michaël utrique apparens comprobavit ipſis indicens excitari ſibi velle Sacellum ea montis in parte, ubi nuper cereum ardentem aſpexerant. Cui quantocius obtemperantes ædiculam ligneam, deinde ſolida fabricæ ſtructura conformarunt, cui ab Archangelo nomen fecerunt. Non multo poſt excitato Stabiis per iniquos viros veræ virtutis

oſores

oſores tumultu; tot eum vexavere calumniis, ut Romam non ſine dedecore, ac vi accitus carceri fuerit mancipatus, cujus incommoda, & ignominiam erecto, hilarique animo, & incomparabili patientia pertulit.

LECTIO II.

SEd non defuit collegæ ſuo Divus Antoninus, nec clienti Archangelus Michaël, quorum ope Pontifici Maximo compertum eſt, planumque factum, Catellum, ut Joſephum, in carcere nulla ſceleris labe detineri. Quapropter idem Summus Pontifex non modo benigne indulſit, ut ad ſuam reverteretur Eccleſiam: ſed etiam honoribus auxit, ornavitque; quumque Catello, quidquid vellet, daturum ſpopondiſſet, nihil aliud petiit, quam tantam plumbi vim, quantam tegendo Archangeli Sacello eſſet ſatis; quod facili negotio obtinuit. Horum conſcius divina revelatione Antoninus obviam ei ad Pompejanum progreſſus, Stabias reducem perduxit, ubi tanta eſt exceptus a bonis omnibus lætitia, quanto mœrore fuerat abſtractus.

Digitized by Google

LECTIO III.

COlumnis marmoreis pariter ſibi a Pontifice donatis cum Icone itidem marmorea templum ſancti Michaëlis Archangeli ædificatum exornavit, & plumbeis laminis contexuit. Heic Catellus afflictare ſeſe, cruciare, macerare perdius, ac pernox, orationibus, ac ſacrificiis intentus, nihil interea paſtoralis ſolicitudinis intermittens; quum datum ſibi vitæ curſum abſolviſſet, in Domino obdormivit. Conſtructum ab eo templum magna vicinorum populorum frequentia veneratur. Catellum vero ipſum inter Tutelares ſanctos primum, ac præcipuum Stabienſes ab hominum memoria cooptarunt; cujus præſentiſſimum auxilium in difficillimis temporibus experti ſunt.

CAPUT I.

De ſcriptoribus vitæ ſancti Catelli.

I. DE S. Catello Stabienſi Patrono omnes quidem ſcriptores vitæ ſancti Antonini Abbatis a nobis in ejus Lectionum commentariis relati, & quamplures hiſtorici noſtrates, ut Cæſar Capacius, Pater Nicolaus Giannettaſius, aliique plurimam mentionem fecerunt. Seorſim vero, quod ſciamus, hujuſce ſancti vitam ediderunt Philippus Ferrarius, Ludovicus Zacconius, Ughellus, & poſtremus omnium Bollandus, qui duplicem

Capac. in Hiſt. Neap. lib. 2. c. 10.
Giannet. Hiſt. Neap. decad. 1. l. 4.
Ferrar. In Catal. Sanct. Ital. ad diē 19. Januar.
Ludov. Zaccon. In Compen. Sanct.
Ughell. tom. 6. Ital. Sacr. ubi de Epiſc. Stabien.
Bollan. tom. 1. ad diem 19. Januar.

plicem eam vulgavit; alteram ſcilicet ex monimentis Stabienſis Eccleſiæ a quodam Beatillo ejuſdem Societatis Jeſu ſacerdote Italice erutam, & ab ipſo Bollando latine poſtea factam; alteram vero, quam ex vita ſancti Antonini Abbatis ab Anonymo auctore exarata, de qua ſupra ſatis, extraxit.

CAPUT II.

De tempore quo vixerit ſanctus Catellus.

I. Qua tempeſtate in vivis fuerit ſanctus Catellus, conſulto in Lectionibus reticetur; omnes enim ſcriptores, quamvis conſentiant coævum quidem, ac ſynchronum ſancto Antonino Abbati fuiſſe, cumque eo familiariſſime verſatum: tamen quo utrique ſeculo claruerint, non omnino conveniunt. Nos vero quæ de ſanctiſſimi Abbatis Antonini ætate in ejus vitæ notis ſtatuimus, eadem prorſus de ſancto Catello cohærenter firmamus. Proindeque cum iis ſentimus, qui referunt ſanctum Catellum apud Sabinianum Romanum Pontificem ſancti Gregorj Magni ſucceſſorem circa annum ſalutis 605., vel, ut alii ferunt, apud Bonifacium III. anno 606. iniquiſſime criminatum fuiſſe, quod, deſerta Epiſcopali cura, in montes diſcederet, & cum paſtoribus verſaretur, atque in eorum caulis ſacrificium faceret: proinde Romam accerſitum a Sabiniano,

Ferrar. In Catal. Sanct. Ital. in S. Catel. die 19. Januarj.

S. Gregorius Magnus obdormivit in Domino 4. Idus Martj. Sabinianus creatur Romanus Pontifex eodem anno Kal. Septembris poſt interregnũ menſiũ quinque, & dierum 18. Sabinianus moritur die 19. Fe-

bruarj ann. 605. Bonifacius III. eligitur die 25. Februarj ann. 606., poſtquam Sedes vacaverat annum integrum & ſex dies. Obiit eodem anno die 12. Novembris; anno vero inſequenti 607. ad Pontificatum evectus fuit ſanctus Bonifacius IV. die 18. Septembris poſt decem menſes, & dies ſex interregni.

vel a Bonifacio III. & carceri, vel Cubiculario cuidam, & Janitori ſuo in cuſtodiam datum fuiſſe, qui poſt mortem Bonifacj III. ſancti Petri ſolium, ut eidem ſanctus Catellus prædixerat, conſcendit, nuncupatus Bonifacius IV., præ vitæ innocentia, clariſſimiſque virtutibus in ſanctorum quoque catalogum cooptatus.

Verum quum breviſſimo temporis ſpatio Romanum Pontificatum Sabinianus, & Bonifacius III. tenuerint, haud facile eſt decernere apud utrum horum inſonti Stabienſi Epiſcopo calumniæ ſtructæ fuerint: quas mirum quanta humilitate, longanimitate, patientique virtute tulerit. Ipſorum etiam tum Abbatis Antonini, cum Antiſtitis Catelli mœrentium animos Archangelus Michaël a moleſtiis interdum levavit, quemadmodum *Regius*, & *Ferrarius* narrant. Donec Divina ope admirandus noſter Antoninus dormienti Pontifici Maximo, & ſancti Catelli oblito ſeſe videndum præbuit, de liberatione Stabienſis Antiſtitis illum monens, circa annum 607. paulo poſt quam in Solio Petri ſedere cœperat. Atque ita poſt exhauſta incommoda, toleratasque injurias, ac patefactam innocentiam S. Catellus in libertatem aſſertus fuit, & plurimis donatus largitionibus honorifice ſuæ Eccleſiæ reſtitutus.

Ferrar. ibidem.

II. Obiter heic non præteribimus incompertum nobis alibi, quod traditur in vita S. Catelli, S. ſcilicet Bonifacium IV. miniſtraſſe a Cubiculo Bonifacio III. Ex Pontificali enim Romano, aliiſ-

Anaſtaſ. Biblioth. in Bonifacio IV. Platina, Baronius &c.

aliiſque ſancti Bonifacj IV. biographis illud tantum deprehendimus, natum fuiſſe in civitate Valeria Marſorum præcipua e patre Johanne Medico, Pontificatum iniviſſe anno 607., in quo ſeptem annos duxit. Duo ex præclaris ejus operibus memoria potiſſimum celebrantur, Monachorum præcipue Anglorum tuitio, pro quibus Concilium habuit, de quo ſupra meminimus: & Panthei conſecratio; de ſervitio præſtito Bonifacio III. fides ſit apud rei ſcriptores. Cetera cum iis omnibus, quæ fuſius de ſancto Antonino diximus, cohærent. Quædam peculiaria, quæ de ſancto Catello objiciuntur, heic nobis dilucidanda ſuperſunt.

CAPUT III.

Circa tempus, quo vixit ſanctus Catellus, enodantur Ratiocinia ex Cenotaphio Æquis invento.

I. IN primis obtendunt Caracciolus, aliique oppoſitæ ſententiæ circa tempus, quo floruit ſanctus Catellus, ſtudioſi commemoratum alias a nobis Epitaphium, quod dicunt ex Cæſare Capacio Æquis extare lapidi inciſum hujuſmodi:

IN

IN HOC TUMULO REQUIESCIT
V. B. LAURENTIUS EPISCOPUS
SANCTÆ ECCLESIÆ
CIVITATIS STABIEN.
QUI VIXIT ANN.
PLUS MINUS XXXX.
SEDIT IN EPISCOPATU XII.
DEPOSITUS DIE IIII.
KAL. MARTIARUM
INDICTIONE XV.
IMPERANTE HERACLIO AUG.
ANNO SECUNDO.

Ex quo quidem cenotaphio quum clariſſime conſtet obiiſſe V. B. Laurentium ſecundo Heraclj Imperatoris anno, qui fuit Æræ Chriſtianæ DCXII. (Heraclius enim anno 610. imperj initium fecit) eumque Stabienſem Eccleſiam tenuiſſe duodecim annos, infert Caracciolus Epiſcopatum ſuum iniviſſe V. B. Laurentium ſub initium anni 601., ſancto Gregorio Magno Summo Pontifice, eique inde præfuiſſe ſub Sabiniano, Bonifacio III., & ſancto Bonifacio IV., ſub cujus Pontificatu ipſe V. B. Laurentius videtur ad Cœlos abiiſſe, eodem ſcilicet tempore, quo nos ſanctum Catellum potius Epiſcopum Stabienſem facimus.

II. Huic ſane difficultati, ne antiqua turbetur Eccleſiarum tam Stabienſis, quam Surrentinæ traditio, ac ne ea, quæ a tot memoratis ſcriptoribus congrue relata ſunt, quæque a nobis

bis invicte alias fuerunt probata, una nullius momenti inſcriptione protinus excidant, in Notis ad lectiones ſancti Antonini pluribus occurrere ſtuduimus. Heic vero, ut promiſſam fidem liberemus, inſuper primo ſubnectimus, non adeo veroſimile nobis videri, quod Epiſcopi Stabienſis Tumulus non in ſua Diœceſi, ſed Æquis antiquitus extructus fuerit, intra confinia ſcilicet Surrentinæ Metropoleos, cujus juriſdictionis erat illis temporibus Æqua, quum nondum ſuum Epiſcopum haberet; vel quod inſcriptus ille lapis illuc, Æquas ſcilicet translatus fuerit a Stabienſi civitate avulſus, quum nulla ſuppetat hujus tranſlationis, vel forte ſubreptionis cauſſa.

III. Secundo, ſi inſcriptus hic lapis revera Æquis olim ſervatus ſit (quod nobis jure non probatur, ut ſatis alibi invictis conjecturis oſtendimus) quis non videt hanc eamdem inſcriptionem verbis illis: *Vixit annos plus minus XXXX.* infirmam quodammodo ſibi ipſi fidem comparare? Ex quo nos merito inferimus hujus inſcriptionis auctorem non modo neſciviſſe, ſed ne expiſcari quidem potuiſſe exactum annorum numerum, quibus V. B. Laurentius hic vixerit; aliter non ita perplexe fuiſſet locutus; adeoque prædictam inſcriptionem non quidem in ipſius Laurentj obitu, vel paulo poſt coævum aliquem exaraſſe, ſed alium quemdam recentiorem poſterioribus ſeculis. Quis enim ipſius Laurentj æqualis tam dubius annorum ejus extitiſſet? aut quiſnam, ſi ea æta-

ætate vixiſſet, monimentum Laurentj poſterorum memoriæ inſculturus non diligenter inveſtigaſſet ſaltem certos vitæ illius annos, quod non adeo difficile fuiſſet, ne quid minus firmum poſteritati mandaret?

IV. Poſtremo ſi aliquantæ eſſet fidei, atque auctoritatis inſcriptus hic lapis, poſſet aliquis cum noſtra etiam ſententia eum conciliare, ſi diceret in civitatibus Græco-Romanis aliquid Romani moris circa nomina imponenda ſeculo ſeptimo uſurpatum fuiſſe. Norunt præcipue juris conſulti præclariores Romanos quatuor nominibus donatos, ut diſertiſſime Chariſius Grammaticus: *Propria nomina in quatuor ſpecies dividuntur, Prænomen, Nomen, Cognomen, & Agnomen*, ut Publius, Cornelius, Scipio, Africanus. *Prænomen eſt, quod nomini præponitur, ut Publius. Nomen, quod familiæ originem declarat, ut Cornelius. Cognomen, quod nomini ſuo injungitur, ut Scipio. Agnomen, quod extrinſecus adjici ſolet., ut Africanus*. Prænomina feminis octavo a nativitatis die, maſculis nono imponere Romani conſueverunt, ut Chriſtifideles in baptiſmate.

Gordian. L. *Si in nomina* C. De Teſtament.

Temporis lapſu extra Urbem illuſtriores aliquot viros quatuor præfata nomina retinuiſſe, & adhuc retinere fortaſſe dicemus in ſecunda parte, ubi de Roberto Surrentino Capuæ Principe. Quare Johannes II. Papa dicitur cognomento Mercuris in Pontificali Romano, ut notat Binius; & ſanctus Johannes III. Catellinus apud Cabaſſutium. Tem-

Juſtin. Inſtit. lib. 2. tit. de Legat. §. *Si quidem* 29.

V. Cujac. tom. 7. ad Inſt. §. *Is, cui* de Legat. 2. & tom. 9. ad tit. Cod. *Qui accuſare non poſſunt*.

V. Minſing. ad cit. §. 29. Inſtit.

Temporibus vero Nortmannorum ſolum Prænomen, & patriam plerumque relictam; aliquando Agnomen, ut *Robertus Viſcardus*. Itaque potuit fortaſſe Catellus nomen fuiſſe, Prænomen vero Laurentius. Quod non abludit ab iis, quæ in diſſertatione ad Lectiones ſancti Antonini diximus; ibi enim cum Caracciolo, aliiſque innuimus ſanctum Catellum ſaltem e gente Catellorum traxiſſe originem, ideoque gentilem fuiſſe ſancti Antonini. Neque hæc monimentis Eccleſiæ Stabienſis, quæ tradunt ex *Coppula* gente natum ſanctum Catellum, quidquam detrahunt. Hæc enim gens Catellorum in tanta annorum longinquitate copioſius aucta, atque in alias diviſa familias potuit recens hoc ſibi *Coppulæ* Nomen, vel, ut modo dicitur vulgò, Cognomen aſciſcere. Quod quamplurimis, ne dicam pene omnibus vetuſtioribus familiis contigiſſe norunt antiquitatum ſtudioſi. Cui rei inſuper accedit, quod hoc *Coppulæ* Nomen non tantæ quidem vetuſtatis, neque temporum ſancti Catelli, ut ex ipſo nomine liquet, eſſe videatur.

V. Noſtræ huic, quæcumque ſit, interpretationi nonnihil ſtabilitatis tribuunt literæ illæ V. B. in illo inciſo lapide *Laurentio* præpoſitæ. Eæ enim juxta ſenſum Urſati *Virum Bonum* ſignificant, vel, ut nobis in rebus Eccleſiaſticis aptius interpretari libet, *Virum Beatum* exprimunt. Ea ſiquidem Beatitatis opinio, præterquam de ſancto Catello, de aliis Stabienſibus Epiſcopis minime circumfertur.

Sartor. Urſat. Patavin. Eques In Coment. De Not. Romanor. lit. V.

Præterea his omnibus accedit, quod ſancti Catelli Prænomen nemini antiquorum mortalium impoſitum eſſe reperimus. Novimus equidem Catulam gentem Romæ olim extitiſſe: unde genus traxerunt Quintus Catulus, aliique; quacum ſimilitudinem habere Catella gens, vel eadem fortaſſe eſſe, vel ſaltem ab ea derivaſſe videtur. Legimus etiam Inſcriptionem marmori inciſam, & a Caracciolo relatam, quam Gruterus habet hujuſmodi: *L. Catellius L. L. Barbarus cum aliis viarum curator*. Verum cuique attendenti patet hæc nomina potius fuiſſe, quæ gentem exprimerent, &, ut nos vulgo dicimus, *Caſata*, non autem Prænomen, quod proprium, & peculiare cujuſque hominis eſſe conſuevit; Catulus enim ex gente ſua appellabatur Quintus Catulus, ut Lucius dicebatur etiam e ſua gente Catellius. Id literæ Q. ante Catulum, & L. ante Catellium innuunt. Et quamvis cujuſdam Catelli bis meminerit ſanctus Gregorius in epiſtolis: tamen nomen ipſius, ut nunc ii etiam nominari ſolent, qui ſatis cogniti ſunt, non autem Prænomen a ſancto Gregorio indicatum fuiſſe putamus, quum neminem alium eo Prænomine, neque ab alio, quam a ſancto Gregorio antiquitus appellatum reperiamus. Præterea, ſi antiqua evolvimus, tantum ſancti Gregorj tempore hoc nomen auditum inveniemus.

Caracciol. in Notat. n.8.

Gruter. pag. 150. 4.

V. Græv. In Theſaur. Antiq. Roman. tom. 6. ubi de Nominib. Roman.

S. Greg. juxta ordin. PP. Congreg.S.Maur. l. 11. indict. 4. epiſt.48. & lib.7. indict.15. Epiſt. 23. ad Fortunatum Epiſcopum, & Anthemium per Campaniam defenſorem.

VI. Itaque non adeo abſurdum videretur, ſi quis aſtrueret hanc Catelli vocem nomen olim ſancti Catelli fuiſſe, quod cotidiana appellatione magis

magis uſitatum in ejus Prænomen inde verſum ſit apud eos, qui ſuum fortaſſe *Laurentj* Prænomen ignorabant. Nec quidquam obſtat, quod præfatæ Inſcriptionis auctor (ſi unquam extitit) Laurentium Prænomine eum tantum nominarit, non adjecto uſitatiori fortaſſe Catelli nomine; mos enim invaluit a primoribus Eccleſiæ temporibus, qui adhuc perdurat, ut Epiſcopi, aliique præcipuæ dignitatis Eccleſiaſticæ viri Prænomine tantum ſuo, addito tamen propriæ Eccleſiæ titulo ſe ſubſcriberent, ut videre eſt in antiquis Conciliis, & præcipue in Synodo a ſancto Gregorio Magno coacta; quem inde morem plerumque ſecuti ſunt qui ſepulcrales inſcriptiones condiderunt, ut ex earum antiquioribus patet. Et noſtra etiam memoria quamvis Epiſcopi, aliique dignitatibus præditi Nomine, vulgo *Caſata*, vel Eccleſiæ eorum titulo ſoleant in cotidiana appellatione diſtingui: tamen ubi ipſi ſe ſubſcribunt, Prænomen, ſuæque Eccleſiæ titulum in primis præſeferre conſueſcunt; quamvis Cardinales ſuæ gentis Nomen non adeo multis ab hinc annis ſuperaddere cœperint.

V. tom. 2. Oper. S. Gregor. Magn. juxta ordin. PP. S. Maur. in fin.

CAPUT IV.

Diluitur excitata a Ferrario difficultas.

I. NEgotium inſuper faceſſere videtur illa Philippi Ferrarj die 19. Januarj poſt vitam ſancti Catelli adjecta notula hujuſmodi: *Vita per prædictos auctores ſcripta in nonnullis correctione indiget, præſertim in eo, quod ſanctum Catellum a ſancto Bonifacio Papa ſuæ ſedi reſtitutum inquiunt, & tandem ad eamdem ſolitudinem rediiſſe. Neque enim probabile eſt ſanctum Pontificem adverſus ſacros Canones Epiſcopum reſtituiſſe, qui, relicta Eccleſia, in ſolitudine degeret, niſi quis dicat ſanctum Catellum e carcere eductum optionem ad Epiſcopatum redeundi, vel, eo dimiſſo, ſolitudinem repetendi habuiſſe*. Verum hæc difficultas rectius nobis judicibus extricari poteſt, atque omnino exufflari ex quibuſdam actis vitæ ſancti Catelli apud Bollandum, alioſque; in iis enim habetur impoſtorem quemdam Clericum ſacra paramenta ad ſanctum Epiſcopum in aſperum montem deferendi pertæſum, teterrimas in ipſum molitum calumnias, eumque apud Stabienſes Oppidanos Idololatriæ per ſummam impietatem inſimulaſſe, quod ſcilicet in lucis, ac inter remotiora, atque inacceſſa ferarum ſpelæa Diis ſacra faceret; eamque accuſationem potius, quam deſerti Epiſcopatus crimen ad Romanum Pontificem fuiſſe dela-

delatam. Ad quam nos ſententiam tamquam veroſimiliorem lubentius accedimus.

II. Hæc ſiquidem gravior cauſſa fuiſſet, & credibilius ea, quæ animum Pontificis ad imperandum, ut ſanctus Epiſcopus Romam vinctus pertraheretur, potuiſſet impellere; qui, ut eum omnis criminis expertem cognovit, tamquam innocentem in ſuam ſedem reſtituit. Quod ſi non jam Idololatriæ, ſed deſertæ potius Epiſcopalis curæ apud Summum Pontificem a credulo, mobilique vulgo criminatum velis ſanctum Catellum: inde tamquam innocentem abſolutum fuiſſe putandum eſt. Noverat enim temporarium ſeceſſum non eſſe a Canonibus improbatum, neque omnino Epiſcopis interdicendum, quum *Contemplativam* ſimul, & *Activam*, ut dicunt, vitam ſtudent componere. In Concilio ſiquidem Illiberitano ante ſancti Catelli ætatem coacto, & in generali Sardicenſi, & perinde in aliis etiam poſterioribus, ut præſertim Francofordienſi anno 794. interdum ab Eccleſia Cathedrali Epiſcopo juſta de cauſſa abeſſe permiſſum fuit; dummodo hoſpitiolum non longe ab ipſa Cathedrali Eccleſia habuiſſet, ut definitum antea fuerat in Synodo Carthaginenſi anno 393. canone 14. relato a Gratiano, præcipue ſi intra Diœceſeos ſuæ confinia mora fuiſſet trahenda, ut ſanctus Catellus conſueverat in Gaurum montem contemplationis gratia concedens. Quod profecto eo magis ſancto Catello licebat, quippe qui, ut tradit auctor ſæpe

Conc. Illiberit. can. 20.

Sardicen. can. 14.

Francoford. can. 41.

Synod. Carthag. can. 14. Can. Epiſcopus 5. Hoſpitiolum diſt. 21.

ſæpe laudatus Anonymus, in ſuum collegam, ſive coadjutorem aſciverat ſanctum Antoninum, qui ad inviſendam Stabienſem Eccleſiam e Gauro monte ſolebat ſæpe numero deſcendere; quum non adeo gravis ætate eſſet, ut viæ incommodis, aſperitateque fatigaretur. Ex quo facile quiſque cognoſcet ſanctum Catellum neque per ſe, neque per coadjutorem Eccleſiæ ſuæ unquam defuiſſe.

III. Si quis vero inficietur eam Gauri montis partem ad Stabienſem Diœceſim id temporis ſpectaſſe, ſed ad Surrentinam potius, teſte Cæſare Capacio, qui refert ædiculam ſancti Michaëlis Archangeli a ſanctis Antonino, & Catello in Gauro monte conſtructam poſterioribus ſancto Catello ſeculis fuiſſe a Barbato, atque Urſo Surrentinis Archiepiſcopis Stabienſium juriſdictioni addictam, quod nobis etiam probatur: nunquam tamen inficias ire potuerit, quod brevis illa ſancti Catelli ſeceſſio ad ſuæ ſaltem Diœceſis confinia non eſſet a ſacris canonibus improbata.

Cæſ. Capac. In Hiſt.Neap. lib.2. cap. 12.

CAPUT V.

Antevertitur difficultas ex antiquo Ordine Epiſcopalium judiciorum.

I. PRæter difficultatem a Ferrario excitatam, poſſet a ſcrupuloſioribus Criticis altera primo intuitu validior promoveri, quod ſcilicet haud vero-

veroſimile videatur, ſanctum Catellum a Sabiniano licet aliquantulum aſpero, atque immiſericordi Pontifice, ſi mores ejus ſpectes, ut habet Anaſtaſius Bibliothecarius: vel a Bonifacio III. mitiori quidem, ac minus præcipiti in carceres fuiſſe detruſum contra antiquas, & ſancti Catelli ævo inconcuſſas Eccleſiæ regulas, ut cauſſæ, accuſationes, & crimina Epiſcoporum prius diſcuterentur apud Metropolitanum, aut ejuſdem Synodum provincialem (quam ſingulis ſemeſtribus, vel ſaltem poſtea ſingulis annis cogere tenebantur Metropolitæ) in qua accuſato Epiſcopo, & judicio facto, ſi ſententia non arridebat, ſubinde provocatio erat ad Patriarcham, ejuſque Synodum nationalem. Canones hujuſmodi hierarchicorum judiciorum habes apud Gratianum, & Antonium Auguſtinum; ubi tamen nonnulli ex adulterino, aut dubio fonte, ex Iſidori ſcilicet Mercatoris penu derivaſſe videntur. Sed nullum prorſus dubium relinquunt Canones IV. V. & VII. generalis Concilj Sardicenſis anni 347. & canones XIV., & XV. Synodi Antiochenæ anni 341., etſi ab Catholicis, & Arianis conditi; in ea ſiquidem adverſus ſanctum Athanaſium conclamatum fuit, ſed Canones tamen ab omnibus recepti. Quæ Eccleſiæ diſciplina inconcuſſa perſeveraſſe videtur uſque ad tempora Adriani II. Papæ, & Caroli Calvi Francorum Regis, quando maximas turbas in Gallia excitavit judicium Hincmari Remenſis Metropolitæ adverſus Hincmarum

Anaſt. Biblioth. In vita Sabinian. & Boniſac. III.

C. Pervenit. 6. diſt. 18. ex Concil. general. Chalcedonen. ann. 451.
C. Quoniam 7. ibidem ex ſeptima Synodo œcumenica ann. 787. aliique Can. apud Gratian. ibidem & apud Ant. Aug. in epitom. Can. lib. 3. tit. 10. 11. & 12.

V. Richer. etſi refractarium recte de illis differentem.

marum Laodicenum ſuffraganeum ſuum, & ex ſorore nepotem; pro quo negotio quatuor coactæ Synodi Remenſis ſcilicet, Vormatienſis anno 869. Aſſiniacenſis anno 870., & Duziacenſis anno 871. in quibus omnibus quum negotia ſua male ſe habere Laodicenus animadverteret, appellationem ad ſanctam Sedem tentavit. Recepta a Summo Pontifice fuit provocatio, & literæ datæ ad Patres Duziacenſes, quibus juſſum, ut a judicio temperarent. Verum hi acriter contendebant prius in Synodo judicium abſolvendum, ſubinde ad ſanctam Sedem provocandum. Pars vero appellantis cauſſabatur, ſemel admiſſa provocatione a ſancta Sede, ceteris judicibus abſtinendum. Conciliorum Canones, ac ſententiæ Summorum Pontificum hinc inde relatæ; & licet cauſſæ Laodicenſis propenſiores Catholici, & ſanctæ Sedi, ut par erat, obſequentiores: Remenſi tamen adhærent hæretici, vel minus Apoſtolicæ Sedi addicti.

In Tom. Concil. ult. edition. t. 10. pag. 1033. 1049. & 1051.

V. Flodoard. Hiſt. Eccl. Rem. lib. 3. cap. 4.
Id ex Annal. Bartinianis refert Natal. Alex. in Hiſt. Eccl. Seculi 9. Diſſert. 8.
Cave de Script. Eccl. in Hincmaro Laodiceno.

Hæc autem perturbatio adeo invaluit, ut ſequioribus inde ſeculis Epiſcopalium judiciorum ordinem labefactatum eſſe nomine Eccleſiarum conqueſtus fuerit ſanctus Bernardus ſcribens anno 1132. *Vel nullæ, vel paucæ ſunt, quæ plagam iſtam non doleant, aut non timeant. Quæris quam? ſubtrahuntur Abbates* Epiſcopis, *Epiſcopi Archiepiſcopis, Archiepiſcopi Patriarchis, ſeu Primatibus*. Et ſane juxta hujus ſancti Abbatis ſententiam tunc maxime exultare videbantur Monachi quidam,

S. Bernard. lib. 3. de Conſider. ad Eugen.

dam, quum ſe exemtos juriſdictione Epiſcopi jactitarent: & Epiſcopi aliqui, quum Archiepiſcoporum auctoritati ſe ſubtraherent, vel illam eluderent. *Ab initio autem non fuit ſic*.

II. Quocirca quum a nobis luculenter probatum ſit Surrentinum Præſulem uſque a principio Archiepiſcopalem poteſtatem exercuiſſe, apud eum prius, vel apud provinciale Concilium inſimulandus fuiſſet ſanctus Catellus, deinde apud Romanum Pontificem, tamquam Patriarcham Occidentis, vel tamquam OEcumenicum Paſtorem. Quam accuſationis methodum nullibi ſervatam legimus in cauſſa S. Catelli.

III. Huic tamen ratiocinio perquam facile occurrent docti Canoniſtæ, quos non latet ab antiquiſſimis uſque temporibus majores quaſdam cauſſas, atque Eccleſiaſtica negotia fuiſſe Romanæ Sedi reſervata, ut innoteſceret, eam Primam, Caput, & Principem cunctarum Eccleſiarum eſſe, Centrumque Chriſtianæ unitatis; quare Innocentius III. ad Antiochenum Patriarcham ſcripſit: *Quum ex illo generali privilegio, quod beato Petro, & per eum Eccleſiæ Romanæ Dominus noſter indulſit, canonica poſtmodum manaverint inſtituta continentia majores Eccleſiæ cauſſas eſſe ad Sedem Apoſtolicam perferendas &c.* Idipſum edicitur in Concilio Lateranenſi IV. ſub eodem Innocentio canone 35. ubi appellationes recipiendi majoribus judicibus tribuitur facultas: *Salvis conſtitutionibus de majoribus cauſſis perferendis*.

Can. 1. de Tranſlat. Epiſcop. & Can. Majores. De Baptiſm. ubi *majores Eccleſiæ cauſſas, præſertim articulos fidei contingentes ad Petri Sedem referendas intelligit, qui quũ quærenti Domino, quem diſcipuli dicerent ipſum eſſe, reſpõdiſſe notavit: Tu es filius Dei vivi &c.*

Cap. Ut Debitus de Appellat.

Quæ autem ſint hæ majores cauſſæ, vel quas huc uſque ſibi Romana Sedes reſervaverit, fuſe profequitur Johannes Dadinus Alteſerra in *Vindiciis Eccleſiaſticæ Juriſdictionis adverſus Carolum Feuretum* omnis Eccleſiaſticæ poteſtatis everſorem, & irriſorem. Illud tamen in Alteſerra, Gonzalez, aliiſque doctis Canoniſtis animadvertendum, plures ab ipſis allegari canones ex Gratiani collectione, qui ad firmandam antiquitatem majorum cauſſarum Apoſtolicæ Sedi reſervatarum inepti videntur neotericis criticis; utpote ex Iſidori Mercatoris forulis extracti, qui nullam apud hos fidem nanciſcuntur; ut ſupra dictum eſt libro 1. Cujuſmodi eſt canon ex epiſtola ſancti Sixti I. ſcripta ad univerſas Eccleſias; & ex epiſtola prima ſancti Felicis I., & ex epiſtolis quibuſdam ſancti Julj I., Pelagj II., aliorumque, de quarum fide egimus libro 3. *Supremæ Romani Pontificis Poteſtatis in Eccleſia vindicatæ*, quem typis cudere non adhuc nobis commoditas oblata eſt. Heic tamen non omiſerimus dicere, immerito prorſus dubitari de canone ſancti Felicis, etſi fas eſſet dubitare de ejus epiſtola, quum in ejus vita ſcripta, ut fertur, a ſancto Damaſo, legamus Felicem conſtituiſſe, ut *Quicumque Epiſcopus accuſatus fuerit ad Sedem Romanam Apoſtolicam, rediens ad Parochiam ſuam non recipiatur niſi cum Formatis ſalutationis ad plebem*. Ex qua conſtitutione liquet Romanum Pontificem poteſtatem ſibi reſervaſſe recipiendi accuſationes Epiſcoporum, condemnan-

Can. *Si quis veſtrum* 2. q. 6.

Can. *Ideo huic* ibidem.

In lib. Pontifical. Roman.

Diœceſ. ſæpe dictæ Parochiæ. Quæ formatæ epiſtolæ, ſive communicationis V. Cabaſſutiũ, alioſque paſſim.

demnandi, vel abſolvendi pro merito cauſſæ. Idem aperte colligitur ex prima epiſtola ſancti Julj Papæ relata in Apologia ſancti Athanasj, de cujus ſinceritate, & fide nemo ſanæ mentis dubitat, ex qua elicitur veritas Canonis *Ideo huic* 2. *q.* 6.

At vero quis unquam in dubium revocaverit epiſtolam ſancti Gelasj I. ad Epiſcopos Dardaniæ ſecundam, in qua abunde demonſtrat Acacium unius ſanctæ Sedis judicio rite damnatum fuiſſe, plurimis exemplis firmans ab una eadem ſancta Sede ſine Conciliis plures hæreſes proſcriptas, plures antea inique damnatos Epiſcopos fuiſſe abſolutos, eoſdemque ad ſuas ſedes reſtitutos; unde patet hæreſis cauſſam unam eſſe e majoribus ſanctæ Romanæ Sedi reſervatis. Evectus vero fuit Gelaſius ad Thronum Petri anno 492., in quo ſedit annos quatuor menſes octo, dies decem, & octo. Unde ſine dubio eſt, ante tempora ſancti Catelli viguiſſe diſciplinam, ut reciperentur, etiamſi nullum aliud præceſſerat judicium, accuſationes Epiſcoporum, præcipue quæ pertinebant ad Religionem, cujus generis fuiſſe accuſationem ſancti Catelli jam ſuperiori capite diximus.

In tom. 5. Concil. ult. edit. pag. 324.

Quod ex Cod. Theodoſian. quoque cit. lib. 3.

Ex libro Pontifical.

V. Emmanuel a Schelſtrat. tom. 2. Antiq. illuſtr. diſſert. 13. cap. 4. n. 5.

IV. Facilius fortaſſe quiſpiam difficultatem dilui poſſe putabit, ſi ſtatuamus Romanam provinciam id temporis non coarctatam fuiſſe inter *Capuanam Provinciam*, & *Piſanam*, ut ætate Innocentj III. ſed ampliora habuiſſe confinia, ut graviſſimi putant auctores; quapropter apud Ro-

Cap. *Sua nobis de Offic. Vicar.*

manam Sedem fuiſſe criminis poſtulatum Catellum aſſeret, non tamquam ad OEcumenicam, ſed tamquam ad Archiepiſcopalem, cujus provincia juxta doctiſſimum Carolum a S. Paulo, ne dum ultra Campaniam, ſed ultra Lucaniam extendebatur. At vero non cohærent hæc cum iis, quæ probavimus de Archiepiſcopatu Surrentino, cujus aperta veſtigia uſque ad annum 1110. oſtendimus. Proinde putamus cauſſam ſancti Catelli delatam ad ſanctam Sedem Romanam tamquam unam ex majoribus.

Carol. a ſanct. Paul. in Geograph. ſacr. Ital. lib. 2. tit. 1. n. 9.

Dacher. In vit. S. Antonin.

Emmanuel. a Schelſtrat. tom. 2. Antiq. illuſtr. diſſert. 4. cap. 5., & diſſer. 6. cap. 1.

Jacob. Sirmond. & alii.

V. Sed urgebit quiſpiam, quod in cauſſa adeo gravi non fuiſſet prætereundum Concilium: eo magis, quod ſub hæc tempora, anno ſcilicet 601., ſanctus Gregorius Magnus Concilium Romæ coëgerit, ut damnaret Andream quemdam monachum impoſtorem, qui ipſius ſancti Gregorj epiſtolas, ac ſermones temere vitiaverat, gravibuſque erroribus, mendiſque paſſim conſpurcaverat. Non igitur credibile eſt Sabinianum, aut Bonifacium III. Pontifices ſine Concilj auctoritate voluiſſe Epiſcopum Stabienſem carceribus mancipare. Et revera nullum a Sabiniano coactum Concilium legimus. Et quamvis ab hoc Romano Pontifice Synodum habitam fuiſſe pro rebus Anglicis tradat Natalis Alexander, idque ex Anaſtaſio Bibliothecario didiciſſe fateatur: tamen in ipſo Anaſtaſio nihil tale reperitur. Refertur ſane apud eumdem Anaſtaſium Bonifacium III. anno 606. Synodum convocaſſe, ſed tantum ad impro-

V. epiſt. 69. S. Gregor. ad Euſebium Epiſcopum Theſſaliæ lib. 9. Indiction. 4.

Apud Anaſt. Biblioth. in Boniſ. III.

V. Baron. ad ann. 606. Biniũ, Labb. Bail. T. 2. Summ. Concil. alioſque.

improbandam electionem, ſive mavis, conſilium, & tractatum de eligendo viventis adhuc Epiſcopi ſucceſſore. De aliqua vero Synodo contra ſanctum Catellum neque apud alios ſcriptores, neque apud ipſius ſancti Catelli Biographos verbum unquam reperies.

Verum hæc etiam objectio nullo negotio dilui poteſt. Accuſationes enim Epiſcoporum, præcipue quæ depoſitionem involverent, uti erant impoſturæ, calumniæque adverſus ſanctum Catellum excogitatæ, utpote cauſſæ majóres a Romana Sede nedum per appellationem, ſed etiam ſine hac, & ſine Concilio agi, ac terminari potuiſſent, ut ex dictis liquet. Quibus addamus verba ſancti Julj Papæ in commemorata epiſtola apud ſanctum Athanaſium, quam genuinam eſſe nemo inficiatur: *Quapropter ſi iſthic hujuſmodi ſuſpicio in Epiſcopum concepta fuerat, id huc ad noſtram Eccleſiam referri oportuit.*

S. Jul. epiſt. ſcripta Dario, Folcillo, Narciſſo apud S.Athan. In Apol. ad Imper. Conſtantium pag. 953. edit. Colon. ann.1686.

VI. Quod autem ſanctus Gregorius Concilium coëgerit ad damnandum Andream Monachum ſuorum operum corruptorem, id non neceſſitate feciſſe ſanctum Pontificem arbitramur; ſed fortaſſe, ut in cauſſa ſua cautius, moderatiuſque procederet, alienumque eſſe doceret ab officio Judicis Chriſtiani propriam ulciſci injuriam. Ceterum idem ſanctus Gregorius ſine Concilio electum Epiſcopum Surrentinum improbavit; quæ quidem improbatio Synodi potius auctoritate facienda fuiſſe videbatur, ut aliquando factitatum eſt,

S. Greg. Magn. l.8.epiſt.18.ad Anthem. Subd.

Petr. de Marc. In Concord. Sacerd., & Imper. lib. 6. cap. 8. n.3. & V. Alteſerr. In Vindic. Eccleſ. Iuriſd. p.2. cap.6.

eſt, teſte Petro de Marca, qui id Gallicanis ſequentium licet ſeculorum exemplis exteriſque comprobat.

His accedit ſumma hiſtoriarum obſcuritas illius tenebricoſæ, atque adeo a nobis diſſitæ tempeſtatis, in qua quæ accidebant, non ita exacte, neque omnia literis tradebantur, & quæ fuerunt annotata, non omnino integra temporum injuria ad nos pervenerunt.

Lib.2. de ſuprema in Eccl. Rom. Pontif. Poteſt. ubi plura contra Petrum de Marca in Concord. lib.5. cap. 2. pro Card. Perronio.

Caſiod. variarum lib.1. epiſt.9.

VII. Præterea non ſtatim ac in judicium apud Metropolitam, Patriarcham, aut Romanum Pontificem advocabatur Epiſcopus, omni prorſus abjecta mora Concilium cogebatur, ea præſertim tempeſtate, qua ſine apertiſſimis probationibus vix ulla fides illius delatoribus tribuebatur, circa quod jus Eccleſiaſticæ diſciplinæ plura alias congeſſi. Heic ſatis ſit unam commemoraſſe Theodorici Gothorum Regis auctoritatem ab ea epiſtola deſumtam, qua ad Euſtorgium Epiſcopum Mediolanenſem pro Epiſcopo Auguſtanæ civitatis ſcribit: *Nihil enim in tali honore*, ſcilicet Epiſcopali, *temeraria cogitatione præſumendum eſt: ubi ſi propoſito creditur, etiam tacitus ab exceſſibus excuſatur: manifeſta proinde crimina in talibus vix capiunt fidem*. Eapropter Auguſtani adverſarios, quod Clerici eſſent, Mediolanenſi Epiſcopo damnandos, ac puniendos miſit. Igitur priuſquam ſtatus cauſſæ ſancti Catelli Epiſcoporum judicio ſiſteretur, de fama, & conditione accuſatorum diligens perquiſitio facienda fuit; in qua quum calu-

calumniantium improbitas, & aſtus, immo ſumma impietas divinitus quoque detecta fuiſſet, & delati innocentia & præſtantiſſima animi virtus eluxiſſet, jure merito de Concilio cogendo nihil cogitatum a Summo Pontifice, ſed tantum de remittendo cum præmiis, & donariis ad priſtinam Eccleſiam optimo Paſtore deliberatum. Atque hæc de ſancto Catello ſufficiant.

Finis II. Diſſertationis.

Digitized by Google

DISSERTATIO III.

In Lectiones ſancti Baculi Surrentini Epiſcopi, ac Patroni.

SECUNDI NOCTURNI.

LECTIO I.

BAculus ex nobiliſſima Brancatiorum familia Neapoli natus ad generis claritatem ſanctitatis ſplendorem adjunxit. Adoleſcentiam ad omnia humanitatis, & pietatis ſtudia exercuit, morumque ſuavitate, & innocentia æquales ſuos eo uſque antecelluit, ut jam inde conjecturam ſumerent prudentiores, quantum tum ille futurus eſſet Eccleſiæ lumen. Nec longe eos a vero abiiſſe eventus docuit; nam brevi tanta in eo integritas Divinæ Sapientiæ conjuncta ſtudiis eluxit, ut ejus fama nec domeſticis parietibus, nec urbis moenibus contineri poſſet; quin in circumjacentes egreſſa civitates variis populis de illo in Paſtorem ſibi deligendo cogitationem injiceret. Hos inter feliciores Surrentini fuerunt, quippe quibus ex voto res contigit.

LECTIO II.

SUrrentinæ igitur Eccleſiæ præpoſitus Baculus caſtitatem, patientiam, humilitatem, virtutes denique omnes graviter illas quidem prædicationis verbo ſuorum animis inſinuare inſtituit; ſed multo id magis efficiebat vitæ exemplo ad exactiſſimam ſanctitatis normam expreſſæ, & conformatæ. Inſuper cum in cetera vita, quam ſanctiſſime clauſit, tum poſt mortem variorum miraculorum gloria enituit, præſertim fugandorum Dæmonum virtute: quorum ſpectris aliqua urbis loca, quæ olim Idolorum fuerant ſacrilegiis dedicata, ſancti Baculi pia apud Deum interceſſione repurgata, teſtantur antiqua Surrentinæ Eccleſiæ monimenta.

LECTIO III.

EJus cadaver, ut tutiſſimum fortaſſe contra hoſtes propugnaculum ſibi pararent, primo in ſuæ urbis mœnibus Surrentini condiderunt; deinde in templum ab Idolis purgatum, & jam antea ſancti Felicis Nolani Epiſcopi nomine inſignitum, potioris venerationis ergo tranſtulerunt. Is Surrentinorum precibus invocatus variis eorum temporibus præſto eſſe viſus eſt; & præſertim quum Saracenis Crateris oras infeſtantibus adeo minaci in eos vultu cum aliis quatuor ſanctis Surrentinæ civitatis Tutelaribus videndum ſe

præbuit, ut Barbarorum irruentium impetus feliciter everterit. Ejus quoque ſepulcrum inſignibus miraculis enituit; quum enim Sergius quidam templi æditius, ut quatuor columnas erigeret, quæ concameratam teſtudinem ſuſtinerent, aliquantulum effodiſſet, tam ſuavis odor emanavit, ut extra templum etiam effuſus contiguarum ædium habitatores ſuaviſſime recreaverit. Quumque idem Sergius uni ex iiſdem columnis minus reverenter humeros admoviſſet, continuo media corporis parte dolore correptus, nerviſque reſolutus langueſcere cœpit. Quamobrem ad ſancti Baculi ſepulcrum in genua provolutus illud piis ejulatibus, precibuſque complevit, ac duplici ſanitati reſtitutus fuit, corporis ſcilicet, & animi: quo adeo præclaris virtutibus toto pectore ſtuduit, ut in Stabienſem Epiſcopum eligi deinde meruerit.

CAPUT I.

De ſcriptoribus vitæ ſancti Baculi.

Rom. In Libell. de Quinque Divis Cuſtodib., ac Præſidib. urbis Surrent. pag. 282.
Paul. Reg. Vici Æquen. Epiſc. 2. p. De Sanct. Regn. Neap. Vit. S. Antonin. Abb. c. 11.
Ferrar. in Catalog. Sanct. Ital. ad

I. SAncti Baculi Surrentinorum Epiſcopi, & Patroni vitam una cum ejus epitome primum, quod ſciamus, edidit David Romæus, poſtea Paulus Regius, & deinde Philippus Ferrarius, & Ughellus, qui, quæ ex ms. codice Archivi Surrentini fideliter excerſit, in ſua Italia ſacra vulgavit. Poſtremo vero Bollandus Actis

Actis ſanctorum a ſe concinnatis eam vitam a Davide Romæo conditam inſeruit, notiſque, ut aſſolet, erudite auxit. In ejuſdem mentionem incidit Anonymus in vita ſancti Antonini, & ejus ſcholiaſtes in Notationibus Caracciolus. Inſuper non pauci Regni Neapolitani hiſtoriographi ejuſdem ſancti memoriam invexerunt, & in primis Capacius, Summontius, Gjannettaſius, aliique; ut etiam in hiſtoria Surrentina Cæſar Molignanus.

diem 24. Februar. Ughell. Ital.Sacr. tom.6.

Bolland. tom.2. Januar. die 29. pag. 951.

Cæſar Capac. In Hiſt.Neap.l.2. cap. 12. ubi de Eccl. Surrent., & ubi de Sanct. Surrent.

Johan.Ant.Summont. Nel Lib. 1. dell' Iſtor. della Città, e Regno di Napoli pag.397. Giannett.In Hiſt. Reg.Neap.

II. Quod ad Martyrologia attinet, in nullo multorum, quæ vidimus, ſancti Baculi nomen unquam offendimus, niſi in codice ms., qui in Archivo Surrentino ſervatur; ubi nomina, ac geſta ſanctorum Surrentinæ civitatis Patronorum, ut alias diximus, inſcripta ſunt: & in antiquis Kalendariis ejuſdem urbis. Præterea ſancti Baculi meminit in Topographia Martyrologj Romani, & in generali Catalogo ſanctorum in Martyrologio Romano non contentorum laudatus Ferrarius.

CAPUT II.

De tempore, quo ſanctus Baculus in vivis fuerit.

I. TEmpus, quo ſanctus Baculus floruerit, Eccleſiamque Surrentinam regendam acceperit, non ſatis conſtat; idque ſe nullibi legiſſe teſtatur Romæus his verbis: *Cujus ætas in quo-*

Rom. in vit. S. Bacul. in princ.

quorum Regum, vel Pontificum Maximorum tempora incidit, non legimus. Romæi vero veſtigiis inſiſtens Ferrarius inquit: *Tempus, quo ſanctus Baculus vixit, ab auctore vitæ illius haud expreſſum eſt; illud enim ſe ſcire non potuiſſe ait. Antiquum tamen eſſe ex eo colligitur, quod corpus illius in templum Idolorum translatum fuit*.

Philip. Ferrar. In Catal. Sanctor. Ital. in annot. ad diem 29. Januar.

At Ferrarj conjecturæ aſtipulatur Bollandus: quæ potius (ſi plane eloqui fas eſt) tenebricoſa cogitatio ex ambiguo prolata videtur. Si enim contendit Ferrarius ſancti Baculi venerandum cadaver in templum Idolorum tranſlatum fuiſſe, quum adhuc pars Surrentinorum Idololatriæ inſerviebant; id ſane injurioſum eſſet transferentium Surrentinorum pietati. Et adverſatur Romæo, aliiſque omnibus Surrentinis monimentis, quinimmo ſecum diſcrepat, qui de ſancto Baculo ſcripſerat: *Cujus corpus ad mœnia civitatis, ut adverſus hoſtes duplex haberetur præſidium, ſepelitur, donec in medium urbis in templum Idolis purgatum, & D. Felici Epiſcopo, & Martyri dicatum, illatum eſt*. Tenetur igitur verbis ſuis Ferrarius; nec quidquam de antiquitate ſancti Baculi, & ſepultura in templo Idolorum poterit arguere, niſi prius eluceſcat, quo ævo templum illud ab impietate, & ſuperſtitione catholico Chriſtianorum ritu fuerit repurgatum.

Ferrar. loc. cit.

II. Quis vero rem adeo obſcuram in ſummo hiſtoricorum ſilentio luce complebit? præſertim quum notum ſit, & ab ipſo Ferrario, & Bollando

Bollan. loc. cit. lit. B.

lando animadverſum in Italiæ urbibus ad multa ſecula remanſiſſe Idololatriæ veſtigia, & *Fana Deorum nondum Chriſtianis ritibus conſecrata, etſi occluſa*.

Qua in re auctoritati, & exemplo eſt Pantheon, quod poſt datam a Conſtantino Magno Eccleſiæ pacem trecentos circiter annos tamquam inſigne Romanæ magnificentiæ admirandum veſtigium, impurum, profanumque Romæ permanſit: donec ſanctus Bonifacius IV., ut legimus apud Anaſtaſium Bibliothecarium, *Petiit a Phocata* (ſeu Foca, ut in Codice Regio) *Principe templum, quod appellatur Pantheon, in quo fuit Eccleſia ſanctæ Mariæ ſemper Virginis, & omnium Martyrum. In qua Eccleſia Princeps multa bona* (vel potius *dona*, ut in codice Thuani) *obtulit*. Nonne idem contingere potuit Surrentino Idolorum templo? ſcilicet ut multis ſeculis poſt deletam ſuperſtitionem, ſuſceptamque religionem Chriſtianam pro admiranda priſcorum Græcorum ſtructura, & ſimulacrorum affabre elaboratorum opere conſervaretur.

Anaſt. In Pontifical. de Bonifac. IV.

At concedamus Ferrario rei geſtæ tempus aſſequi poſſe, tenerique, quando templi illius ſuperſtitio veræ religioni locum conceſſerit; non proinde in comperto erit, num ſtatim ac ſancti Felicis Martyris nomine fuerit inſignitum, eô corpus ſancti noſtri Baculi invectum, humatumque fuerit, an multo poſt; hoc enim perplexe referri videtur a Romæo, Capacio, Ferrario, Ughello,

& ipſa

& ipſa tertia ſancti Baculi lectione, ubi: *Deinde in templum ab Idolis purgatum, & jam antea ſancti Felicis Nolani Epiſcopi nomine inſignitum potioris venerationis ergo tranſtulerunt*.

III. Potius ad veſtigandam ſancti Baculi antiquitatem facere videtur prima, ad quam datum fuit ejus ſanctum corpus, ſepultura ſub mœnia civitatis, quæ indicat tunc eum e vivis exceſſiſſe, quum intra civitatem humare cadavera, præter Imperatorum, ac Virginum Veſtalium, ut notat Servius, Romana lex XII. Tabularum vetabat, quæ a Græco Imperatore Leone, qui dictus fuit cognomento philoſophus, circa principia decimi ſeculi abrogata fuit, & multo ante in ipſa urbe, ut putamus, ex privilegio, vel deſuetudine ſenſim antiquata fuerat. Fabricius enim, teſte Plutarcho, Romæ intra urbem præ eximiis meritis ſepultus fuit, etſi vigeret contraria lex. Quam Græcam æque ac Romanam legem Surrenti quoque antiquitus obtinuiſſe opinamur, etſi libera prius Reſpublica, & ſubinde Romanum Municipium fuerit, quod propriis legibus utebatur, ut in ſecunda parte dilucide exploratum videbimus.

Servius ad lib. XI. Æneid.

Plutarch. quæſt. Rom.

Inter has vero ambages illud interim pro certo habendum, ſanctum Baculum ante nonum ſeculum mortalitatis jura ſolviſſe. In vita enim ſancti Antonini e ms. antiquo codice edita ab Antonio Caracciolo, & Bollando, ab utriſque notis etiam illuſtrata, traditur, quinque Tutelares

Divos

Divos Surrentinæ civitatis, inter quos ibi ſanctus Baculus recenſetur, truci, minacique ore Saracenis Crateris oras infeſtantibus apparuiſſe. Quam quidem Saracenorum incurſionem rectiſſime, ut diximus, iidem Caracciolus, & Bollandus, quibus etiam adhæſit Dacheryus, anno 849. contigiſſe autumant; licet Romæus, ut diximus, circa annum 776. accidiſſe tradat. Quapropter ſaltem ante nonum ſeculum ſanctum Baculum e vivis exceſſiſſe non eſt in dubium revocandum; aliquod enim temporis ſpatium præcedere oportuit, antequam Divorum honores ferret a Surrentinis, ac in Tutelarium ordinem cooptaretur. Et quoniam ſcribens: *Nullo quidem certo annorum calculo, vixiſſe tamen creditur circa annum ſalutis 660.*,, divinat potius, quam aliquo rationum adminiculo id aſſerat Ughellus: eapropter eſt omnino hac in re improbandus, ut inferius patebit.

Caracciol. In vit. S. Anton. Not. 25. Bolland. in Notis ad vit. S. Anton. Rom. pag. 359.

CAPUT III.

De Nomine, Patria, familia, ac die obitus ſancti Baculi.

I. QUamquam Romæus de ſancto Baculo ſcriptum reliquit: *Baculus., addubito an hoc ſit nomen, Pontifex Surrentinus &c.* Ad quæ verba Bollandus ſubdit: *Cur non tam hic Baculus, quam alii Scipiones, proprio nomine appellari potuit?* Feſtive ſane, & erudite: tamen ita voca-

Rom. In vit. S. Bacul. in princ.

Bollan. tom. 2. Januar. die 29. pag. 951. In Not. lit. a.

vocatum fuiſſe extra aleam eſt; quum in omnibus omnino ms., & Horis Canonicis in ejus honorem concinnatis hoc nomine appellatus reperiatur.

Capac. In Hiſt. Neap. lib.2. c.12. ubi de Sanct. Surrentin.

II. Neapolitanum fuiſſe liquet ex antiquo ms. Codice in Surrentino Archivo ſervato, atque ex antiquis hymnis in ejuſdem ſancti Baculi laudem conditis; in quorum uno rudi ſane, & incomto, ut illa ætas ferebat, laudato etiam a Cæſare Capacio ſic legitur:

Parthenope natus Baculus fuit iſte beatus,
Hic meruit latus Surrentini Epiſcopatus.

Quod etiam teſtatum fecit Romæus de eo ſcribens: *Ex veteri, & illuſtri familia Neapoli loco celebri natus*. Hoc idem Capacius, Ferrarius, & Ughellus.

Capac.loc.cit. De Surrent.Sanct. Ferrar.loc.cit. Ughel.loc.cit.in prine.

III. Quæ autem fuerit hæc familia, licet Romæus non tradat: eam tamen Brancatiorum fuiſſe (quæ plures ab ipſis Chriſtianæ Religionis incunabulis edidit ſanctos, eamque Pancratiam olim dictam tradit Caracciolus, atque ab ipſa ortum traxiſſe ſanctum Pancratium contendit Villanus) conſtans eſt Surrentinorum traditio, ut nobis liquet, & teſtatur Ughellus his verbis: *Fama eſt, & conſtans a Patribus derivata traditio Baculum ex generoſa, vetuſtaque Brancacia gente natum eſſe, quæ inter reliquos Regni Proceres generis claritate, ac nobilitate conſpicua eſt*. Atque ex nonnullis monimentis in marmore inciſis colligitur, quæ in Surrentino templo ejuſdem ſancti Baculi nomine inſignito ſervantur.

Caraec.InNot. ad vit. S.Anton.

Gio: Villan. Nell'Iſtor.Fioren. lib.3.cap.2.

IV.

IV. De ejus obitus die quum nihil omnino certum habeatur, ne verbum quidem in lectionibus factum; & licet Romæus ſcripſerit: *Quum Senex cincinnatus a Deo vocatus eſt iv. Kalendas Februarj, ex cujus* (ejus potius) *interitu magna fuit acerbitas*. Quod idem Ferrarius aſſeruit, & tradere voluit Ughellus his verbis: *Ad Cœlum evolavit iv. Kalendas Septembris*. Huc enim librarj error irrepſit, & ſcribendum erat *Februarj* loco menſis *Septembris*: tamen quum is dies faſtis, & Kalendariis Surrentinis ſancti Baculi ſolennitati addictus ſit, inque eo Tutelaris ſui memoriam recolant Surrentini, pro certo tenuit Romæus eo die ad ſuperos evolaſſe. Rom. loc. cit.

V. Nos vero non immerito dubitamus, an is dies, qui Surrenti ejus ſolennitati ſacer eſt, Mortis, Depoſitionis, an potius Translationis ſit; præſertim quod quamvis certa ſit hæc Translatio, quæ ſine aliquo venerationis argumento in aliis ſanctis præteriri non ſolet: tamen ejus memoriæ recolendæ nulla reperiatur devota dies. Tum quod in actis ſancti Baculi (quæ a Codice ms. Archivi Surrentini eruta lege apud Ughellum) de ejus obitus die nihil prorſus innuatur. Actorum igitur ſcriptor quum ſciret diem, quo Surrenti ejus feſtum perageretur, quumque illius obitum ei diei non aſſignarit, certo certius indicavit ſe illum nequidquam obitus diem exiſtimaſſe. Hæc fortaſſe acta ſecutus Capacius, ubi de ſanctis Surrentinis agit, nihil de die obitus ſan- Ughell. tom. 6. Ital. Sacr. nov. edit. pag. 606. & 607.

 cti

cti Baculi ſubdit. Et licet, ubi de Eccleſia Surrentina, dicat: *ſanctus Baculus Epiſcopus, & Confeſſor pridie nonas Octobris*: tamen liquet ex contextu, ibi feſtum eo die Surrenti fieri, voluiſſe innuere. Præterea ibi librarj omnino error eſt. Quis enim non videt ibi Capacium de ſancto Renato, cujus dies feſtus Surrenti agitur pridie nonas Octobris, non autem de ſancto Baculo illa pronuntiaſſe? Id omne heic advertere utile viſum eſt, ne errores, qui aliorum incuria irrepſerunt, temporis lapſu radices agant, &, ut non raro accidit, faciant auctoritatem.

CAPUT IV.

De repurgato vetuſto Idolorum Templo, quo ſancti Baculi Cadaver translatum fuit, nonnulla.

I. ETſi præpoſtero temporis ordine nobis conſtitutum ſit prius de Surrentinis rebus agere, quæ advenerunt, poſtquam exoptatus Prophetarum votis omnibus Gratiæ dies illuxit: tum vero de iis, quæ antea in longa ſcilicet Gentilitatis nocte, & horribili, tetraque ſuperſtitionum caligine acta fuerunt: nihilominus quum de hoc templo nullum protinus reliquum ſit conſpicuum veſtigium, neque aliunde memoria ad nos uſque manarit, niſi a ſacris vitæ ſancti Baculi ſcriptoribus, qui nihil de ejus ſtructura, ſed tantum de purga-

purgatione a prophanis contagiis meminere, poſtquam Surrentini Idolorum reſpuerunt reliquias; de eo verba facere hic locus viſus eſt opportunior.

II. In civitatis meditullio erectum fuiſſe tradunt Fanum illud, ſed cui Divorum nuncupatum in obſcuro adhuc eſt. Fortaſſe Jovi Ultori, ut Romanum Pantheon, teſte Plinio, devotum fuiſſe ſuadent plurima ſimulacra Deorum, quibus refertum erat. Sed aliud indicat oblonga figura, qua ædificatum fuit, ſi Dionem audiamus dicentem: *Pantheon quoque perfecit Agrippa. Id ſic dicitur fortaſſis, qnod in ſimulacris Martis, & Veneris multas Deûm imagines acciperet. Ut vero mihi videtur, inde id nominis habet, quod forma convexa faſtigiatum Cæli ſimilitudinem oſtenderet.* Præteribamus forte via propter latus Boreale Eccleſiæ ſancti Baculi, ubi ſitum erat antiquiſſimum illud Idolorum templum, quumque ibi inter antiquas ruinas offendiſſemus Veſtæ quamdam Aram parallelepipadæ figuræ in ſublimi plano quadratum loculum ad ſacrum, ut dicebant, ignem fovendum habentem, illico ſuſpicati ſumus Rheæ, vel Veſtæ a ſuperſtitioſis, illuſiſque Gentilibus dicatum olim fuiſſe; licet enim Plato, & Macrobius ſcriptum reliquerint, Veſtam ſolitariam adamaſſe Ædem, & ſine ullo alio Deorum ſigno: alii nihilominus, ut Deorum matrem multo ſtipatam numinum famulitio effinxerunt.

Plin. lib. 36. c. 15.

Dion. lib. 53.

V. Gyrald. Syntag. 4. Deor. in Veſta, & Natal. Comit. in Mythologia.

Cuicumque vero addictum fuerit, inclytum

ſane nimis, auguſtumque fuiſſe exinde argui poteſt, quod a ſemita illa, cui nunc adjacet major porta Orientalis ſancti Baculi, & unde ejuſdem terminus deſignatur, uſque ad Forum, vulgo ad præſens *Fuori*, ubi ſparſa quædam ejus templi rudera effoſſa ſunt, protendebatur; hoc eſt, centum fere in longitudinem paſſus continebat; ſed non analogam habebat latitudinem a Vitruvio præſcriptam, quæ quadraginta, vel paulo amplius paſſuum eſt, ut produnt Domus D. Antonini Donurſi patritj Surrentini ſupra rudera ejuſdem templi nunc erectæ. Itaque propter oblongam figuram a Pantheo Romano nimis diſſidet; quod etiam tempore longe præceſſiſſe putamus, opuſque fuiſſe Græcorum.

Vitruv. Architect. lib. 1. cap. 5.

III. Heic autem non eſt ſilentio obvolvendum maximam difficultatem pati, quæ noſtrates hiſtorici commemorant de purgato hoc templo, præcipue *Romæus*, qui præ ceteris rem multum exornat, atque exagerat, propter Idola ſcilicet illa, poſtquam in mare projecta fuerunt, Surrentinum ſinum procellis, ſæviſſimiſque fluctibus obnoxium evaſiſſe, nautiſque per quam periculoſum, qui antea tranquillus continuo, pacatuſque extabat. Ita enim non tantum admirationis ſuperveniens hæc maris intumeſcentia, agitatioque, quantum anterior illa perpetua quies, tranquillitaſque haberet. Norunt enim omnes Hydrographiæ periti Mediterraneum Æquor ubique duobus naturalibus cieri motibus, ſcilicet æſtu, ſeu

ſeu fluxu, atque refluxu ad motum Lunæ, qui in oris Surrentini Promontorj plus quam alibi ſatis conſpicuus, præcipue in Pleniluniis, Noviluniis, & in Æquinoctiis, ſed navigantibus minime noxius. Alter infeſtiſſimus qui ab effræna, impotentique ventorum rabie excitatur, præſertim ab iis, qui appellantur *Preſter*, *Typhon*, *Turbo*, *Exhydrias*, *Ecnephias* periculoſiſſimas, inſuperabileſque tempeſtates cientes; quoſque, etſi non frequentiſſime: interdum tamen in Crateris mari omni ævo excitatos ex hiſtoriis Neapolitanis addiſcimus, & noſtra ætate exitialia hominum naufragia intuliſſe. Ab his procellis Surrentinum, vel Stabienſe Fretum, etiam priuſquam Idola illa in ſinum exciperet, naturaliter nequiviſſet eſſe immune. Verum contrarium in Actis ſancti Baculi apud Ughellum legitur hujuſmodi: *Nam ipſum mare Surrentini Portus, quod ante illud tempus omni fuerat tempeſtate immune, nullis æſtuabat procellis, poſtmodum ut cetera maria & procellis, & pelagi tumultibus manſit obnoxium*. Sed nullus alius portus juxta Surrentinum Promontorium extat, præter illum Caſtrimaris Stabienſis, qui placidiſſimus ſemper fuit, ut ad præſens, atque ſecurus.

V. Bernard. Varen. In Geograph. general. lib. 1. cap. 20. prop. 10.

Ughell. tom. 6 Ital. Sacr. ubi de Archiep. Surrent. pag. 607. nov. edit. Venet.

Errori fortaſſe anſam dedit Papinius Statius; qui de æquore Surrentino cecinit:

Mira quies Pèlagi: ponunt heic laſſa furorem
Æquora, & inſani ſpirant clementius Auſtri.

Stat. Silvar. l. 2. In Surrētino Pollj.

Verum ibi Poëta loquitur de ædibus Pollj ſuperſtructis

ſtructis Surrentinæ rupi, quæ latus objicit *Auſtro*, *Africo*, *Favonio*, *Choro*, quæque etiamnum ab furioſiſſimis ventis iſtis eam maris partem tuetur.

Præterea animadverſione digna res eſt neque ad portum illum Stabienſem a civitate Surrentina plus octo paſſuum millibus diſtantem infracta illa, & comminuta ſimulacra protruſa fuiſſe; immo neque ad propinquiorem locum illum, qui dicitur *Meta*, ut Pauli Regj ductus auctoritate ſcribit Bollandus; cui lubens parcerem, quod oculis non inſpectarit peculiarem illum Surrentinum lunatum ſinum, cui adjacet Surrentina civitas, ſpectatque ad Meſocircium duobus cornibus terminatus, quorum unum verſus Hyperboream vergit, quod, ubi pagus eſt, qui *Meta* dicitur, in mare procurrit, & vulgo *Scutolo* appellatur. Alterum ad Chorum ſpectans nuncupatum caput Surrentinum, vulgo *il Capo*. Hoc propinquius urbi. Id Paulo Regio, qui diu prope Surrentum, Æquis ſcilicet diverſatus fuit, minime potuit eſſe ignotum. Prope Caput hoc Surrentinum infracta, & comminuta ſimulacra injecta fuiſſe veroſimilius eſt; quorſum enim longius, *Metam* videlicet uſque, illa, ut Regius commentus eſt, multis impenſis neceſſe erat deferre? Pium amamus lectorem, & attentum, non autem animi levitate credulum, ut juxta ſanctum Paulum *rationabile ſit obſequium noſtrum*.

Bollan. in Not. ad Rom.

IV. Id vero templum prorſus ab omni ſorde deterſum in Cathedralem, ſive Principem, & Epi-

Epiſcopalem Eccleſiam Surrentinam, poſtquam Divina ope, atque conſilio pax Eccleſiæ reddita eſt, verſum fuiſſe traditur. Quo autem Æræ Chriſtianæ tempore id acciderit, prorſus ignotum. Ughellus, qui ſanctum Baculum vixiſſe credidit circa annum ſalutis 660., ſaltem circa ſeptimi ſeculi finem eveniſſe, videtur aſſerere, præſertim quod ubi de Epiſcopis Stabienſibus diſſerit, Sergium illum templi ſancti Baculi æditu-um, de quo in Actis ſancti Baculi mentio eſt, ſub annum 700. in vivis fuiſſe ſtatuit. Unde infertur juxta Ughellum ſub octavi ſeculi initium, & ſeptimi finem ſanctum Baculum jam templum habuiſſe. Ughell. loc. ſæpecit.

Verum id Surrentinis traditionibus non cohæret, quæ innuunt Eccleſiam ſancti Felicis nomine inſignitam fere primam fuiſſe, quæ in ipſa civitate excitata ſit, & ex ipſa ſua dedicatione pro Cathedrali Eccleſia habitam, ibique, quod veroſimile eſt, tum Eccleſiaſticorum, tum laicorum commodo ſacra Epiſcopum, & Clerum operatos. Quod longe ante ſeptimum ſeculum fuiſſe inſtitutum in comperto eſt. Tempore enim Agapiti Surrentini circa annum præterpropter 650., cui ſucceſſorem facit ſanctum Baculum Ughellus, jam Epiſcopus intra urbem degebat, & plures erant in ipſa urbe Eccleſiæ.

V. Immo tam plane conſtat longe ante ſeculi ſexti finem Chriſtianam fidem Surrenti radices altius egiſſe, omneſque Surrentinos Chriſtum ample-

amplexos, inque ſua urbe plures habuiſſe Eccleſias, ut ex literis ſancti Gregorj Papæ, qui ſub annum 590. Summus Pontifex renuntiatus fuit, colligatur, plura monachorum cœnobia in ea pientiſſima ſane civitate illius Pontificis tempeſtate fuiſſe. Unde conjecturis adducti cogimur affirmare ſanctum Baculum non modo anno 660., quo eum ponit Ughellus, non vixiſſe, verum etiam ante ſanctum Renatum, qui primus in ſerie Epiſcoporum recenſetur anno 425., ut ſequenti libro dicetur, Eccleſiam Surrentinam accepiſſe adminiſtrandam. Quamquam enim poſt datam a Conſtantino Eccleſiæ pacem aliquot urbes in ſuis erroribus obfirmatæ, ac refractariæ per aliquod temporis ſpatium Chriſtianæ fidei pertinacius in Italia obſtiterint, ut de Narnia in Umbria dicitur: tamen id de civitate Surrentina nullibi legitur. Unde ſub Conſtantini Magni tempora, vel paulo poſt, conclamata omnino ſuperſtitione, urbem integram Chriſtianam fidem jam amplexam, & Duce ipſius annuente, execrandum illud Idolorum templum vero Numini devotum fuiſſe, ſancti Felicis Nolani nomine inſignitum, & in Epiſcopium verſum, putandum eſt; ceſſatumque ad ſacrum Paſtorem conveniendum cæca loca, ſeu cryptas, vel ſecreta oratoria petere, ut pridem, quando apud Ethnicos *Chriſtiana fides*, ut verba ſancti Paulini Nolani uſurpem, *crimen erat*.

Lege Vitam S. Juvenalis Epiſcopi Narnienſis.

VI. Accedit ad rei confirmationem in Actis ſancti

ſancti Renati legi eumdem Surrentinis oris appulſum in eam ſolitudinem deceſſiſſe, ubi traditio eſt primum Epiſcopale templum, ſeu potius cryptas fuiſſe, & Surrentinis veteribus Chriſtianis tempore perſecutionum perfugium; quo in loco dicitur ſibi ædiculas ipſe ſanctus Renatus ad habitandum comparaſſe. Quod ſi non adhuc intra urbem Epiſcopale templum translatum erat, non equidem in ſolitudine S. Renatus conceſſiſſet, quippe qui cum Epiſcopo, & aliquibus ſaltem Chriſtianorum ibi converſatus fuiſſet; neque ſibi neceſſe erat ædiculas ædificare; quum ſaltem in ipſa crypta, ut erat aliis locus, ita & ſibi eſſe poterat. Sancti Renati igitur ætate Surrentina civitas ſuavi Chriſtianæ legis jugo colla jam ſubdiderat; quod confirmari videtur ex ipſius ſancti Actis, & ex officio, in quibus legitur palam, & publico conſilio ipſe ſanctus Renatus in Epiſcopum cooptatus.

Demum ſi Surrentina civitas nondum publice Chriſtum profitebatur, vel illuc ſanctus Renatus, qui a perſecutorum manibus dilapſus fuerat, non divertiſſet, vel ſaltem non ſe in deſertas fortaſſe rupes abdidiſſet, ſed rudimenta fidei ſtuduiſſet edocere, ac fidem Chriſtianam infideli populo prædicare.

VII. At, ſi dices ſancti Renati tempeſtate Chriſtianam fidem fuiſſe quidem publice amplexam a Surrentina civitate: ſed Epiſcopium nondum intra urbem translatum; id nullam præ ſe

veroſimilitudinem tulerit. Si enim id temporis Surrentina reſpublica Chriſtianis ſacris jam initiata Epiſcopalem Eccleſiam intra moenia non habuiſſet, præterquamquod id eſt a veroſimilitudine alienum, certe vetus Epiſcopium tempore perſecutionum clam frequentari ſolitum, tunc ſæpius in dies adiiſſent cives. Quei igitur ſanctus Renatus in ſolitudine delituiſſet? quei locum occultum, deſertumque, ac dumis, vepribuſqe obſitum incoluiſſet? Surrentinæ ergo urbis traditioni ſub Conſtantini Magni tempora, aut paulo poſt Epiſcopium intra moenia illatum, adeoque ea ætate templum illud Idolorum Divo Felici Nolano conſecratum aſſerenti nonnihil ponderis etiam a conjecturis accedit. Hæc tamen accipiant lectores, ut volent; in rebus enim adeo obſcuris nihil certius eruere potuimus.

VIII. Ceterum templum hoc ſub nomine ſanctorum Felicis, & Baculi Eccleſia Cathedralis ſemper extitit uſque ad annum fere 1450., ut putat Hieronymus Serſalis; hoc enim anno Domitio Falangola Surrentino Archiepiſcopo fundamenta jacta fuere, atque ædificata ea Eccleſia, quæ noſtra memoria Metropolitana eſt. Eam tamen, quum anguſta nimis eſſet, latius explicavit, & in eam magnitudinem, qua nunc patet, prolatavit anno 1510. Cardinalis Remolinus Archiepiſcopus Surrentinus, tum Neapolitanus Prorex, & paulatim alii Archiepiſcopi vel reſtaurare, vel adornare, ut ut potuere, ſtuduerunt, & poſtre-

V. De eo præ ceteris Ciaccon. tom. 3. pag. 202. De Cardinal. ſub Alexand. VI. & Ughell. in Ital. Sacr. tom. 6. De Archiep. Surrent.

poſtremo nos in elegantiorem formam redegimus, ac picturata fronte, & intus marmorato, auratis ornamentis, picturiſque ita decoravimus, ut novam, ac nitidiorem omnino faciem, & aliam ab antiqua induiſſe videatur.

apud quos hęc extat Inſcriptio ex Baſilica Surrentina deſcripta: *Ædem ſub titulo SS. Philippi, & Jacobi minoris dicatam amplificavit.*

IX. Ut vero in viam redeamus, ea ſanctorum Felicis, & Baculi Eccleſia curæ, cuſtodiæque commiſſa fuit *iii. Nonas Aprilis anni* 1651. ab Antonio de Petio Archiepiſcopo Surrentino Confratriæ *Animarum Purgatorj*, quæ antea Eccleſiæ, ſive Sacello ſancti Johannis Domi Novæ addicta erat; & ab eadem Confratria, quum jam pene ſorderet, ac labaret derelicta, ipſa ſanctorum Felicis, & Baculi Eccleſia refecta fuit, & non vulgari venuſtate perpolita.

At anno 1660. *iv. Idus Martias*, quum vellent ſancti Baculi corpus ex antiquo in novum altare majus ipſius Eccleſiæ transferre, non ſolum annuente D. Paulo Suardo id temporis Archiepiſcopo Surrentino, ſed ipſomet auctore, ac præſente dirutum, ac perfoſſum fuit vetus altare, in eoque reperta marmorea urna, marmoreo pariter operculo bene obſerata cum hac inſcriptione, atque ita inciſo: *Reliquiæ ſancti Baculi, & aliorum ſanctorum*; in ea incluſa erat capſula lignea perbelle, appoſiteque obſtructa, quæ intus tribus loculis concinne diſtincta erat, quorum quiſque ſanctorum oſſibus oppletus, ut traditio erat, & longe ante teſtatus erat Capacius his verbis: *Sancti Felicis templum, in quo præter Baculi, aliorum*

Capac. loc. cit. ubi de ſanctis Surrentinis in fine.

Rr 2 *ſancto-*

ſanctorum corpora eſſe dicuntur . Quum vero , quæ erant in medio loculo oſſa , deprehenſum fuiſſet ſancti Baculi eſſe , aliorum nomina aſſequi non potuit Archiepiſcopus . Hæc omnia authentico ſigillo obſignata ſub novo ſancti Baculi altari ea, qua potuit, majori veneratione collocavit . Quæ alia oſſa tunc inventa ibi fuere , lege in Diſſertatione ad lectiones S. Athanasj .

X. Quando vero hoc S. Baculi templum amplitudine ſua magnificum in anguſtiorem formam, ut modo, redactum ſit , non ſatis liquet . Quum fortaſſe antiquitate jam labaret , ſatius duxerunt Surrentini magnitudinem ipſius imminuere, præſertim quum Archiepiſcoporum forte commodo jam prope Archiepiſcopale Palatium Cathedralem Eccleſiam excitare meditarentur . Nec edaci tot ſeculorum vetuſtati obſtare potuiſſe , quin pluries refectum fuerit, jure merito putandum eſt . Quod omne in tenebris deliteſcit , quum Surrentina monimenta nedum hæc leviora , a temporum injuriis , hoſtiumque deprædatione ſervari intacta nequiverint. Attamen in vita ſancti Baculi apud Romæum legitur Sergius ejuſdem templi æditus , & cuſtos illud refeciſſe , ac reſtauraſſe , quod VII. ſeculo eveniſſe cum Ughello probabilius putamus, ut infra videbimus. Unde contra ipſum Ughellum argumentum deſumimus, non potuiſſe ſcilicet S. Baculi templum ſub finem VII. ſeculi ſacris initiari . Si enim id eo tempore accidiſſet, non equidem poſt paucos annos ea refectione templum illud indiguiſſet . XI.

Digitized by Google

XI. At in donatione illa nuper memorata non omne in eam ſancti Baculi Eccleſiam jus ſibi Canonici, & Capitulum ademere; ne enim memoria excideret, quod ea fuerit aliquando Archiepiſcopalis, facultatem ſibi reliquerunt ſingulis annis IV. Kal. Februarj die S. Baculo ſacra in ea Eccleſia ſacrificj ſolenniter celebrandi. Eapropter ſingulis quibuſque annis eodem prorſus modo, quo ad ſancti Renati, ut dicemus, Capitulum Surrentinum ea die ad ſancti Baculi accedit, humaniſſimeque de more excipitur a Confratribus Congregationis Animarum Purgatorj, eoque in templo ſacrum ſolenniter agit, quod cantat unus ex Canonicis, & fere ducatos quinque muneris loco ab ipſa Confratria ea die conſequitur; Archiepiſcopo verò unius Candelæ tributum penditur.

CAPUT V.

Curioſius inquiritur, cuinam ex ſanctis Felicibus Nolanis Surrentinum Idolorum templum poſt expiationem ab impietate devotum fuerit.

I. QUis fuerit ſanctus ille Felix, cui templum devovere Surrentini, non adeo facile eſt expiſcari. Quantum ex lectionibus colligi poteſt, fuit Felix Epiſcopus Nolanus, quod antiquis actis ſancti Baculi in Eccle-ſia

ſia Surrentina ſervatis etiam conſentit, quæ habent. *Atque ipſo templo in honorem ſancti Felicis Nolanæ Urbis Epiſcopi conſecrato*. Et quamvis duo Felices Epiſcopi Nolani ſanctimonia conſpicui reperiantur: tamen, ſi a Felicibus Nolanis Epiſcopis nefas eſſet diſcedere, hunc juxta ſtatam a nobis Chronologiam, & tempus dedicationis templi ſancti Baculi Seniorem illum Felicem Epiſcopum fuiſſe putandum eſſet; qui cum aliis triginta ſociis martyrio vitam clauſit ſaltem anno 259. juxta Ughellum: licet alii, & fortaſſe melius, ſeculum ſecundum non exceſſiſſe autument, ut infra dicemus, & hujus corpus eſſe ſtatuit idem Ughellus, quod manna effluit, & ſumma veneratione Nolæ colitur noſtra etiam memoria. Junior enim Felix Epiſcopus Nolanus ſub annum 484. ut ipſe Ughellus ex quadam inſcriptione infert, ſupremum diem explevit; quo tempore juxta ſententiam noſtram jam inauguratum erat templum S. Baculi. Et profecto ſeniorem Felicem fuiſſe indicat Romæus his verbis: *Ex prophana ſacram factam* (Idolorum ſcilicet ædem) *Divo Felici Nolano Pontifici dedicaverunt, cujus dies feſtus, atque ſolennis celebratur Nolæ quotannis xvii. Kal. Decembris*. Hoc quidem die Senioris Felicis feſta recoluntur, ut Ughellus advertit, & Ferrarius; qui poſt ejuſdem vitam ſubdit: *Hic ab alio Felice Epiſcopo Nolano, qui ibi die xiv. Januarj una cum ſancto Felice presbytero, & martyre colitur, diverſus eſt. Ille enim confeſſor, hic martyr eſt.* Atta-

Ughell. tom. 6. Ital. Sacr. pag. 246 De Epiſcop. Nol. num. 1.

Romæus loc. cit.

Ferrar. in Catalog. Sanct. Ital. die 15. Novembris.

Attamen ipſemet Ferrarius die XIV. Januarj, ubi vitam ſancti Felicis Presbyteri, & martyris protulerat, nihil de ſancto Felice Epiſcopo, & Confeſſore, cujus heic meminit, addiderat.

II. At Bollandus die XIV. Januarj præter ſanctum Felicem Presbyterum, & martyrem mentionem invehit etiam Nolæ alterius ſancti Felicis Confeſſoris Presbyteri Romani. Inde de Actis Divorum cognominum fœde miſtis agens advertit juxta Capuanum Kalendarium a Michaële Monacho laudatum Felicem Nolanum Epiſcopum, & Confeſſorem, alium quidem a Felice Epiſcopo, qui martyr fuit. Verum Baronius de hoc juniore Felice Epiſcopo nihil meminit, & in Notis ad Martyrologium Romanum die xv. Novembris, poſtquam de Seniore illo verba facit, ſubdit: *Longe hic alius ab illo, quem S. Paulinus tot Natalibus celebravit*. Sed quid mirum? Adeo miſta ſunt, ac perturbata Felicium Nolanorum acta, ut quid de iis decernendum ſit, non facile videatur. Ferrarius quatuor Felicium Nolanorum vitas deſcripſit. Felicis ſcilicet Presbyteri, & martyris Hermia Patre nati, die XIV. Januarj. II. Felicis Epiſcopi Tubabocenſis, ſive Tuburbicenſis, aut Tiburnicenſis in Africa, unde navi in Campaniam vectus Nolæ martyrio coronatus eſt, die XVI. Januarj. Bollandus Tubzocenſis, vel cum Baronio Tibirenſis legendum putat. Ac de eodem idem Bollandus ait: *Felix Epiſcopus Tubabocenſis in Africa*. III. Felicis martyris cum Julia, et Jucun-

Bolland. tom. I. die 14. Januarj.

Ferrar. in Catal. SS. Ital.

Bolland. tom. I. die 14. Januarj & tom. 2. die 16. Januarj in Catal. SS. prætermiſſorum, & in alios dies rejectorum pag. 2.

Jucunda Nolæ 27. Julj, cujus Martyrologium Romanum ex Beda, & ms. meminit, licet horum acta deperdita queratur Ferrarius. IV. Felicis Epiſcopi Nolani, & Martyris 15. Novembris. Inſuper alium, ut diximus, ibi Epiſcopum commemorat, cujus acta non producit. Antonius vero Caracciolus ait: *Vetus Capuanæ Eccleſiæ Breviarium die 14. Januarj tres ſimul habet Nolanos Felices: ſed ſic eorum geſta, atque obitum narrat, ut & quartum, ſi illi aures præbeamus, opus ſit adjicere.* Etſi ipſemet verius exiſtimet non adeo multiplicandum numerum Felicium Nolanorum, ut quartum etiam opus ſit reperire.

Ut notat Baronius litera C.

V. apud Dacher. tom.2.Spicil.edit. Pariſ. ann. 1723. Paſſionem S. Felicis Tubzocenſis Epiſcopi, & Martyris.

Caracciol. de Sacr.Eccleſ.Neapol.monimentum cap.2.ſect.5.

Ughell. tom.6. de Epiſc.Nol.n.1.

Ughellus, poſtquam de S. Felice Seniore Epiſcopo Nolano, & martyre, ac de S. Felice Preſbytero, quem ſanctus Paulinus tot Natalibus celebravit, opportune diſſeruit, addit: *Quatuor alii Felices ſanctitate conſpicui Nolæ floruerunt. Felix namque, qui cum Julia, & Jucunda Martyr evolavit ad cœlum die 27. Julj. Felix Confeſſor. Alius Tabolocenſis Epiſcopus in Africa, qui Nolæ in Diocletiani, & Maximiani Imperatorum perſecutione paſſus eſt die 16. Januarj. Et Felix alter junior Epiſcopus depoſitus 6. Idus Februarj.* Ughellus igitur non modo quartum, ſed quintum, & ſextum etiam Nolanum Felicem addit.

Ambroſ. Leo Rer.Nolanar. l.2. c.13. quem etiam lege apud Ital. Illuſtrat. col.942.

III. Ambroſius Leo Nolanus Rerum Nolanarum ſcriptor non ſolum SS. Felices confundit, verum etiam neminem unum e Divis Felicibus Nolæ natum videtur propugnare; & ſequentis Capi-

Capitis progreſſu ſex Felices numerat, quorum duo corpora Nolæ eſſe ſuſpicatur Sacerdotis ſcilicet, & Epiſcopi in eodem templo, ibique in fine ſubdit: *Illud quoque ex prædictis claret neminem eorum Divorum Nolanum genere fuiſſe. Junior vero Felix Nolanus vocatus eſt, quod 12. annos Nolæ vixerit, ac Nolæ obiverit, Nolæque ſepultus habeatur. Atque tum huic uni, tum pluribus cognominibus Divis cæremoniæ, & ſacella Nolæ increvere adeo, ut ſolorum Nolanorum videantur, credanturque eſſe Divi Felices*. Unde eum refellere conatur Bollandus, & dum id agit, plures Felices ſtatuere, & cum Ughello ſentire videtur. Sic enim contra Ambroſium ait: *Nolæ natus S. Felix Epiſcopus Martyr, de quo XV. Novembris. Natus Felix Presbyter Hermiæ Syri filius, cujus præcipue encomia ſanctus Paulinus proſecutus eſt. Vixit tamen, objitque Nolæ Romanus ille Felix. Occiſus quoque ibidem fertur Felix Tubrocenſis, ſive, ut Baronius legendum putat, Tibirenſis in Africa Epiſcopus, qui 24. Octobris Venuſiæ in Apulia colitur. Omitto alios, quos Nolæ alibi aſſeremus*. At ipſemet Bollandus & incepti operis magnitudine, & morte abreptus fidem ſuam liberare non potuit, quod præſtitum iri ſperamus a doctiſſimis ejus continuantibus curſum, & glorioſiſſimum opus ad coronidem perducere nitentibus. Gabriel Gerberonius Benedictinus, qui ſub nomine Rigberj notas in Marj Mercatoris acta edidit, de Felice Presbytero ait: *Itaque Rufinus Civis Italus, & Presbyter Aquilejen-*

Bollan. tom. 1. die 14. Januarj in vit. S. Felic. Preſbyt. & Mart. c. 2. num. 5.

Rigber. In Not. ad Prologum, ſive Commonitorium Marj Mercatoris lit. N.

ſis recte dicitur, quum ſit nomine Syrus. Sicut beatum Felicem patria Italum, presbyterio Nolanum, ſimulque genere Syrum teſtatur eadem ætate ſanctus Paulinus in Natali 4. de ſancto Felice.

Nihilominus noſtro judicio arduum ſane opus promiſit Bollandus; quum idem ipſe acta ſanctorum Felicium Nolanorum periiſſe conqueratur, & propterea *Omnium fœde perturbatæ, ut compendio in Martyrologiis traduntur, res ſunt*. Indeque nihil ſe certi, firmique habere, & tantum conjecturis omnia perſequi, ſubindicat, inquiens: *Adeoque & Epiſcopus, & Afer ille, & Martyr Romanus via Portuenſi ſepultus huc* (in hunc diem ſcilicet) *tranſlati, fortaſſis quod primarium illum Hermiæ filium alii Martyrem, alii Confeſſorem, quidam etiam Epiſcopum ſcriberent, §. 1. diximus; Atque hinc factum, ut alius Felix martyr, Confeſſor alius, & Epiſcopus denique aliunde huc revocarentur.*

IV. Quid in hac rerum varietate ſeligendum ſit, non videmus; cum Caracciolo tantum ſentimus ſcribente: *Iſtam, aliaſque hiſtoricas dubitationes, quæ de Nolanis rebus ſuboriri poſſunt, quis liquido ſolvet antiquorum ejus Eccleſiæ codicum deſtitutus ſubſidio?* Quando nodum hunc ſane Gordianum rupit potius, quam ſolvit rebus Nolanis inhærens Ambroſius Leo; quo Auctore patrio quis unquam melius, & codicibus ms., & Nolanis traditionibus potuerit adjuvari. Niſi tempus, & eruditorum induſtria, ut ſæpenumero uſuvenit,

Caracciol. loc. cit.

nit, alia monimenta longa annorum oblivione ſepulta eruerit, noſtro judicio in deſperatis res eſt, præſertim quod egregius ille antiquitatum effoſſor Antonius Agellius Clericus Regularis, poſtea Epiſcopus Acernenſis e Surrentina Agelliorum, vulgo *d' Ajello*, familia, præ operum varietate, ac præſtantia, linguarum Orientalium peritia, navataque opera in corrigendis editionibus ſacrorum Bibliorum, non modo Surrenti, ſed etiam literarum lumen, & ornamentum, quum Codicem quemdam ex Archivo Nolano depromtum habuerit, nihil ex eo, ſi Caracciolo fides, publica luce dignum potuerit excribere, niſi ſancti Paulini epiſtolam ad Amandum, quam Baronio tradidit ſuis Annalibus inſerendam.

V. De hoc Agellio Silos Hiſtor. Cleric. Regular. plurib. in loc. & Johann. Baptiſt. de Tuſo Cler. Regul. In Hiſt. ſuæ Religionis Italo Sermone cócinnata paſſim, & præſertim tot. c. 70. pag. 271. & ſeq. ubi eum vocar *D. Antonio d' Ajello*.

Ughell. ubi de Epiſcop. Acernen. alioſque.

Caracciol. loc. cit.

V. Quod autem e re noſtra eſt, ſi licet heic conjecturis agere, veroſimilius putamus in hoc negotio diſcedentes a Romæi jam enarrata ſententia, templum antea Idolorum dedicaſſe Surrentinos non S. Felici Seniori Epiſcopo Nolano, ſed ſancto Felici Presbytero, & Martyri Hermiæ filio, cui cognomen fecere in Pincis, ut ait Ughellus de ſancto Felice Epiſcopo Seniore loquens; quo nomine *in Pincis* Romam indicari non Nolam putant. Et re vera in deſcriptione portarum Urbis ab Anonymo exarata, quam vide apud doctiſſimum Blanchinum, (de cujus nupera morte opinione omnium majorem animo cepimus dolorem; nam amico amiſſo cum conſuetudine jucunda, tum multorum officiorum con-

junctione nos privatos, & Rempublicam literariam interitu tanti viri ſummam jacturam feciſſe dolemus) dicitur inter portam S. Petri, & portam, ac viam Salariam fuiſſe templum S. Felicis in *Pineis*. Circa quæ verba in Notis legitur: *Præſtat legere in Pincis. Erat enim in Colle Pincio non longe a Porta Pincjana, ut communis Antiquariorum opinio fert*. Et ſane videndus ea de re Martinellus, & Bollandus in ſancto Felice. Verum cur non poteſt conjici a Pinibus Pineum illum collem dictum, & inde corrupte in vulgus *Pincis* effluxiſſe?

Tom. 2. Anaſt. Biblioth. ſect. 4. pag. 132. In Prolegomen.

Bolland. loc. cit. §. 5. n. 17.

VI. Ad credendum vero Surrentinum Idolorum templum poſt repurgationem huic ſancto Felici, quem in Pincis dicunt, fuiſſe dicatum hac potiſſimum conjectura adducimur, quod eo tempore fama ſanctimoniæ, ac miraculorum, quæ meritis hujuſce ſancti Felicis Deus edebat, longe, lateque diffuſa totum Orbem in illius admirationem, venerationemque adeo traducebat, ut nulla locorum longinquitate, nullis itinerum difficultatibus, nulla viarum aſperitate detinerentur, quin ex omnibus fere terræ partibus ad ejus ſepulcrum turmatim fideles, ac venerabundi confluerent. Id innuit S. Auguſtinus de S. Felice, ejuſque Baſilica pluries differens. Quod etiam annotavit ita Baronius: *Vix credi poteſt (ſuperant enim humanum captum) quot Deus per S. Felicem miracula ſit operatus. Adeo enim increbuit fama virtutum ejus, ut ab extremis Orbis finibus ad ſacrum ejus ſepulcrum fideles ſupplices adventarent*. Et

S. Auguſt. juxta Ordin. PP. S. Maur. T. 2. epiſt. 78. n. 3. pag. 139. & Tom. 6. In lib. de 8. Dulc. Quæſt. quæſt. 2. n. 2. pag. 95. Et eod. Tom. in lib. De Cura gerend. pro mortuis c. 1. n. 1. pag. 375. & cap. 26. pa. 385.

Baron. In Not. ad Martyrol. R. die 14. Januarj

Et teſtatum reliquit præ ceteris Antonius Caracciolus his verbis : *Ad S. Felicis ſepulcrum ſoliti paſſim accurrere viri ex omni Chriſtiano Orbe quamplurimi fama miraculorum ejus , virtuteque permoti .* Quod idem Bollandus ex ſancto Paulino colligit . Et eruditiſſimus Muratorius , (qui nec decem fuiſſe Natales Sancti Felicis a S. Paulino elucubratos , ut antequam opuſculum Dungali vetuſti ſcriptoris tempore Ludovici Pii , & Filiorum viventis prodiiſſet , tenebatur ; neque quindecim , ut ipſe Dungalus innuebat , fragmenta ex iis , qui ignoti erant , producens , ſed quatuordecim tantum propugnat a ſancto Paulino cantatos , & quatuor poſtremos , qui in perditis , ac deſperatis habebantur , ſumma eruditorum lætitia , & literarum emolumento non exiguo nuper in lucem aſſeruit) in Notis ad verſum XI. Natalis XI. & primi ex illis a ſe editis ſubdit : *Ipſaque Roma , tot licet ſanctorum cœtu ſublimis , tota pene ſuis e ſedibus ſolvebatur , ut glorioſi Confeſſoris ſepulcrum inviſeret .* Quod ibi ſanctus Paulinus ſatis luculenter carminibus exprimit . Idemque Muratorius iterat in diſſertationibus , quas quatuor a ſe editis Sancti Felicis Natalibus attexuit ; inquit enim : *Pauca & heic de ſancto Felice animadvertere libuit , cujus olim adeo celebris miraculorum fama fuit , ut ad eum undique populi concurſus foret ; nullaque pars Orbis haberetur , quæ tantum non coleret ſanctum .* Ubi inſuper productis pluribus ſancti Paulini auctoritatibus ex ipſis quatuor S. Felicis Nata-

S.Paul. In Natal.3.S.Felic.

Murator. tom.1. Anecdotor,in pricip.

An S. Felix Martyr. fuerit. V. Fr. Raymundum Capizuccum In Controver. Theolog. Selectis. Romæ edit.ann.1610 pag.701.§.4, controv.21. quæſt. 1.

Idem ibidem Differt.14.in principio .

Natalibus deſumtis uſque ad ſua tempora ignotis luce ipſa clarius probat, ſanctum Felicem non circa Theodosj tempora vixiſſe, ut inepte Chriſtophorus Phreiſlebius: non circiter annum Chriſti 300. obiiſſe, ut Henricus Fabricius: non ſub annum 310., ut Haræus: neque non longe poſt annum 312., ut Michaël Monachus exiſtimat, quam, & aliorum, & probabilem opinionem vocat Bollandus, quum mortuum eum velit, data Eccleſiæ pace; in quod etiam inclinat Marius de Vipera in Catalogo ſanctorum, quos Eccleſia Beneventana celebrat, die 14. Januarj; ſed ſecundo Æræ Chriſtianæ ſeculo floruiſſe. Ex quo etiam infertur contra ipſum Bollandum, qui ſcripſit: *Ætas S. Felicis a ſancto Paulino non exprimitur*; ab ipſo ſancto Paulino in Natalibus S. Felicis tempus, quo in vivis erat, fuiſſe indicatum. Hinc plures in Italia ſacra Ughelli, ubi de Epiſcopis Nolanis agitur, poſſunt Anachroniſmi emendari. Quæ quum ita ſint, veroſimilius putandum judicamus apud Surrentinos, qui ea tempeſtate fanum illud dedicari curarunt, qua potiſſimum S. Felicis Presbyteri fama miraculorum recens, & in dies aucta omnium ad illius venerationem Fidelium animos alliciebat, hujus potius, Hermiæ ſcilicet filj, quam illius Senioris Epiſcopi nomine templum inauguratum. His accedit, quod ea ætate non adeo vulgata erant S. Felicis Senioris Epiſcopi merita.

Bolland. loc. ſæpe laud. §. 6. n. 20.

VII. Neque quidquam officit, quod omnes Codi-

Codices, & vitæ ſancti Baculi ſcriptores dicatum conſtanter tradant illud Idolorum templum ſancto Felici Epiſcopo. Liquet enim & ipſum S. Felicem Presbyterum vel amanuenſium vitio, vel ſcriptorum inſcitia Epiſcopum etiam appellatum. Capuanum ſane Breviarium, teſte Caracciolo, S. Felicem patre Hermia in Oriente natum, Nolam profectum, ejuſdemque Urbis creatum Epiſcopum refert. Et utrumque Uſuardi ms. Martyrologium, quod in monaſterio ſancti Germani Pariſiis aſſervatur, eumdem S. Felicem Epiſcopum presbyteri loco nuncupat, ut advertit Bollandus; & poſtremo Catholicorum quoſdam ſecutus ipſe etiam impudentiſſimus ex Heterodoxis Georgius Fabricius Chemnicenſis S. Felicem, cujus laudes ſanctus Paulinus tot carminibus proſecutus eſt, Epiſcopum fuiſſe ſtatuit, a quo *longe fuge, fœnum habet in cornu*; præ ceteris enim patribus ipſum Paulinum perfricata fronte ſuggillat; quod in ſancto Felice celebrando nimius fuerit. En quo proceſſit impudentia, & hujuſce perditiſſimi hominis audacia, ut minime ſibi temperaverit, neque dubitaverit, vetuſtiſſimi, beatiſſimique illius ſeculi Patres, ſanctoſque iniquo dente corrodere! Sed ut, unde digreſſi ſumus, redeamus, potuit ſane ut in laudatis codicibus minus recte, ita in ſancti Baculi actis ſancto Felici Presbytero dignitas Epiſcopalis attribui.

Caracc. loc. ſæpe cit.

Bolland. die 14. Januarj Tom. 1. In Comment. prævio §. 1. n. 2. pag. 937. V. eumdem ibidem §. 4. n. 14.

CA-

CAPUT VI.

Quæ reliqua ſunt in tertia Lectione explanantur .

I. TErtia ſancti Baculi Lectio tribus miraculis concluditur . Commemoratur primum minax illa , ac truculenta apparitio , qua magnis terroribus Saracenos perculſit . De qua videſis , quæ in Commentariis ad Lectiones ſancti Antonini abunde diſſeruimus . Aliud vero ſuaviſſimus odor , qui e ſancti Baculi detecto ſepulcro actutum exilivit , integrum templum replevit , vicinoſque habitatores mirifice recreavit . Poſtremum de graviter affecto Æedituo , & confeſtim ſanitati a ſancto Baculo reſtituto . De his poſtremis duobus breviter aliquid annotare libet , & primo ſcrutari , num ſuave olentes illi halitus naturaliter a ſepulcro prodire potuerint .

Vandhal. Hobbes. Rivetus, aliique Heterodoxi.

II. Non nobis heic animus eſt rem aggredi cum pervicacibus illis Hæreticis , qui in rerum univerſitate nihil contra , vel ſupra naturæ ordinem contingere poſſe exiſtimant , quique proinde , etſi Chriſtianos ſe fateantur , ad Atheorum confinia quam proxime videntur accedere . Sed cum iis Philoſophis diſputatiunculam inimus , qui Naturæ nomine rerum conſtitutionem , proprietates , effectus , inditumque a ſupremo rerum Conditore curſum , ordinemque intelligunt ; ut , exempli cauſſa ,

ſa, ignis nomine concipiunt corpus ſponte ſua calorem, ſiccitatemque inferens, motu rapidiſſimum, ſubtiliſſimum, rerumque meatus exiliſſimos permeans; ut proinde in ſolida plura, compactaque corpora penetrare, eaque diſſolvere, duriſſimoſque lapides exurere, & in calcem redigere queat. Quod ſi audierint, vel viderint hominem aliquem in igne, ubi nihil aëris includitur, jucunde reſpirare, & ſine dolore, ac valetudinis noxa vitam vivere, ac delectari, non ab igne hæc provenire, ſed ab ipſo rerum conditore, qui ignis inditam activitatem retundit, & oblectamenta illa producit, jure merito arguent.

Idipſum in noſtra hypotheſi quiſpiam attente rimari poſſet: Num ſepulturæ, quò cadavera illata ſint, eam naturam, & conditionem obtinuerint, ut putridos ſemper, fœtidoſque halitus emittere adigantur, nunquam ſponte ſua ſuaviter olere poſſint. Præſertim quum experientia conſtet, terram recens excavatam, naribuſque admotam laxos quandoque viros reficere, deperditoſque ſpiritus reparare.

Mira de ſepulcris quandoque alia phœnomena enarrantur: quandoque lucernas ibi accenſas inventas fuiſſe, ubi præ aëris denſitate haud durare potuiſſent, quum flamma ad ardendum, & materia, & ea aëris raritate indigeat, quæ ad animalium reſpirationem neceſſaria eſt: quare in ferventibus cryptis vinariis, ubi homines anheli-

tum ducere nequeunt, flamma quoque ipſa hebeſcit, atque extinguitur. Et quamvis Petrus Gaſſendus experimentum de lucernis accenſis inficietur: negare tamen nequit ignes quoſdam fatuos repente in eorum effoſſione prodiiſſe, & mirum in modum e tenebris putrefacta oſſa micaſſe. Idipſum quiſpiam de odore fœtoris loco emanante contingere poſſe fortaſſe ſuſpicabitur.

Ariſtot. De ſenſor. cap. 2.

III. Gignitur enim odor juxta Ariſtotelem *ex fumida quadam plerumque cæca exhalatione*, quæ ſecundum experimentales Philoſophos, ſcitoſque Pyrotechnas emanat e corporibus ſulphure nimium, ſalibuſque ſcatentibus.

Plat. in Tim.

Duorum generum odores facit Plato, ſuavem ſcilicet unum, & amicabiliter, ut ipſe inquit, in nares ſe ingerentem, alterum moleſtum, exaſperans, & violenter agens.

Idemque aſtruit Lucretius inter moleſtos, inimicoſque odores cadaverum combuſtorum halitus in primis recenſens: inter gratiſſimos vero Cilicos, Crocos, Panchæaque cinnama:

Lucret. De Rer. natur. lib. 2.

Neu ſimili penetrare putes primordia forma
In nares hominum, quum tetra cadavera torrent,
Et quum ſcena Croco Cilici perfuſa recens eſt;
Araque Panchæos exhalat propter odores.

At vero triplicis generis potius faceremus, ſcilicet, ſuavium, moleſtorum, & lethalium, cujuſmodi ſunt halitus, qui ex lacubus Avernis, ſeu Aornis, vel Mephitibus, ex quibus *mortifera quædam pars eſt*, ut ait Tullius, quaſque lepi-

Tull. de Divin. lib. 1. circa medium.

de

de Plautus Acheruntis oſtia vocat ; aut Arſenicales halitus, qui proſiliunt ex carbonibus, quum in clauſo conclavi accenduntur, &c.

Plaut. in Trinumm.

IV. Illud autem in primis pro re noſtra conſideratione dignum eſt : quandoque hoſtiles, ingratoſque halitus in ſuaviſſimos, ac delectabiles odores verti, ſi cum aliis commiſti fermenteſcant, & ita conterantur, ut per aërem effuſi os cribriformæ facile tranſilire, & utroſque cerebri proceſſus mammillares leni motu ciere valeant. Ex eo ſiquidem blando motu, ut Cicero adverſus Epicurum contendit, delectatio omnis, jucunditaſque percipitur.

Boyl. De Productión. odor.

Plura circa odores experimenta tentavit Chimicæ artis ſcitiſſimus Robertus Boyl; quibus patefecit ex commiſtione corporum minime olentium quandoque excitari odorem, ut ſi vivam calcem cum ſale Ammoniaco conteras, quemadmodum ipſi pluries ſumus experti ; duo hæc corpora ſeorſim inodora, conjunctim acutiſſime olere ſenties, & catarrhis epiphoram, ſurditatemque inferentibus apprime proficere. Aliquando commiſtione corpus conſueto odore deſtituitur, ut ſi camphoram in vitrioli oleo diſſolvas, & in pura aqua liquefacias, odorem ſuum amittit.

Interdum commiſtione corpora odorem immutant, ut terebinthum cum duplici portione olei vitrioli diſtillatum non ulterius terebinthum, ſed ſulphur redolet: aliaque ſimilia vide apud eumdem Boyleum.

Sed quod ad rem noſtram dirimendam proximius accedit, ex commiſtione duo corpora, alterum odoris expers , alterum male olens , vel fœtidum jucundiſſimo odore fragraſſe compertum eſt ; idque experiere , ſi margaritas inodoras in ſpiritum vitrioli inſuaviter olentem immittas , & diſſolvas , in diſſolutione ſuaviter olere comperies .

Interdum aliqua graviter , moleſteque olentia corpora ſolis calori expoſita jucundam ſuavitatem concipiunt , ut pus in abſceſſu Fibri terreſtris generatum graviſſime olens , ſi æſtivis ſolibus aliquot dies exponatur , dulce , blandiſſimeque olet , & *Moſchus* indigitatur .

Jacob. Rohault. in Phyſic. p. 1. cap.25. art.12.

Quiſque autem ad hæc attendens ſolo temporis ſpatio corpora odorem mutare , mutationum breviter hanc rationem fortaſſe tradet , quod gratus odor adveniat ex particulis, ſeu effluviis corporum ſubtilioribus , qui blandius , & delicatius vellicant interiores , ut diximus , narium caruncułas ; fœtor vero , & graveolentia oriatur, quum ab effluviis craſſioribus , lentioribuſque eadem naris membrana , & nervi olfactorii afficiuntur , atque agitantur ; quocirca , ubi odora illa effluvia mutantur , vel attenuantur , ex tetris , & graveolentibus poſſunt ſuavia , & grata evadere.

Quibus poſitis , non excedere naturæ vires aliquibus fortaſſe videbitur , ſuavis ſi quandoque odor ex ſepulcris pro fœtore exiliat , vel ex commiſtione Mineralium corporum , quæ in ſepulcris ſponte

ſponte ſua provenire compertum eſt , & fermenteſcere , atque priorem ſtructuram poſſe immutare .

V. Nihilominus & Religioni , & rationi conſentaneum magis putamus odorem illum potius divinæ omnipotentiæ ultra præſcriptum rerum ordinem mirabiliter operanti tribuendum .

Religioni quidem , ac pietati , ut *mirabilem Deum in ſanctis ſuis* , & nova producentem , ad conteſtandam ſervorum ſuorum ſanctitudinem prædicemus . Ratio vero idipſum ſuadebit , ſive putes cum Peripateticis odorem qualitatem eſſe fumidis corporibus inhærentem , & cum udis vaporibus , vel ſiccis exhalationibus vaporantem ; ſive cum recentioribus Philoſophis , qui Democriti Philoſophiam inſtaurarunt , & qualitates nihil aliud eſſe rentur , quam varios motus , quibus ſenſoria organa afficiuntur a contactu , pulſu , & intruſione exilium particularum corporearum vario ſitu , motu , ordine , poſitura , figura , & mole affectarum , atque combinatarum . Etenim , utcumque ſenties , illud nunquam comperies , eoſdem hominum ſenſus æque , ac ſimiliter ab iiſdem ſenſibilibus rebus affici , præcipue a ſaporibus , & odoribus . Leucophagium , quo ſummopere aliqui delectantur , ab aliquibus guſtatum ſtomachum movere , & nauſeam experimur . A ſuaveolentiſſimis Fragis quandam novimus tanto putore affici , ut deliquium pateretur . Paſtillorum odore Ruffillus ille Horatianus delectabatur : Gorgonius

nius

Digitized by Google

nius hircino fœtore : ſexcenta hujuſmodi alia experimenta in vulgus palam reperies .

Horat. primo Serm. Satyr. I.

Paſtillos Ruffillus olet , Gorgonius hircum .

Cur ita ? quia in diverſis hominibus olfactoria organa varie a natura conſtructa ſunt .

Porro propter odorem e ſancti Baculi ſepulcro , vel Lipſanis erumpentem omnes æque innumeros , qui præſentes aderant , Cœleſti quadam ſuavitate perfuſos fuiſſe hiſtorici concorditer narrant . Quis igitur pervicax adeo erit , & obſtinato animo , ut illum mirabilem , ac portentoſum fuiſſe , & extra naturalem ordinem emanaſſe inficietur ?

Reliquum nunc eſſet , ut idem proſequeremur de repentina laxatione , vel nervorum reſolutione paſſa a Sergio Ædituo , & de ſubitanea in ſanitatem reſtitutione . Verum quia longiori hæc indigerent Diſſertatione de nervorum ductibus , ſpirituumque permeatione per eoſdem , atque obſtructione , libenter abſtinemus , ne plus nimio ſacris lucubrationibus aberrantes ad Phyſicas abduci patiamur .

VI. Non præteribimus interim aliquid aucupari de tempore , quando hæc inciderint miracula , & qua tempeſtate Sergius hic vixerit , & Stabienſis Epiſcopus fuerit renuntiatus , quod non ita facile eſt decernere . Duos ſiquidem Epiſcopos Sergj nomine appellatos in ſacris Stabienſis Eccleſiæ faſtis offendimus apud Ughellum ; alterum ſub annum 700. , quem illum putat eſſe Ughellus , de quo in

Ughell. tom. 6. Ital. ſacr. De Epiſc. Stabien. n. 4. pag. 657. , & n. 7. ejuſdem pag. ult. edit.

in vita ſancti Baculi; addit enim: *De eo lege, quæ narrantur in Surrentinis actis ſancti Baculi*. Sub annum 1120. alterum, quem potius Sergium illum Surrentinum exiſtimat eſſe Capacius de hoc Sergio ſcribens. *Qui poſt Idolorum templum Surrenti everſum, & Divo Felici Epiſcopo Nolano dicatum, quò ſancti Baculi corpus tranſtulerant, quod columnam altaris, in quo Baculus condebatur, non pio animo ſuſtinere voluit, lateris dolore oppreſſus, & dimidia corporis parte debilitatus aliquandiu vixit: profuſis vero multis lacrymis Baculo ſupplicans ſanatus eſt, & Pontifex Stabianorum factus*. Quæ verba poſtquam retulit Ughellus, de ſecundo Sergio loquens ſubdit: *Sed plura ante ſecula everſum Idolorum templum Surrenti, & Divo Felici dicatum, unde mihi ſuſpicio eſt, longe diverſum eſſe Sergium hunc ab illo, qui virtute ſancti Baculi ſanus factus eſt*. Verum ex actis ſancti Baculi nihil certi hac ſuper re colligi poteſt. Quapropter quum conjecturis omnibus deſtituamur, quid ſtatuendum ſit, non videmus: attamen in Ughelli potius ſententiam concedimus; veroſimilius enim eſt Surrentinos duodecimo ſeculo citius ſancti Baculi ſepulcrum reddidiſſe venuſtius, & columnis ornaſſe, præſertim quod ex actis inferri videatur Sergium ſupra ſepulcrum, & circa altare quatuor columnas erexiſſe, quaſi vellet umbraculum, ſive umbellam marmoream ſupra illud conſtruere, ut Gothice fieri ſolebat, utque in pluribus vetuſtioribus Eccleſiis Romæ obſervamus. Qui mos duode-

decimo ſeculo antiquior, & frequentior fuit. Quibus omnibus accedit, quod columnas illas non ingentis magnitudinis fuiſſe colligatur, ſed ejus, ut una potuerit Sergj humeris quodammodo ſuſtineri, ſicut plerumque eſſe videntur illæ, quas circa altaria Gothice conſtructa conſpicimus.

Explicit III. Diſſertatio.

Digitized by Google

DISSERTATIO IV.

In Lectiones ſancti Renati Andicavorum pridem, poſtea Surrentinorum Epiſcopi.

IN noſtris hiſce lucubrationibus inſtituendis temporis ordinem minime ſectati ſumus; egimus enim primo de ſancto Antonino, qui ſancti Renati ævo longe poſterior floruit; propterea quia illum ut præcipuum Surrentinæ Eccleſiæ Tutelarem attendentes, principem locum tribuendum eſſe duximus. De ſancto Catello poſterius diſſeruimus, quod hujus vita ita cum priore conjuncta eſt, ut abſque turbatione, & confuſione hiſtoriæ nequeat ſeparari.

Deinde ſanctorum Epiſcoporum diſſertationes adorſi a ſancto Baculo initium fecimus; quod hunc antiquiſſimum omnium Divorum Surrentinæ Eccleſiæ Epiſcoporum, quantum conjectura aſſequi potuimus, cenſeamus. Sancto autem Baculo ſucceſſiſſe putamus ſanctum Renatum, cujus modo lucubrationem aggredimur.

Digitized by Google

SECUNDI NOCTURNI.

LECTIO I.

RENato Andicavenſi nomen fecit eventus, quo puer morte præreptus, vitæ eſt reſtitutus, impetrante beato Maurilio Mediolanenſi Andicavenſium Antiſtite; cujus precibus, & jejuniis parentes alioqui ſteriles natum antea debebant. Adoleſcens Epiſcopi ſui, qui ei multis nominibus parentis erat loco, diſciplina inſtitutus, ætatis florem ingenj, ac pietatis maturitate antevertit; brevique ea cum doctrinæ, tum ſanctitatis laude floruit, ut, Maurilio ipſo ſanctiſſimo, ac miraculorum gloria celebri vita functo, in ejus cathedram ſuffectus ſit: quam per aliquot annos ſancte, ſapienterque tenuiſſe Andicavenſis Eccleſiæ monimenta literis conſignata teſtantur.

LECTIO II.

ROmam deinde, dum Vandali pleraſque Galliæ oras, Eccleſiaſque vaſtarent, religioſæ peregrinationis cauſſa pervenit. Inde Surrentum appulit, ubi in remota illorum montium ſpelunca ſolitudinis, atque aſceticæ vitæ ſtudioſus aliquandiu delituit. Verum, quoniam nullis obvolvi tenebris, nulliſque latebris occludi poteſt, quin ſua in medium luce prodeat præclara virtus, a Surrentinis ſumma diligentia, vehementique animorum ſtudio expetitus in Epiſcopum a Clero cooptatus eſt, ſedente ſancto Bonifacio

facio I. Summo Pontifice, & Honorio in Occidente imperante. Hujus Eccleſiæ præfecturam tanta prudentia, atque Eccleſiaſticæ diſciplinæ zelo adminiſtravit, quanta humilitate, ac ſe occultandi ſtudio, ne ſibi deferretur, reſtiterat. Benignitatis porro, ac patientiæ, ceterarumque Paſtoralium virtutum ornatus meritis migravit in Cœlum pridie nonas Octobris.

LECTIO III.

MOrtui reliquias Andicavenſes ſummo ſtudio expetiverunt. Rejecti primo a Surrentinis, deinde, interpoſita Romani Pontificis auctoritate, nonnullas impetrarunt. Eæ ad hanc uſque diem Andicavi in Eccleſia Cathedrali magna populorum frequentia recoluntur. Reliquum ſancti viri Corpus Surrenti in Eccleſia ejuſdem nomini dedicata monachorum Caſinenſium adhuc aſſervatur. Quod quum primum effoſſum eſt, inſigne miraculum enituit, cæco puero ex nobiliſſima familia Serſale in luminis uſum reſtituto. Quæ res publico teſtimonio ſatis fide digno conſignata eſt. Ejus porro patrocinium ſæpius experti ſunt Surrentini, ac tum præſertim, quum, Rodoaldo Beneventi Duce civitatis mœnibus imminente, præſenti libertatis, ac vitæ periculo erepti ſunt, ſatagente Agapito Antiſtite, qui ad urbis defenſionem ſanctorum Renati, & Valerj reliquias, tamquam firmiſſimum præſidium felici ſucceſſu adhibuit.

Digitized by Google

CAPUT I.

De ſcriptoribus vitæ ſancti Renati.

I. DE ſancto Renato prius Andicavenſi, deinde Surrentino Epiſcopo, & Patrono præter notitias, quæ reperiuntur apud noſtrates ejus vitæ ſcriptores Davidem ſcilicet Romæum, Paulum Regium, Ughellum, P. Philippum Ferrarium, Zacconium, & apud Hiſtoriographos Cæſarem Capacium, Summontium, Caraſam, alioſque, & poſtremo apud Nicolaum Giannettaſium, quædam etiam leguntur apud Claudium Robertum, Andream Sauſſay, qui hujuſce ſancti vitam Martyrologio Gallicano inſeruit, apud Franciſcum Belloforeſtum, Renatum Benoit Parœcum Pariſiis, qui magnam excitavit ibi in ſanctum Renatum devotionem, atque omnium poſtremum, quod ſciamus, A. Baillet Gallos auctores. Præterea de eodem ſancto mentio quoque extat apud omnes fere eos, qui ſancti Maurilj Andicavenſis Epiſcopi vitam ediderunt, & præſertim apud Marlodum, Vincentium Bellovacenſem, Petrum de Natalibus, ſanctum Antoninum Florentinum, Petrum Bleſſenſem, Petrum Ribadineira, alioſque.

David. Rom. In Libell. de quinq. Div. Præſidib., ac Cuſtod. Urb. Surr. Paul. Reg. loc. cit.

Abb. Ughell. In Ital. Sacr. t. 6. ubi de Epiſc. Surrent.

Ferrar. In Catal. ſanct. Ital. die 5. Octobris, & in Topograph. Martyr., & in Catal. general. SS., qui in Martyrol. Ro. nõ ſunt.

Cæſar. Capac. In Hiſt. Neap. lib. 2. cap. 12. 3. Non. Octobris.

Nicol. Giannett. In Hiſt. Neap. Decad. 1. l. 1. pag. 35.

Claud. Robert. In Gall. Chriſt. tit. Andecavnin.

Andr. de Sauſſay. In Martyr. Gall. p. 2. pridie Idus Novembris.

Belloforeſt. Vitã S. Renati excerſit ex ms. & editis a Renat. Bened.

A. Baill. tom. 3. De les vies des ſaints ad diem 12. Novembr.

Marlod. In Vit. S. Maurilj carmine leonino ſcripta.

Bellovac. l. 17. ſpecul. Hiſt. c. 20. Cluniac. In Tract. contra Petro Buſianos. In Bibliot. PP. tom. 22. pag. 1074.

S. Anton. Floren. p. 2. tit. 10., vel 20. cap. 13. Petr. Bleſſen. In Epiſtol.

Ribadineir. In Flor. ſanctor. p. 2. ad 13. Novembris.

CA-

CAPUT II.

De tempore, quo in vitam ingreſſus fuit ſanctus Renatus.

I. IN prima Lectione ex illis Neapoli editis commemoratur S. Renatum adhuc puerum e vita ereptum lucis uſuræ reſtitutum fuiſſe a ſancto *Mauritio* Andicavenſi Epiſcopo, ubi primo monitum volumus Lectorem *Maurilio* pro *Mauritio* omnino ſubſtituendum, ut legitur in Romano Martyrologio, ibidemque notat diſertiſſimus Baronius, & apud Uſuardum, Adonem, & quotquot aut ſancti Maurilj vitam, aut perquam inſigne miraculum reſurrectionis ſancti Renati recenſent.

Martyrol. ad die 13. Septembris, ubi Baronius nota C.

II. Scribunt enim ſanctum Maurilium Mediolani ex clariſſimis parentibus natum a ſancto Martino Turonenſi, dum in Inſubribus verſaretur, ad ſcientiam ſanctorum mirifice inſtitutum fuiſſe. Doctorem ſuum in Galliam profectum, & Turonenſium Paſtorem factum ſecutus eſt Maurilius, ubi Andicavenſes cognita ejus virtute, & chariſmatis, quibus a Domino donatus erat, ſuadente etiam ſancto Martino, ſuæ Eccleſiæ præfecerunt, in qua inſignia miracula ad ejus preces patratus fuit Deus; inter cetera infœcundis, mœſtiſſimiſque parentibus maſculam prolem impetravit. Verum tenellus adhuc puer lethali morbo cor-

corripitur, mœrens mater ad Maurilium defert, ut vel ſanam valetudinem extreme laboranti obtineat, vel ſacramento Confirmationis ejuſdem animam potiori dignitate adaugeat. Sacrum ea conficientem offendit Antiſtitem, in quo abſolvendo quum longius cunctaretur, animam puer efflavit. Diro proinde dolore angitur Maurilius, ſcrupuliſque vexatur; ſeipſum inſcitiæ, deſidiæque arguit, ineptumque regendæ Eccleſiæ ducit, ac pœnitentiæ ergo diu quà terra, quà mari vagatur, quouſque ad minoris Britanniæ quoddam litus deſcendit.

Andicavenſes interim luctu, atque triſtitia perditi ad Paſtorem ſuum quæritandum exploratores legant, a quibus ferunt poſt ſeptennium inventum, deque reditu ad Eccleſiam enixe, vehementerque rogatum. Annuit Altiſſimus, miriſque viſis, ut redeat, ſuadet, ac defuncti quoque pueri reſurrectionem pollicetur. Exitus divinam ſponſionem probavit; defunctuſque puer ad vitam iterum revocatus, nomenque *Renatus* inditum. Hæc inter cetera habentur in vita ſancti Maurilj, quam Baronius, aliique Venantio Honorio Clementiano Fortunato, Epiſcopo Pictavienſi, qui paulo poſt annum 600. e vivis exceſſit; alii, quod in eadem vita *Fortunatus* ipſe laudatur, ſancto Gregorio Turonenſi tribuunt, qui plurima alia ſanctorum geſta, miraculaque collegit.

Baron. loc. cit.

III. Verum naſutus criticus Johannes Launojus duabus diſſertationibus tantum ſane teſtimonium

Laun. In Vit. S. Renat. Andicavéſ., & in ejuſdem Apolog.

nium tam eximio miraculo, more ſuo, conatus eſt adimere, contendens eam vitam neque Fortunati, neque Gregorj Turonenſis opus eſſe, ſed potius Raynonis Epiſcopi Andicavenſis, vel Archanaldi, qui floruit ſeculo X., in quo ſolenne fuit, ut ipſe effutit Launojus, ſanctorum geſta multis confictis, ac ſpecioſis miraculis, ſcitiſque fabellis adornare. Launoy ſententiam lubens, ac toto ſinu excepit A. Baillet.

Baillet. tom. 1. Dans les vies des ſaints 13. Januarj.

At fruſtra profecto eſt, quod Critici iſti in ſanctorum miracula infenſi laborent. Hoc enim miraculum ſtabili, miraque conſentione tamquam indubium referunt omnes vitæ ſancti Maurilj ſcriptores, & præ ceteris illud recenſet Venerabilis Petrus Cluniacenſis, qui ſcripſit circa annum 1126.; de ſancto enim Maurilio verba faciens inquit: *Alter vero longe poſt Apoſtolorum tempora puerum, quem propter hoc etiam poſtea Renatum vocavit, ſeptem annos integros jam in monimento habentem excellentiſſimo miraculo ſuſcitavit*. Fuſius hoc idem refert *Marlodus*, qui carmine leonino ſancti Maurilj vitam condidit, & circa annum 1123. e vita exceſſit. De eodem excellentiſſimo miraculo mentio eſt apud Vincentium Bellovacenſem Ordinis Prædicatorum, qui claruit circa annum 1244., apud ſanctum Antoninum Archiepiſcopum Florentinum ejuſdem Ordinis, & Petrum de Natalibus.

S.Petrus Damian.

Petr. Clun. In Epiſt., ſeu tract. contra Petro-Buſianos, quæ habetur in Bibl. PP. tom. 22.pag.1074. lit.G.

Vinc. Belov. In ſpecul.Hiſt.lib.17. cap.20.

S.Anton.InSumm. Hiſt. p.2. tom.10. cap.13.

Petr. de Natal. in Catalog. Martyr.,& ſanct.lib.8. cap.75.

Hujuſce etiam miraculi meminit, licet ſuppreſſo ſancti Renati nomine, Lippomanus apud Surium, An-

Sur. Tom.5.die 13. Septembris in fin.

Andr. de Sauſſay In Martyr. Gall. l. cit. Ribadineira In Flor. ſanct. p. 2. die 13. Septembris. Petrus Cantor. Pariſien. verbo abbreviato cap. 74.

Andreas de Sauſſay, & Petrus Ribadineira Societatis Jeſu in vita Sancti Maurilj circa finem, & Petrus Cantor.

IV. Verum mirari non deſinimus, qua fronte piis, religioſiſque X. ſeculi ſcriptoribus tantam potuerit impietatem appingere Launojus, quaſi hi data opera ſanctorum geſta aſcitis aliunde figmentis corruperint. At is conſuetus eorum mos eſt, qui, ut aliis magis ſapere ipſi videantur, ſcriptorum auctoritati, fideique per fas, & nefas conſulto ſtudent derogare.

Scimus quę Pagius in Not. ad Anaſtaſ. Bibl. de S. Cœleſtin. ſub Theodosj tempora 423. vivente, quem lege apud 3. tom. Anaſt. Biblioth. cum Not. Varior. nuper. ab Illumo Franciſco Blanchino edit. ſect 62. pag. 97. in Proleg. ait Pagius: *Licet autem tā multa in ſāctor. Hibernorum vitas irrepſerint fabulis ſimillima, Patricianæ tamen Hiſtor. Chronotaxim veroſimilib. conjecturis innixus Bollandus digeſſit.*

Nos equidem inficiari non audemus quoſdam circa X. ſeculum florentes, vel etiam anteriores auctores nonnulla poëtarum figmenta, vetuſtiorumque temporum fabellas, quæ quodammodo veri ſpeciem præſeferebant, nimia illius tempeſtatis ſinceritate, credulitateque hauſtas ſuis hiſtoriis, libriſque inſeruiſſe, atque ut veras adoptaſſe. Sed nunquam aſſeremus eoſdem hos omnia quædam, & commenta ſuo marte, ac nullo fundamento excogitaſſe, eaque tanquam veras, certaſque hiſtorias poſteritati credenda propoſuiſſe. Quod eo minus ſacros Auctores in Eccleſiaſticis rebus, & præcipue in deſcribendis ſanctorum vitis feciſſe, credendum eſt. Secus enim quæ fides antiquis illis Martyrologiorum ſcriptoribus, ac Biographis, qui circa ea tempora libros ſuos concinnarunt?

V. Aſt quid immoramur in hujuſmodi criticis, qui quoſque mordendi libidine abrepti ne re-

recentioribus quidem ſcriptoribus virulentis eorum dentibus pepercerunt. A. enim Baillet, qui a Launojo, vel a Riveto heterodoxorum maledicentiſſimo critico acriter carpendi audaciam mutuatus eſt, ſtomachum, atque acerbitatis virus evomuit in Andream de Sauſſay injuriarum, quibus illum inceſſit, auctorem faciens Papebrochium, qui revera in Sauſſay lenius, ac modeſtius agit. Neque minus audacter in Petrum Ribadineira, nonnulloſque alios inſurgit ſubleſta fide Baillet, qui Dei *mirabilis in ſanctis ſuis* opera ſaltem quodammodo enervare conatus eſt; contendit propterea ſimplici, jejunoque ſtylo ſanctorum geſta enarranda, multo aliter ac ſacris, prophaniſque pene omnibus ſcriptoribus uſuveniſſe exploratum eſt; & contra id, quod ratio ipſa ſuadet. Quandonam enim ſive exclamationes, ſive admirationes, ſive alias emphaticas id genus Rhetorices figuras, & ſchemata opportunius, aptiuſque adhibueris, niſi quum magnalia Dei, & ſtupenda quidem ſanctorum opera, ſive miracula, quæ nunquam ſatis pro dignitate efferri, exprimique poſſunt, tibi deſcribenda obveniant?

Baillet Dans les Diſcours ſur l'Hiſtoire de la vie de Saints pag. 61.

VI. Heic tamen obiter non omiſerimus annectere a Petro Ribadineira incurioſe nimis, atque oſcitanter ſanctum Maurilium dici Epiſcopum Antiſſiodorenſem, Gallice, *d'Auxerre*, non vero Andicavenſem, ut ab aliis communiſſime; In *Notitia enim XVII. Provinciarum Galliarum*, quæ prodiit tempore Theodosj ſenioris, ut diſertiſſime

Carolus a ſancto Paulo in Geograph. ſacra, ubi de Gallia pag. 123. recentiſſimæ edition.

monet Carolus a ſancto Paulo, *Andicavum*, ut ibidem ſcribitur, manet in tertia provincia Lugdunenſi ſub Metropolitano Turonenſi; Antiſſiodorum vero in quarta ſub Senonenſi Archiepiſcopatu.

VII. Porro ſanctus Maurilius vixit imperante Theodoſio Magno, ut docet Baronius, fuitque a ſancto Ambroſio minoribus initiatus ordinibus, ut ejus vitæ ſcriptores tradunt, produxitque ætatem uſque ad Honorj imperium; quare putamus circa finem quarti ſeculi auſpicatiſſimos natales obtinuiſſe ſanctum Renatum noſtrum.

CAPUT III.

De ſancti Renati diſceſſu a ſua Andicavenſi Eccleſia, & adventu Surrentum.

I. IN ſecunda lectione conſulto quidem dicitur, propter crudeliſſimas, immaniſſimaſque vaſtationes a Vandalis, aliiſque barbaris nationibus toti Galliæ illatas ſanctus Renatus Romam Chriſtiani Orbis caput, ac perfugium adveniſſe, indeque appuliſſe Surrentum. Perperam enim nonnulli putarunt eum pietatis ergo, ut ſcilicet ſacra loca inviſeret, tam longum iter aggreſſum, & poſtea ſolitudinis ſtudio petiiſſe Surrentum, ut in primis legitur in quadam Epiſtola ab Epiſcopo, & Capitulo Andicavenſibus ad Archiepiſcopum, & Capitulum Surrentinum data, quæ in Archivo ejuſdem

ejuſdem Surrentini Capituli cum reſponſione aſſervatur; quare exemplum illinc ad Nos miſſum heic tranſcribere non pigebit.

II. *Produnt Hiſtoriæ noſtrates infantem quemdam ante Baptiſmum mortuum a ſancto Mauritio Andicavenſi Epiſcopo Beati Martini diſcipulo ad vitam revocatum fuiſſe, eique quaſi bis nato ea cauſſa Renati nomen impoſitum. Hunc vero Mauritj diſciplina inſtitutum eidem in Epiſcopatu ſucceſſiſſe: quem Epiſcopatum quum per aliquot annos ſancte, ſapienterque geſſiſſet, limina Apoſtolorum viſitaſſe, indeque Surrentum profectum; ibi aliquandiu ſolitariam vitam egiſſe, tandemque ejuſdem civitatis Epiſcopum factum ibidem feliciter obiiſſe. Addunt monimenta noſtra Legatos ab Andicavis poſt mortem miſſos ad repetendum corpus Epiſcopi ſui; qui quum a Surrentinis repulſam paſſi fuiſſent, ad Summum Pontificem confugerunt, cujus juſſu corpus Andicavis redditum fuerit, & ab iis in Patriam adſportatum. Habemus præterea acta authentica, quibus conſtat, idem ſanctum corpus ſæpius ab Epiſcopis noſtris tranſlatum fuiſſe, & tandem in Eccleſia Cathedrali poſitum; ſed anno ſalutis 1563. quum ab Hæreticis Calvinianis in ignem conjectum fuiſſet, illis diffugientibus, Reliquias ſuperſtites collectas tandem a Carolo Andicavenſi Epiſcopo in capſam inauratam translatas fuiſſe, ubi in hunc uſque diem quieſcunt Altari ſancti Renati, quod eſt in capite Eccleſiæ, impoſitæ. Eæ porro magna in veneratione habentur, & tum civium, tum advenarum concurſu religioſe frequen-*

quentantur, præcipue a mulieribus ſterilibus. Locus donariis, & votivis imaginibus eorum, qui ejuſdem ſancti ope beneficia divina conſecuti ſunt, undique ornatus eſt.

Rogantur obnixe Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus, Dominus Archiepiſcopus, & Venerabile ejuſdem Eccleſiæ Capitulum, ut quæ in monimentis ſuis habent de vita, rebus geſtis, & morte ejuſdem ſancti Epiſcopi, ea cum Reverendiſſimo Domino Epiſcopo, & Capitulo Andicavenſi benigne pro ſua pietate communicent, & deſcripta eorum exempla ad eos tranſmittant.

Huic epiſtolæ Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Archiepiſcopi, & Capituli Surrentini reſponſionem heic etiam ſubnectimus, quæ eſt hujuſmodi:

III. *Quæ de ſancto Renato Andicavenſi primum Antiſtite, dehinc Epiſcopo Surrentino ſumma diligentia conquiſita candide, ſincereque tradi poſſunt, ea tandem ſunt. Nimirum ſanctiſſimum Præſulem ſolitariæ quietis ſtudio anno Dominicæ ſalutis 422. Roma Surrentum ſe contuliſſe: ubi diu vitam ab omni non modo labe alienam, ſed ab hominum etiam cœtu ſejunctam duxit; donec clarius in dies ejus ſanctitatis fama illuceſcente, e latebris, ubi ſe abdiderat, repugnanter extractus in ejus urbis Epiſcopali tunc ſede ſedere coactus eſt. Addunt eum unicum illius ſeceſſus ſocium habuiſſe nomine Valerium patria Surrentinum, quem ſui inſtituti ſectatorem, morumque egregium imitatorem probe ſtudiis omnibus pietatis excultum, demum poſt obitum dignitatis, ac muneris*

neris quodammodo reliquit hæredem. Locus, quem ſanctus Renatus ſua præſentia cohoneſtavit, jam piorum civium munificentia in ædem ſancti ejuſdem nomine, ac patrocinio nobilem traductus eſt: cui adjectum eſt ex ſacra Benedicti familia inſigne Cœnobium: eamque religioſiſſimi Patres egregie inſtructam, atque exornatam ſervant. Compertum etiam, exploratumque certa Patrum traditione ad nos manavit, cum corpore Divi Valerj, quod in hujuſmodi æde religioſe aſſervatur, partem quoque Corporis ſancti Renati condi, colique prona ſcilicet civium noſtrorum in ſuos Tutelares obſervantia, ac pietate. Denique ut Illuſtriſſimi Epiſcopi, & Reverendiſſimi Capituli Andicavenſis voto fiat, ut par eſt, ſatis, tranſmittenda iiſdem cenſuimus ſacrarum precum, & officiorum exempla, quæ per totam Diœceſim Surrentinam recitari antiquitus ſolita diu fuere, & una cum Eccleſiæ Metropolitanæ Actis jamdiu ſervantur, & adhuc integra extant. Ea enim quippe authentica, ſummaque fide conſcripta ſufficere nonnihil poterunt ex iis, quæ de ſancto Antiſtite Renato enixe, pieque expetuntur. Atque hæc ſunt, quæ cum Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Epiſcopo Andicavenſi, & Venerabili ejus Capitulo Archiepiſcopus, & Capitulum Surrentinum communicare breviter poſſunt. Idque ſibi ſatis commode accidiſſe fatentur, quod initæ conſuetudinis beneficio, eorum precibus, votiſque, quibus ſe ſubnixe, devoteque commendant, facilem ſibi Divini Numinis Majeſtatem, & perbenignam fore non inaniter ſperant.

IV.

IV. Id quidem, quod de diſceſſu ſancti Renati Andicavis in hac epiſtola ipſi Andicavenſes referunt, neque veritati congruere, neque ejuſdem ſancti Renati caritati, ſanctimoniæ, ac pietati convenire videtur. Ecquis unquam ſibi perſuaſerit, virum optimum tot, tantiſque virtutum ornamentis præſtantem voluiſſe primam ſacram ſponſam, Andicavenſem ſcilicet Eccleſiam nulla de cauſſa dimittere, & tantummodo ſolitudinis deſiderio inflammatum ad Surrentinos ſeceſſus divertere, ibique ſibi alteram nullo primæ Romanæ Sedis oraculo aſſumere? Atque id eo minus credibile nobis videtur, quod hujuſmodi ab una in aliam Eccleſiam migratio pene ab ipſius naſcentis Eccleſiæ incunabulis per canones, & Concilia fuerat manifeſte inhibita. Siquidem prohibita reperitur in Canone XIII. ex iis, qui Apoſtolis tributi ſunt, qui tamen quacumque ex officina prodierint, ſecundo ſeculo jam ſatis in publico verſabantur, etſi poſtmodum interpolati fuerint ab Hæreticis, ut proinde inter apocrypha Eccleſiæ monimenta rejecti fuerint a ſancto Gelaſio Papa. Abbas Dionyſius Exiguus quinquaginta tradidit, quos a viris Apoſtolicis, peculiaribuſque Conciliis collectos eſſe putant docti Canoniſtæ; is, qui numero XIV. eſt apud eumdem, & numero XIII. apud Gentianum Hervetum, hæc habet: *Epiſcopo non licere alienam parochiam, propria relicta, pervadere; licet cogatur a plurimis: niſi forte quis cum rationabili cauſſa compellatur,* *tam-*

Canon. XIII Apoſt. ex Gentiani Herveti interpretatione, quę verba habetur in epiſt. 2. Conſtantini ad Euſebium, & Antioch. Epiſc. apud Euſebium in vita Conſtantini.

C. Sancta Romana diſt. 15.

Nomine Parochiæ intellige Diœceſim Epiſcopalē, ut alibi diximus,

tamquam qui poſſit ibidem conſtitutis plus lucri conferre, & in cauſſa religionis aliquid profecto proſpicere; & hoc non a ſemetipſo pertentet, ſed multorum Epiſcoporum judicio, & maxima ſupplicatione perficiat.

Eamdem ferme ſententiam legimus in epiſtola ſancti Calliſti Papæ I. ad omnes Galliarum Epiſcopos ·ſ. III. unde deductus Canon *Licet alterius* 7. *q.* 1. & fuſius in Epiſtola ſancti Anteri ad Epiſcopos Provinciarum Beticæ, & Toletanæ, quas omittimus, quia etſi a Binio receptæ, criticis tamen aliis ſuſpectæ ſunt; in iis enim inſerta plura ſancti Hieronymi verba.

In Tom. Concil. pag. 631., & pag. 649.

C. Mutationes ead. cauſ. & q.

S. Calliſti epiſtolas ab ipſis doctiſſimis Correctoribus Romanis, ut ſpurias rejectas fuiſſe teſtatur Ant. Aug. De Emend. Gratiani Dialog. 4. lib. 2.

V. Sed omni ſuſpicione vacat Canon Concilj Nicæni, qui inter xx., quos habemus ex verſione Gentiani Herveti, Dionysj Exigui, & Iſidori Mercatoris, ac Ruffini Aquilejenſis, & ex paraphraſi Joſephi Presbyteri Ægyptj, in ordine eſt xvi. Apud Arabicam verſionem Franciſci Turriani eſt xiii. ut etiam apud Abrahamum Echellenſem Maronitam. Ejus Canonis verba ex Dionyſio Exiguo ſunt hæc: *Propter multam perturbationem, & ſeditiones, quæ fiunt, placuit conſuetudinem omnimodis amputari, quæ præter regulam in quibuſdam partibus videtur admiſſa ita, ut de civitate ad civitatem non Epiſcopus, non Presbyter, non Diaconus transferatur. Si quis autem poſt definitionem ſancti, & magni Concilj tale quid aperte tentaverit, & ſe hujuſmodi negotio mancipaverit, hoc factum prorſus irritum ducatur, & reſtituatur*

V. Concil. tom. 2. pag. 39. 46. 66. 77., & 339.

Canones Nicænos revera credimus tantum fuiſſe xx.

Nicænæ Synodi can. 15.

tuatur Eccleſiæ , cujus ſuit Epiſcopus , aut Presbyter , vel Diaconus ordinatus .

Id vero quod decretum fuit in OEcumenico Nicæno Concilio , rurſus firmatum eſt in Synodo Antiochena anni 341. , in qua Can. 21. ita prohibitæ fuerunt hujuſmodi translationes , ut ne Concilj Epiſcopalis quidem auctoritate ratæ unquam effici poſſent ; quod affectata quadam auctoritate , & partium ſtudio aliquantulum aſpere ſtatutum fuiſſe putat Thomaſſinus . In hac vero Antiochena Synodo quum Orthodoxi Heterodoxis in aliquibus convenerint : idcirco præter ea , quæ adverſus ſanctum Athanaſium definita fuerunt , reliqui ad Eccleſiæ diſciplinam ſpectantes Canones in Chalcedonenſi Concilio confirmati fuerunt , & in Occidente , ſive in Eccleſia Latina , ubi rariores erant hujuſmodi translationes , poſtea concordi omnium voto recepti . Sed quoniam nonnulli Epiſcopi ſimilium migrationum cauſſa Imperialem aulam adibant , ut omnis ad tales translationes præcluderetur aditus , id etiam graviſſime interdictum fuit Can. 11. pœna *Abdicationis non ſolum a communione , ſed etiam a dignitate , cujus erat particeps* qui tale quidpiam auſus fuiſſet attentare .

Thomaſſin. De Veter. & Nov. Eccleſ. Diſcipl. tom. 2. p. 2. lib. 2. cap. 61 n. 4.

V. Cabaſſutium In Notit. Eccleſiaſt. ad Synod. Antioch. Emmanuel. Schelſtrat. , & præ aliis Emundum Richerium .

Can. Si quis Presbyter 7. quæſt. 1.

VI. Iſthæc vero pœna remigrationis ad eumdem Epiſcopatum a Synodo Nicæna in hujuſmodi migrantes Epiſcopos indicta OEcumenici Concilj Sardicenſis Patribus lenis , mitiſque viſa fuit ; quapropter Can. 1. decrevère , ut hujuſmodi

modi Epiſcopi a laica etiam communione arcerentur.

Quod autem allegatis Canonibus præſcribebatur, ut ſcilicet Epiſcoporum translatio ob neceſſitatem, vel utilitatem Eccleſiæ nutu, & Concilio Comprovincialium Epiſcoporum fieret, id deinde in poteſtatem, atque auctoritatem ceſſit Romani Pontificis, ut liquet ex epiſtola ſancti Innocentj I., & Cœleſtini I. Hanc inſuper unam eſſe ex cauſſis majoribus ad Romanam Sedem ſpectantibus uberrime probat ex antiquiſſima Eccleſiæ traditione diſertiſſimus vir Antonius Dadino Alteſerra, ac ſcitiſſimus Ludovicus Thomaſſinus.

Alteſerr. In Vindiciis Eccleſ. Juriſdict. p. 2. cap. 6. Thomaſ. De Vet. & Nov. Eccl. Diſcipl. tom. 2. p. 2. lib. 2. cap. 60. & 61.

Ex his igitur hucuſque congeſtis Canonibus, aſſertaque Orientalis, atque Occidentalis Eccleſiæ conſuetudine uſque ad ſancti Renati tempora, & ultra nullum negotium erit colligere Epiſcoporum mutationes ex una in alteram Eccleſiam cujuſque voluntate faciendas omnino fuiſſe vetitas, niſi ob utilitatem loci, vel populorum, aliaſve congruas ob cauſſas Epiſcoporum Comprovincialium, aut Romanæ Sedis nutu fierent, vel niſi Epiſcopi ipſi vi a propria Sede pulſi fuiſſent, & neceſſitate coacti a prima ſacra ſponſa diſcederent. Tunc enim licitum cuique Epiſcopo erat commigrare alio, alteriuſque Eccleſiæ curam inire juxta Evangelicum monitum: *Si vos perſecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam*. Ut primis Eccleſiæ temporibus uſuveniſ-

ſe tradit Nicephorus Calliſtus, & clarius Socrates, qui referens frequentiores Epiſcoporum translationes, ſive migrationes Conſtantinopolitanum Concilium cohibuiſſe, ſubdit: *Quas antea propter perſecutionum tempeſtates facere cuique liberum erat*.

VII. Ex quibus clariſſime liquet ſanctum Renatum nequiviſſe juxta Canones ingenio ſuo indulgere, atque ex arbitrio, & ſola inviſendorum liminum Apoſtolorum gratia priorem Andicavenſem Sponſam prorſus deſerere, atque inde ducere Surrentinam. Ob aliquam aliam igitur ex prædictis cauſſis id eum factitaſſe putandum eſt. Verum quum nulla conjiciendi ratio ſit, eum loci, aut populi ſui utilitatem ad hanc migrationem traduxiſſe, reliquum eſt, ut aſſentiamur, ſanctum Renatum propter Vandalorum, Alanorum, aliarumque barbararum nationum, quæ per totam fere Galliam populabundæ debacchabantur, perſecutionem, direptioneſque vi, ac neceſſitate coactum e propria Sede invitum aufugiſſe. Hi enim Galliæ tumultus, in eamque exterarum nationum impreſſiones ſancti Renati ætate evenere, ut in ſecunda Lectione innuimus.

VIII. Heic fortaſſe morabitur Chronologus ob ea, quæ ſtatuimus de commigratione ſancti Maurilj ex Inſubribus in Galliam, poſtquam minoribus fuit initiatus ordinibus a ſancto Ambroſio, ad conveniendum ſanctum Martinum Turonenſem. Eccleſiam quippe Mediolanenſem obtinuit ſanctus Ambroſius anno 374. regnante Valenti-

niano

niano juniore ; fingamus ſtatim minoribus ordinibus donaſſe Maurilium adhuc juvenem . Is ſane non potuit ad Epiſcopatum Andicavenſem promoveri ante annum 385. , vel ulterius , neque impetrare ſancti Renati reſurrectionem a Domino prius anno 392. Incurſio vero Vandalica in Galliam juxta Petavium , alioſque graves viros , ut dicemus , contigit anno 406. Itaque S. Renatus vix excedere poterat annum 21. quæ ætas ad Epiſcopatum juvenilis admodum videtur . Sed ſcrupulus , abſque eo , quod diſſeramus de ætate Epiſcopatum , ne prolixi nimis , ac moroſi videamur , facile diluetur , ſi animadvertes ſanctum Maurilium ætate provectum minores ordines a ſancto Ambroſio accipere potuiſſe anno Æræ Chriſtianæ 374. paulo vero poſt quam in Galliam perveniſſet , Epiſcopum Andicavenſem fieri circa annum 376. , eodemque anno , vel inſequenti primum natalem ſancti Renati ſterilibus parentibus impetrare . Eumdem ſanctum Maurilium ultra Imperium Theodoſj vixiſſe , regnante Honorio , jam innuimus , nempe uſque ad annum 406. , quo ineunte , & ſanctus Maurilius mortem obiit , & ſanctus Renatus eidem Eccleſiæ præficitur , quum annum trigeſimum exceſſiſſet , virtutibus cumulatiſſimus , prudentia ſenex , & non annorum numero , ſed ſapientia computata canitie .

IX. Non nobis heic clam eſt diſcordes eſſe priorum hiſtoricorum auctoritates circa annum ,

quo primum Vandalorum, aliarumque efferatarum gentium e Scandinavia eruptarum, & per univerſam Germaniam effuſarum colluvies Romano Imperio incubuit, quæ a Stilicone, ut ſuæ ſerviret ambitioni, adverſus Imperatorem Honorium provocatæ, in floridiſſimas Galliæ regiones more inundantis fluvj irruperunt, fœdiſſimeque vaſtarunt; poſtquam agnita proditione, ipſe Silico Imperatoris juſſu fuerat enecatus. Paulus Oroſius, qui, ſuadente ſancto Auguſtino, ſuam hiſtoriam adverſus Ethnicos obſtrepentes, impieque allatrantes contra Chriſtianam Religionem, cui Imperj calamitates acceptas referebant, ſeptem libris comprehenſus eſt, libro 7. cap.38. ſcriptum reliquit exteras populabundas acies Galliam invaſiſſe ante biennium, quam Roma ab Alarico caperetur. Roma vero ab Alarico capta eſt, & depopulata, Varane Conſule, & Tertullo, licet hic umbratilem gereret conſulatum, anno proinde periodi Julianæ 5123. Mundi 4393. Æræ Chriſtianæ 410. Diocletianeæ 127. quare juxta hunc auctorem Gallia invaſa a Vandalis fuit anno Æræ Chriſtianæ 408. Philippo, & Baſſo Conſulibus, & Papæ Innocentj anno VII. Non ita tamen Proſper in Chronico, laudato etiam a Petavio, ubi habet: Conſulibus

Hanc ipſam calumniam profligavit S. Cyprianus tract. 1. contra Demetrianum S. Aug. De Civit. Dei, aliique Patres quamplures. Innovavit errorem Florentiæ a Secretis, ejuſque aſſecla recens hiſtoricus. Calamitatum vero Imperj cauſſa fuit tempore Honorj Stiliconis perfida proditio.

V. Petav. De Doctr. tépor. l. 13.

Arcadio VI., & Probo,

Vandali, & Alani Gallias, trajecto Rheno, pridie Kal. Januarias ingreſſi: hoc eſt, anno Æræ Chriſtianæ 406. At vero quum duo habeamus Proſperi Chro-

V. Græv. in Theſaur. Antiq. Rom. tom. 11.

ri Chronica in multis inter ſe diſſidentia, unum præpoſitis faſtis Conſularibus; alterum appoſitis in margine Imperatorum annis ita, ut eruditi plures viri putent horum alterutrum non eſſe opus ſancti Proſperi; in horum ſecundo tempus Gallicæ direptionis cum Oroſio coincidit, quod non obſervavit diligentiſſimus alioqui Petavius.

Valeſ. Rerum Francicar. tom. 1. lib. 3.
Dupin. in Biblioth. tom. 4. & alii.
Sozomen. Hiſtor. Eccl. lib. 9. cap. 6.
Phot. in Bibliot. Cod. 30.
Zoſim. lib. 5. ex poſterioribus.

Ad hæc ex Sozomeno, qui hiſtoriam Eccleſiaſticam ſcripſit circa annum 440., nuncupavitque Theodoſio juniori, teſte Photio: & ex Zoſimo Comite, quem gentilem fuiſſe plerique credunt, potius furentium Vandalorum impreſſionem in Gallias poſt annum 409. contigiſſe elicitur.

X. Utcumque autem res ſe habeat de hac hiſtoricorum diſſonantia, quæ nihil ſyſtemati noſtro de ſancto Renato incommodat. Illud certiſſimum nobis videtur Vandalicam hanc, Alanicam, Geticamque invaſionem, perſecutionemque, dirumque bellum non decem annos, ſed multo ulterius exceſſiſſe, fœdeque fuiſſe a barbarorum immanitate vaſtatas feliciſſimas Galliæ regiones; irruperant enim cum Catholicis Ariani plurimi, atque Gentiles, qui a nullo populationum genere, vel hominum, ſive prophanorum, ſive ſacrorum, ſive inſontium occidione temperarunt; multique pro fide martyrio coronati, ut luculenter habemus ex *Opuſculo de Providentia Divina* ſancto Proſpero Aquitaniæ tributo; licet non placeat doctis viris, quod id Elegiacum poëma Pelagianiſmum ſapiat adeo ſancto Proſpero infenſum. Nobis antiquius

Res Galliæ ſedatæ Conſtantino Comite, cui Honorius Placidiam ſororem ſuá uxorem dedit anno 417. cumque poſtea in Imperj Occidentalis conſortium ſibi adjunxit anno 420.

tiquius ſancto Proſpero eſſe videtur, & eo tempore editum, quo Vandalica adhuc perſecutio non erat ſedata, aut extincta. Illius auctor in Prologo Atheum quempiam impio ore contra Divinam Providentiam ex excidiis, quibus Galliæ vexabantur, oblatrantem in medium profert; quæ omnia ita exhibet:

Auctor Opuſculi de Providentia Divina in Prolog. v. 33.

Si toleranda mali labes, heu cæde decenni
Vandalicis gladiis ſternimur, & Geticis.
Non caſtella petris, non oppida montibus altis
Impoſita, aut urbes amnibus æquoreis:
Barbarici ſuperare dolos, atque arma furoris
Evaluere omnes, ultima pertulimus.
Nec querar extinctam nullo diſcrimine plebem:
Mors quoque primorum ceſſet ab invidia.
Majores anni ne forte, & nequior ætas
Offenſo tulerint quæ meruere Deo.
Quid pueri inſontes? quid commiſere puellæ,
Nulla quibus dederat crimina vita brevis?
Quare templa Dei licuit popularier igni?
Cur violata ſacri vaſa Miniſterii?
Non honor innuptas devotæ virginitatis,
Nec texit viduas Relligionis amor.
Ipſi, deſertis qui vitam ducere in antris,
Suerant laudantes nocte, dieque Deum,
Non aliam ſubiere necem, quam quiſque prophanus.
Idem turbo bonos ſubſtulit, atque malos.
Nulla Sacerdotes reverentia nominis almi
Diſcrevit miſeri ſuppliciis populi.
Sic duris cæſi flagris, ſic igne peruſti,

Incluſæ

Incluſæ vinclis ſic gemuere manus.
Tu quoque pulvereus plauſtra inter, & arma Getarũ
Carpebas duram non ſine faſce viam.
Cum ſacer ille ſenex plebem uſta pulſus ab urbe,
Ceu paſtor laceras duceret exul oves.

XI. Sed præter hunc auctorem invectas a Vandalis in Gallos calamitates, quæ vel ab efferis, duriſſimiſque lacrymas extorquere valerent, legere eſt apud priſcos alios, recentioreſque hiſtoriarum collectores. Præterire autem nequimus ſancti Hieronymi ea de re queſtus ad Ageruchiam, ut ſcribunt PP. ſancti Mauri, vel Gerontiam, aut Acheruchiam, ſive Agerundiam, ſeu Acheruſiam, ut aliis placet, qui ſunt hujuſmodi: *Præſentium miſeriarum pauca percurram. Quod rari huc uſquereſidemus non noſtri meriti, ſed Domini miſericordiæ eſt. Innumerabiles, & ferociſſimæ nationes univerſas Gallias occuparunt. Quidquid inter Alpes, & Pyrenæum, quod Oceano, & Rheno includitur, Quadus, Vandalus, Sarmata, Alani, Gipedes, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemani, &, o lugenda Reſpublica! hoſtes Pannonii vaſtarunt. Etenim Aſſur venit cum illis. Maguntiacum nobilis quondam civitas capta, atque ſubverſa eſt, & in Eccleſia multa hominum millia trucidata. Vangiones longa obſidione deleti. Remorum urbs præpotens, Ambiani, Attrebatæ, extremique hominum Morini, Tornacus, Nemetæ, Argentoratus tranſlati in Germaniam, Aquitaniæ, Novemque Populorum, Lugdunenſis, & Narbonenſis Provinciæ præter paucas urbes popu-*

V. S. Gregor. Turon. annal. l. 10.
Claudian. Mamert. De ſtat. anim.
Papir. Maſſon. in Poſthum. Hiſt. Calamitat. Galliæ
Adrian. Valeſ. Rer. Francic. t. 1. lib. 3.
S. Hieronym. epiſt. 11. quæ in editione PP. ſancti Mauri eſt 91. t. 4.

populata ſunt cuncta . Quas & ipſas foris gladius , intus vaſtat fames . Non poſſum abſque lacrymis Toloſæ facere mentionem , quæ ut huc uſque non rueret , ſancti Epiſcopi Exuperj merita præſtiterunt . Præter has commemoratas a ſancto Hieronymo provincias plures alias vaſtatas ab iiidem barbaris fuiſſe referunt Fortunatus, Uſuardus , Sigebertus , aliique , & præſertim ſanctus Salvianus, qui inter ceteras barbaras nationes Bagaudas etiam enumerat, quos Papirius Maſſonius poſt Balduinum Juriſconſultum Chriſtianos fuiſſe perhibet.

S. Salvian. De Gubernat.Diei, & Juſt.Dei, præſentiq. judicio l.4. 5. & 6.

Papir. Maſſon. loc.cit.

At hæc ſancti Hieronymi epiſtola , ſiquid ſentimus, non ſtatim poſt initium Gallicæ invaſionis exarata eſt , ut PP. Congregationis ſancti Mauri videntur innuere . Ea enim ſcripta fuit , ut ex eadem ipſa colligitur, quum barbaræ illæ gentes ad extremos uſque Morinos populabundæ penetraverant : et poſtquam *Vangiones longa obſidione*, ut ipſius ſancti Hieronymi verbis utamur , *fuerant deleti* ; quod utrumque non adeo brevi temporis curriculo potuit effici ; aliquot enim annos inſumſiſſe putandum eſt barbaros hoſce hoſtes, antequam tot munitas civitates ſubmitterent .

Sed ut id , quod e re noſtra eſt , colligamus ; animadvertendum Galliam omnem ſub Julio Cæſare in partes tres fuiſſe diviſam, in *Belgicam* nempe , *Aquitanicam* , *& Celticam* , deinde tempore Auguſti in quatuor, Narbonenſi ſuperaddita: poſt Auguſtum autem, ſed antequam rerum potiretur Magnus Conſtantinus , has quatuor Provincias

Cæſar. Comm. lib. 1.

Strabo l.4. Paulus Oroſius lib. 6.

V. Notitiam Civitatum Imperj V. Carolum a S. Paulo Geograph. ſacr. in Gallia , ubi dilucide de-

cias in ſeptem fuiſſe ſciſſas : Honorj demum ætate haſce ſeptem fuiſſe in decem , & ſeptem diductas . Verum S. Hieronymus , quantum conjici datur ex ſua loquendi ratione , hanc extremam Provinciarum Galliæ , minutiorem ſcilicet partitionem , quæ ſua tempeſtate recens admodum erat , noluit indicare ; ſed potius videtur locutus juxta anteriores illas , ac magis generales diviſiones , ſecundum quas Lugdunenſis una , cujus vaſtationi etiam illacrymatur , ea loca , & civitates continebat , quæ in memorata poſtrema diviſione in quatuor partes , ſeu minores Provincias diſtributa fuerunt , in quarum tertia ſitum ponunt Andicavum , unde ab ea calamitate nequidquam immune fuiſſe conſtat , & propterea etiam ſancti Renati populos , & Eccleſiam vaſtationes , deprædationeſque paſſam . Itaque dum hæc in Gallia agerentur , dumque ingruentium calamitatum colluvione opprimeretur , afflictareturque Andicavum , animadvertens ſanctus Renatus peſſimo omnia eſſe loco , & ſibi mortem ab illa efferatarum gentium crudelitate imminere (a qua revera plurimi ſanctiſſimi Epiſcopi vexati , atque interfecti ibidem fuerunt , quemadmodum Galliæ Hiſtoriographi referunt ,) ut vitæ ſuæ conſuleret , juſtam ob cauſſam juxta Domini noſtri monitum : *Si vos perſecuti fuerint in una civitate , fugite in aliam* : Romam properavit ; vel fortaſſe , quod facile nobis perſuademus , ab Arianis expulſus , & vi ejectus ſolum vertere coactus fuit .

monſtrat diviſionem ejus in Provincias 17. fuiſſe laicam , ac diverſam ab Eccleſiaſtica partitione .

V. Vales. loc. cit. S. Salvian. lib. 4. 5. & 6. Uſuard. Sigebert. &c. V. Papir. Maſſon.

CAPUT IV.

De tempore, quo ſanctus Renatus Romam, & ſubinde Surrentum petierit, ibique Epiſcopatum geſſerit, ac mortem obierit.

Robert. in Gall. Chriſt. de Epiſcop. Andieaven.

I. EX iis, quæ hucuſque perſtrinximus, facile eſt ſancti noſtri Chronologiam intexere. Diximus enim ſanctum Maurilium, Imperatore Theodoſio, Mediolano Turonem commigraſſe, & ſancto Martino Turonis Metropolita ſuadente, Andicavenſium Epiſcopale munus ſuſcepiſſe circa annum 376., inito Epiſcopatu, ſterilibus parentibus puerum Renatum impetraſſe. Annoſus obiit miraculorum operator Maurilius anno 408., ut putat Claudius Robertus ex Breviario Rothomagenſi, quando ſanctus Renatus trigeſimum ſuæ ætatis annum attigerat, vel jam expleverat. Nulla mora poſita, Andicavenſes admirando Patri, ac Magiſtro mirabilem in Chriſto filium, ſapientiſſimumque ſuffecerunt. Circa finem ejuſdem anni, vel, ut putamus, potius inſequenti anno 409. dira Vandalorum, Alanorum, Suevorum, Burgundionum in Gallias irruptio, ob quam ſolum vertere ſanctus Renatus coactus eſt.

Idem loc. cit. Eodem anno 408. juſſu Honorj e vivis ſublatus eſt proditor Stilico.

Neque vero putandum eſt Dei Athletam, & paſtorem ſacrum illico territum lupis rapacibus gregem ſuum dilacerandum, vorandumque reliquiſſe, ſed vel vi expulſum, vel, ſalubri capto con-

conſilio, Romam petere ſtatuiſſe, ut Principis Apoſtolorum Lipſana inviſeret, venerareturque, & ultima ſuis civibus paſſis opem imploraret, atque a primæ Sedis Principe, & Capite tunc temporis Innocentio I. conſilium, vel juſſa acciperet. Igitur Romam adventaſſe credimus circa annum 411. vel 412., ubi diu expectantem Galliæ, ea immani propulſata tempeſtate, ſerenitatem plures annos commoratum fuiſſe putamus. Verum, quum vidiſſet Occidentalis Imperj res in pejus ruere, Galliæ faciem in dies ſordidari, Vandalos, Alanos, &c, in Gallia fortiores fieri, a variis tyrannis Romanum Imperium ſcindi, & occupari a Viſigothis, Ataulphum Galliæ Placidiæ virum enecatum ab Honorio Imperatore, atque ab eodem pacem initam cum Wallia Viſigothorum Rege, atque vel ab Ethnicis, vel ab Hæreticis, præcipue Arianis Religionem Chriſtianam vexari, prout diris oſtentis Cœleſtibus prædictum fuerat, meliorem temporum conditionem deſperans ſatius duxit, ut, Deo ſibique diligentius vacaret, & orationibus, precibuſque bono Religionis proſpiceret, in ſolitudinem ſecedere. Itaque Deo, ſic probante, Surrentum civitatem id temporis, & ab hominum memoria celeberrimam appulit anno 422. juxta Surrentinæ Eccleſiæ traditionem, cui potius firmiter adhærendum, inde in ſolitudinem non longe ab ipſa urbe divertit, ubi pietati, aſceticæque vitæ ſerviens omni virtutum genere adeo clarus evaſit, ut ejus urbis Clerus, aliique, etſi

invitum eum a lucis abſtractum in Surrentinum Epiſcopum cooptarint circa annum 425. ſedente ſancto Bonifacio I., & Honorio imperante, ut dicitur in ſecunda lectione; cui ſedi uſque ad extremum diem, quem clauſit circa annum 450. pridie nonas Octobris, ſanctiſſime præfuit.

Romęus in Epit. vit. S. Renati, & in vita ejuſdem fuſius deſcripta.

II. At licet Romæus 3. Nonas Octobris ſemel, & iterum obiiſſe tradat. In epitome enim ait: *Senex ex hac vita migravit in Cœlum III. Nonas Octobris*. Et in vita ait: *Et ad Jeſum Chriſtum profectus eſt iii. Nonas Octobris*. Id fortaſſe aſſeruit opinione ductus, quod Surrentina civitas, dum ejus memoriam pridie Nonas Octobris celebrat, depoſitionis ejuſdem recolat diem, non obitus. Quod tutum non eſt. Surrentini enim eo die, quem feſtum venerantur, in Cœlum ſanctum Renatum abiiſſe traditione didicerunt; & hoc eodem die Beneventi celebrari teſtatur Ferrarius, quamvis ipſe Romæum ſecutus 5. diei Octobris appinxerit.

Ferrar. In Catal.Sanct.Ital. V.Viper.in Catal.Sanct., qui Beneventi coluntur.

III. Quod autem aliis diebus ejus feſtum diem agant Andicavenſes, id noſtro judicio tribuendum eſt ignorationi diei obitus ipſius ſancti. Quinimmo putamus nullam de ipſo obitus die memoriam apud Andicavenſes celebrari, ſed quicumque ipſius ſancti celebritati addicti ſunt dies, eos omnes propter varias translationes ſancti corporis factas, aut peculiaria in eam civitatem collata beneficia ſolennitate, & commemoratione diſtingui; quum enim Andicavenſes non

ita

ita facile potuerint ipſius diei obitus cognitionem nanciſci, ex quo partem ſacri corporis obtinuerunt, feſtos dies agere ipſi ſancto devotos propter translationes, & accepta beneficia cœperunt.

Plures ſane dies ſancti Renati venerationi devoverunt; die enim 12. Aprilis corporis ſancti Renati Relationem ex Italia Andicavum celebrari tradit ſub ritu duplici ex Bollando Baillet. Et revera de ea relatione loquuntur obiter Bollandiſtæ, ſed die 11. Aprilis. Plurium ejuſdem ſancti corporis translationum, licet nunquam extra Andicavorum mœnia delatum ſit, memoria extat apud Andicavenſes, teſte Baillet; quum ſcilicet ſacrum corpus inventum fuit; quum idem defoſſum eſt, exploratumque, atque aliorum oculis exhibitum, ut incredulorum os obſtrueretur; & quum denique e ſancti Maurilj templo in majorem, ſeu Cathedralem Eccleſiam Andicavenſem tranſlatum fuit, cujus id temporis Patronus evaſit. Hujuſce autem translationis memoria die 20. Auguſti quotannis recolitur, ut refert Baillet. At, ipſomet Baillet perhibente cum Bollandiſtis, princeps, & celebrior de eodem ſancto ſolennitas per octo continuos dies quotannis inſtituitur non modo Andicavis, ſed in tota ipſa Diœceſi die 12. Novembris, ut etiam teſtantur Fratres Sammarthani; cujus ſolennitatis cognitio anſam dedit errandi Bollando, ſcribendique eodem die, 12. ſcilicet Novembris etiam Surrenti idem feſtum celebrari, quod falſum utique eſt. Surrenti enim die

Baillet. les vies de Saints 12. giour de novẽbre n. 2.

Godefr. Henſch. & Dan. Papebroc. t. 2. die 11. Aprilis. In Catal. Sanct. prætermiſſ., & in alios dies rejectorum prope finem pag. 66.

Baillet ibidem.

Baillet ibidem.

Bollan. laud. loc.

Scævola, & Ludov. Sammarth. t. 2. Gall. Chriſt. In ſerie Epiſc. Andic. n. 4.

Bolland. die 16. Jannarj in vit. S. Valer. Epiſc. Surr.

die 6. Octobris, ut diximus, obitus S. Renati memoria quotannis ſub ritu duplici recolitur; quidquid ſcripſerit Romæus, & Ferrarius etiam non uno in loco, præſertim in Catalogo Generali ſanctorum, qui in Martyrologio Romano non ſunt, ubi inquit: *III. Nonas Octobris Surrenti in Picentibus ſancti Renati Epiſcopi, & Urbis ejuſdem Protectoris*. Ibi igitur emendandus eſt Bollandi error, & tenendum omnino eſt, quod alibi ipſemet Bollandus aſſeruit: ſcilicet S. Renatum Surrentinos VI. die Octobris ſolenniter venerari.

Surrentum non in Picentinis, ſed in Campania ſitum, ut 2. p. dicetur.

Idem Bolland. die 6. Januarj. In S. Athan. Epiſc., & Patr. Surr.

IV. Neque vero prætereundum eſt, quod Baillet in vita ſancti Renati ſubdit, illum ſcilicet diem 12. Novembris, quo Andicavis ſanctus Renatus ſolenni pompa colitur, ab ipſis Andicavenſibus obitus, vel ſaltem depoſitionis credi. Quæ fides, ſi ea eſt apud Andicavenſes, ut refert Baillet, nihili prorſus ducenda; quippe quæ fundamento, ac veriſimilitudine vacat. Satis enim diximus conſtantem eſſe apud Surrentinos traditionem, ſanctum Renatum 6. die Octobris ad Cœlum evolaſſe, quo ſane tempore ipſi Surrentini ejus obitus anniverſaria, quo ad longiſſime poteſt mens hominum reſpicere immemorabile ſpatium præteriti temporis, & antiquitatis memoriam recordari ultimam, inde uſque repetens, ſemper agitare conſueverunt. Neque unquam de eodem obitus die Surrenti facta eſt mentio illo menſe Novembris. Quid igitur? Quibus potius acquieſcendum Surrentinis ne, apud quos ſanctus Renatus

Baillet ibidem.

natus ſupremo fato functus eſt, an Andicavenſibus, qui id tantum tenere poſſunt de ſancti Renati obitu, quod ab ipſis Surrentinis didicerunt? Nos profecto imprudenter facturos arbitraremur, ſi, neglecta Surrentinorum traditione, auctoritateque, Andicavenſium fidei faciliores aures inconſulto præſtaremus.

Quare potius putandum eſt illum diem 12. ſcilicet Novembris ad celebrandam memoriam alicujus ſingularis in ipſos Andicavenſes beneficj, vel cujuſdam ex relatis translationibus, & illius præcipue, quæ ex Italia facta fuit (ni certum omnino eſt hanc 11. Aprilis recoli, ut attigimus) ibi fuiſſe inſtitutum, qui deinde hominum credulitate pro die obitus habitus eſt.

V. Neque heic omittendum eſt advertere; quod etiam Lutetiæ Pariſiorum peculiaris cultus, honorque ſancto Renato tribuatur in ſancti Euſtachj templo, & in illo Collegj Vaſconum: atque id opera Renati Benedicti ipſius ſancti Euſtachj olim Parœci, & Vaſconum Doctoris, qui ipſius ſancti Renati vitam inſuper condidit. V. Baillet loc. cit.

CAPUT V.

De ſancti Renati Lipſanis, & miraculis.

I. NEc minus diſſidium eſt inter Surrentinos, & Andicavenſes de ſancti Renati corpore. Credunt hi, & quidem obfirmato animo

mo poſt ſancti Renati mortem hujus corpus majores ſuos a Surrentinis repetiiſſe, ſed quum primo repulſam paſſi eſſent, tandem, interpoſita Summi Pontificis auctoritate, obtinuiſſe, ut illud Andicavum traducerent, cujus indemnitatem plurium translationum teſtimoniis ſtudent confirmare; atque id teſtatur Baillet, & P. Simon Martin, Sauſſay, Claudius Robertus, aliique. Inſuper addunt, ut ex eorum Epiſtola ad Surrentinos data liquet, anno 1562. ab hæreticis ſanctum corpus pene exuſtum, & quidquid e flammis eripere licuit, Carolum Andicavenſem Epiſcopum in aurata capſula incluſum altari ſancti Renati, quod eſt in capite Eccleſiæ Cathedralis, impoſuiſſe.

Baillet loc. cit. P. Simon Mart. t. 2. die 12. Novembris In Martyrol. Gallice reddito, & Vitarum, quas concinnavit, capiti præfixo circa finem. Sauſſay In Martyr. Gallic. Claud. Robert. In Gall. Chriſt., aliique.

Sed dicant nobis Andicavenſes, quandonam id accidit? Quo Pontifice opitulante ſacrum pignus, invitis Surrentinis, obtinuerunt? Præterea, ſi ſanctus Renatus tamdiu Eccleſiam Surrentinam tenuit, ſi Surrenti diem clauſerat extremum, quo jure poterant Andicavenſes totum ſacrum corpus a Surrentinis expetere, qua æquâ cauſſâ ab ijſdem per Pontificem obtinere? Cui unquam perſuaſerint voluiſſe Pontificem immerito Surrentinis vim inferre, eoſque ſine ratione adigere, ut ſacro illo corpore, quod ad ipſos ſpectabat, tam injuſte omnino privarentur. Cui perſuaſerint adeo faciles, dementeſque fuiſſe Surrentinos, ut ſacrum pignus, quo præſente maxime gloriabantur, cujuſque patrocinium, præſidiumque in periculis, & calamitatibus experiri cœperant, ſibi paſſi fuerint auferri? Porro

Porro nequidquam credibile eſt, templum ſancto Renato ſuo ſine ejuſdem Reliquiis poſuiſſe, quod a primis uſque Eccleſiæ temporibus factum nunquam eſt. Dicendum igitur hoc nimis confidenter, & ſine ulla veroſimilitudine jactare Andicavenſes.

II. Et profecto conſtans eſt tot ſeculorum apud Surrentinos traditio corpus ſancti Renati Surrenti extare in eo templo repoſitum, quod D. O. M. illius nomine devotum fuit, una cum corpore Divi Valerj; neque monimenta deſunt, quæ nos hujuſce rei certiores reddant. Primo enim ratio ipſa perſuadet, nequidquam ſiviſſe Surrentinos, ut ſacrum Epiſcopi ſui corpus, quod adeo colebant, adeoque præſens ſuis temporibus experiri cœperant, ab externa gente, Andicavenſibus ſcilicet, nullo jure abriperetur.

Secundo templum ſub ejus, & ſancti Valerj nomine excitatum ibi vel totum corpus, vel ſaltem bonam partem eſſe innuit.

Tertio ex eorum Actis conſtat Agapitum Epiſcopum Surrentinum, Rodoaldo Beneventi Duce civitatem aggrediente, Reliquias ſanctorum Renati, & Valerj ad eam avertendam peſtem, horriſonumque flagellum feliciter adhibuiſſe.

Quarto Anonymus, qui circa noni ſeculi finem vixit, ut diximus, de ſanctis Surrentinis loquens ait: *Quorum corpora Surrentum fovet*. Quod alibi etiam animadvertimus.

Quinto id, quod nobis eſt conjecturæ, & auctori-

ctoritates teſtantur, ſtabili ſemper fide creditum fuit a Surrentinis, & inconcuſſa, conſtantique traditione numquam interrupta poſteri per omnia ſeculorum ſpatia, & ætates a majoribus acceperunt.

Sexto Fides, & traditio Surrentinorum re probata eſt, ut nullus amplius ſit dubitationi locus.

III. Crediderunt ſane Surrentini jam inde ab antiquioribus ſeculis ſacra corpora ſanctorum Renati, & Valerj collocata olim fuiſſe ſub ara maxima veteris Eccleſiæ eorumdem ſanctorum, quæ attigua erat, ut nunc etiam videre eſt, cœnobio Patrum Benedictinorum, quorum curæ demandata fuerat. Sed, quum nova jam Eccleſia, & elegantior prope antiquam excitata fuiſſet iiſdem ſanctis, Surrentinæ civitatis graviores, prudentioreſque viri cotidie urgebant, & iterum deinde, ac ſæpius interpellabant D. Jacobum De Gratiis Abbatem Caſinatem, qui id temporis Surrentino illi ſanctorum Renati, & Valerj cœnobio præerat, ut in veteri illo templo effoderet; non enim fieri poterat, quin ſacra corpora ibi quieſcentia tandem aliquando inveniret. Quumque ſibi in dies eo magis inſtare non deſinerent nobiles illi viri, poſtremo iiſdem parere conſtituit pius Abbas. Quapropter poſt multa jejunia, & effuſas preces manum operi admovit. Et primo in eo vetuſto templo lampadem, ſeu lychnum penſilem incendit, ut umbras, & noctem depelleret, qui tres dies, noctеſque, etiam ſi nemo con-

conſumti olei defectum reparaſſet, clara luce exardeſcens perduravit, per quod ſolidum temporis ſpatium effoſſores incepto operi aſſidue inſtiterunt. Sed, quum jam medium tertiæ noctis immineret, poſt magnos labores ex effodientibus unus tabulam marmoream eruit, ſub qua duæ arculæ ex plumbo conflatæ ejuſdem omnino magnitudinis quatuor ſcilicet palmorum inventæ fuerunt; altera ad caput aræ maximæ: e regione ſub eodem Altari vetuſtioris illius templi altera. Tunc hujuſce rei particeps effectus Pater D. Jacobus Abbas, qui in ſuo cubiculo manebat in preces effuſus, e veſtigio locum adivit, ſtatimque maxima, qua potuit, religione, ac reverentia primam capſulam, in qua corpus eſſe Divi Renati credebatur, lætitia perfuſus aperuit, invenitque ibi oſſa lacte ipſo candidiora, & quæ pars in pulverem abierat, auri comminuti ſpeciem, ſplendoremque præſeferebat. Ex ipſis autem oſſibus, ut ſatis pietati ſuæ faceret, particulam ſibi deſumſit. Eo vero inventionis ſacrorum corporum rumore per civitatem Surrentinam evulgato, Trajanum Serſalem puerum ſeptimum annum agentem, oculis captum Parentes Patri D. Jacobo Abbati ſtiterunt, ipſum enixe exorantes, obteſtanteſque lacrymis obortis, ut ſacrorum oſſium particulam ſui nati oculis admoveret. Id ſe facturum non abnuit D. Jacobus, ſed eos hortatus eſt, ut ſe conſueto trium dierum jejunio, precibus, eleemoſynis, aliiſque piis operibus tan- Inſigne ſancti Renati miraculū.

tæ rei, tantoque beneficio accipiendo pararent, indeque cum puero redirent. His omnibus ad unguem perfectis, & elapſo trium dierum ſpatio iidem parentes una cum cæco nato D. Jacobum conveniunt, qui in eorumdem ſanctorum templo, poſtquam multam operam Numinis precationi dediſſet, ſacram illam ſancti Renati Reliquiam oculis cæci pueri pie, religioſeque applicuit, quam poſtea vix poſt horæ ſemiquadrantem removens, ſtatim cæcum antea puerum oculorum ſenſu præditum, atque illa cæcitatis calamitate omnino liberatum ſumma cordis ſui, ac parentum, adſtantiumque lætitia, ſtuporeque admiratus eſt. Sed hoc ingenti ſane miraculo tam P. D. Jacobus, quam ceteri obſtupeſcentes Deo mirabili in ſanctis ſuis, ac ſancto Renato immortales gratias proni egerunt.

IV. Ad hæc quum idem Pater illud ſacrorum oſſium fruſtum repoſuiſſet, eam ſuorum digitorum extremitatem, qua ſacram reliquiam tetigerat, compluribus veluti aureis ſtellulis micare animadvertit; quamobrem ſe tanto munere, tantoque pignore, quod apud ſe habebat, indignum reputans, illud dono dedit Neapolitano Benedictinorum Cœnobio ſanctorum Severini, & Soſj; ubi in Theſauro Reliquiarum illius Eccleſiæ adhuc ſumma cum veneratione, reverentiaque ſervatur.

V. Præterea penſilis lychni, qui in veteri illa Eccleſia ardebat, dum ſacra corpora effoderen-

rentur, oleo delinitum, ac perunctum cujuſdam ruſtici crus, quod a rabidi canis dentibus appetitum ejuſmodi vulnus contraxerat, ut nullus medicinæ locus eſſet, & proinde deſperanda omnino ſalus videretur, illico inducta cicatrice convaluit. Utriuſque miraculi teſtimonium præſeferunt duæ pictæ tabellæ, quæ ad conteſtandam poſteritati tantæ rei memoriam, & in grati animi argumentum novo in templo id temporis ſuſpenſæ fuerunt. Huic vero narrationi teſtis ſatis luculentus accedit P. D. Carolus Albaſius Monachus, & Decanus Caſinenſis, qui hoc ipſum ab Abbate D. Jacobo de Gratiis ſæpe numero ſe audiviſſe, etiam jurejurando teſtificatus eſt Surrenti *iv. Nonas Novembris* 1644.

VI. At vero illa ſacra Lipſana poſtquam diligenter inſpecta fuerunt, Apoſtolica auctoritate illinc traducta fuerunt in novum, elegantiuſque templum, ubi ſub prima, ſive ara maxima ſolenni ritu, ac pompa repoſita fuerunt, cujus rei etſi locupletiora acta non adhuc datum invenire: tamen extat in ipſo ſanctorum Renati, & Valerj templo ære perennius hujuſmodi monimentum:

ALEXANDER CARD. FLORENTINIUS

Sanctorum Epiſcoporum Renati, & Valerj Surrentinæ civitatis, ejuſque Patronorum corpora, quæ ſub primario Altari Baſilicæ veteris collocata Fidelium antiqua traditio credidit, atque coluit, inventa ſine nomine ſub eodem Altari: nec alia ab illis exiſti-

exiſtimata , Apoſtolica Auctoritate in novam Eccleſiam translata ſub primario itidem Altari ſunt ſolenni ritu recondita a Monachis bujus Monaſterj Congregationis Caſinenſis Anno ſalutis MDCIII. die xiv. Novembris ex Decreto Apoſtolicæ Congregationis Sacrorum Rituum ſub die xxi. Auguſti MDCIII.

VII. Itaque traditio Surrentinorum conſtans, ac ſtabilis re tandem divinitus probata eſt ita, ut poſthac nequeat de ea prudenter dubitari. Et licet illa corpora ſine nomine inventa ſint, quis tamen in dubium revocare auſit ea ſanctorum Renati, & Valerj prorſus eſſe, quando nulla alia memoria ſuppetit ſanctorum corporum ibi præter illa duo ſepultorum; quando firma per tot ſecula fide crediderunt Surrentini ibi duo illa tantum corpora ſanctorum ſcilicet Renati, & Valerj fuiſſe ſepulta; quando denique ibi inventa ſunt, ubi his tantum ſanctis templum poſitum erat, & ubi eoſdem ſemper, ut credidit firmiter ibi eſſe, ita impenſe venerata eſt Surrentinorum pietas? Jure igitur merito, ſapienterque tenent, contenduntque Surrentini apud ſe ſancti Renati corpus, & in templo hujus, & ſancti Valerj nomine conſtructo requieſcere. Immo die XIV. Novembris quotannis hujuſce inventionis memoriam peragunt ſub ritu ſemiduplici de ea officium, & miſſam celebrantes.

VIII. Quod vero Andicavenſes jactent apud ſe ſacrum illud corpus recondi: ſi de integro ſancti Renati Surrentini Epiſcopi corpore ſentiunt

tiunt, falluntur egregie; neque ea, quæ producunt, fidem ullam merent, quippe quæ nec ſtabili ulla ratione, nec veroſimilitudine, ut vidimus, nixa ſunt. Ad veritatem ſiquidem propius accedent, conſulentque melius ſibi, ſuæque traditioni, ſi partem corporis ſancti Renati Surrento ſe olim accepiſſe fatebuntur Andicavenſes. Idque firmius ſane erit, rectiuſque congruet Surrentinæ Eccleſiæ ſenſui. Apud ipſos enim Surrentinos certa traditione firmatum eſt, non integrum, totumque corpus ſancti Renati, ſed partem tantum ſervari, ut ex epiſtola ad ipſos Andicavenſes data liquet. Atque ita profecto indemnitati corporis ſancti Renati proſpicient, neque amplius ſcriptorum animos diſtrahent, neque adigent, ut quidam nullum eſſe illum Andicavenſium Renatum propugnent, ut huc uſque factitatum eſt.

Vides hinc ſolide profligatum Launojum in Diſſ. De Vita S. Renati Andic. & in ejuſdem Apol.

IX. Quod autem in chartulis ſuis fortaſſe reperiant corpus ſancti Renati apud ſe eſſe, id nihil omnino officit; uſus enim invaluit, ut *inſignis*, ut dicitur, alicujus ſancti *Reliquia* largo quodam dicendi more corpus etiam vocetur; ut non raro audivimus nonnullos jactare ſe corpus habere alicujus ſancti, quando nonniſi partem ſervant. Deſinent igitur tandem aliquando totius ſancti Renati corporis poſſeſſione inaniter obſtinatius, quam par eſt, gloriari Andicavenſes, ne alios adigant oſtendere nihil prorſus reliquiarum apud ipſos extare.

X. Quan-

X. Quantum ad templum, ubi illa ſacra oſſa recondita jam inde ab antiquis temporibus fuerant, quo peculiariter anno illud Surrentini extruxerint, nemo vel ſtuduit, vel valuit per bellorum tumultus ab aliarum Surrentinarum rerum oblivione vindicare. Verumtamen Surrenti traditur eo loci, ubi antiquum ſanctorum Renati, & Valerj templum erat, Oratorium, ſeu Cryptam primis naſcentis Eccleſiæ ſeculis extitiſſe, in quam Chriſtiani, Epiſcopus, & Sacerdotes ad Synaxim, & ad facienda ſacra clanculum conveniebant, quouſque data Eccleſiæ pace, cultuque Idolorum ſpreto, Chriſtiana pietas, ac Religio apud cives Surrentinos ab univerſa Surrentina urbe excoli, & venerari cœpit, & intra mœnia abſque ullo metu conſtrui templa Chriſtiana, & ipſa Cathedralis Eccleſia, atque Epiſcopium intra civitatem excitari, quod tunc accidit, quum illud celebre Idolorum fanum omni ſuperſtitione purgatum ſub ſanctorum Felicis, & Baculi nomine D. O. M. devotum fuit, ut in ſancto Baculo dictum eſt.

Illud autem Oratorium, ſeu Crypta, ex quo in ea ſancti Renati corpus humatum fuit, templum ſancti Renati vocari cœpit. Quando id primum factum non liquet. Quod Agapiti Epiſcopi Surrentini ætate, ac tempore, quo Rodoaldus Beneventi Dux Surrentum obſidione cinxit præter propter annum 645. vel paulo amplius, templum illud jam nomen ſanctorum Renati, & Valerj acce-

acceperat, certum eſt, ut in ſancto Valerio enucleatius videbimus. Huic porro templo deinde adjectum fuit Monachorum Caſinenſium Cœnobium, quod jam inde a ſua inſtitutione alii Neapolitano Cœnobio ſancti Severini appellato ſubjectum fuiſſe videtur. De hujuſce ædificatione nihil habemus exploratum; intra ſeptimum, & decimum ſeculum extructum putamus. Tempore obſidionis a Rodoaldo factæ nullum erat; non enim de eo tunc mentio. Poſt initium decimi ſeculi de quadam Cella Benedictinorum in agro Surrentino ſita verba facit Leo Oſtienſis; ex quo an tunc primum condita fuerit, an potius Patribus Caſinenſibus confirmata, non ſatis liquet, ut advertimus in Diſſertatione ad lectiones ſancti Antonini, ad quam lectorem amandamus.

Templum Neapolitanum S. Severini non a Severino Neapolitano Epiſcopo, ſed ab ejuſdem nominis Abbate Noricorum Apoſtolo nuncupatum eſt. V. Ferratium in Cat. S. Jul. & Chioccarellum in Catal. Antiſtitum Neapolit. ad an. 100.

XI. Antiquum vero templum anguſtum aliquantulum erat, & Cryptarum more cavernoſum, ſeu humile, & ſub rupe excavatum; quapropter Caſinenſes illi Patres alterum paulo auguſtius, magnificentiuſque prope illud vetus ſub finem 16., & 17. ſeculi initium excitarunt, quô poſtea ſacra ſanctorum Renati, & Valerj corpora translata fuerunt, ut diximus. Et quamvis antiquum illud templum Caſinenſi Abbati dono datum fuerit: tamen, ne unquam deleretur memoria, quod Eccleſia Cathedralis aliquando fuerit, & ſub Epiſcopi, & Preſbyterorum poteſtate, Capitulum Surrentinum facultatem ſibi retinuit illud quotannis adeundi, in eoque ſolenne

Leo Oſtien. Chron. Caſin. l. 1. cap. 56.

ſacrum faciendi: quamobrem pridie Nonas Octobris die ſancto Renato ſacra Capitulum Surrentinum ſingulis quibuſque annis ad ejuſdem ſancti templum ſe confert, a quo quum non longe abeſt, concinere occipit hymnum *Iſte Confeſſor* recta in ipſum templum contendens, ad cujus primas ſcalas ab ipſius Cœnobj Rectore, aliiſque Monachis ſolet humaniſſime excipi; eo hymno in ipſo templo abſoluto ſancti Renati orationem recitat Archidiaconus ante Altáre, ac deinde pergit Capitulum in Chorum; atque incipit ſolenne ſacrum peragi, quod cantat unus ex Canonicis. Antiquitus Monachi ipſi Caſinenſes tam Capitulum, quam Clerum Surrentinum opiparo, lautoque prandio poſt ſacrum tenebantur accipere. Immo jus erat Archidiacono culinam adire explorandi cauſſa num ſumtuoſo, ac ſplendido apparatu inſtructum eſſet. At poſtea inter Monachos, & ipſum Capitulum convenit, ut illi quoſdam ipſius Cœnobj cenſus, quorum reditus annuus ad duodecim Ducatorum Regni ſummam aſcendit, huic prandj loco cederent, quos cenſus in præſens tempus Capitulum Surrentinum ſibi exigit.

Finis IV. Diſſertationis.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO V.

In Lectiones ſancti Valerj Epiſcopi, & Patroni Surrentini.

SECUNDI NOCTURNI.

LECTIO I.

VAlerius Surrenti in Campania natus ſancti Renati, ut fertur, diſcipulus, & in Epiſcopatu ſucceſſor, quum pietate, atque omnigena Chriſtianarum virtutum varietate unus omnium maxime floreret, ut Deo, & rerum Cœleſtium contemplationi longe ab hominum ſtrepitu, & contubernio commodius vacaret, ad Surrentinos rupium receſſus divertens, in iis aliquandiu delituit; quô quamplurimi ſanctitatis ejus fama commoti ſolebant ventitare. Sed Surrentini ſacro viduati Paſtore Valerium in Antiſtitem ſuum enixis precibus expetiverunt, non ſolum de eo bene ſperare, ſed etiam quam maxime confidere poſſe rati. Proinde in Epiſcopum Surrentinum ſolenniter conſecratus, Eccleſiam ſuam, ad quam

Digitized by Google

LECTIO III.

QUo ſecundo miraculo conſpecto, quum diligentiſſimam ſanctorum Valerj, & Renati Surrenti tutandi curam, & ſua quæque eoſdem ſanctos deſpicere, ac faſtidire barbari percepiſſent, in furias continuo exardeſcentes in eorum templum depopulaturi per ſummam temeritatem irrumpere auſi ſunt, atque illud omni injuriarum, atque opprobriorum genere laceſſere, ac violare. Quod pari, immo majori infelicitate iiſdem ceſſit. Qui enim facinus intentaverant, a malignis ſpiritibus abrepti, direque exagitati in ſeipſos invicem irruebant infenſi, & capita tandem ad parietes, & pavimentum ultro allidentes, temeritatis pœnas miſeranda morte luerunt. Quo facto reliqua hoſtium pars mirum in modum conterrita civitatem infeſta obſidione liberarunt. Quibus, aliiſque ſummis beneficiis Surrentini obſtricti Patrono ſuo, ac Tutelari potiores gratias rependentes, eum impenſius, ac ſtudioſius colere cœperunt.

CAPUT I.

De Scriptoribus Vitæ S. Valerj.

I. QUidquid vitæ S. Valerj Surrentini Epiſcopi, ac Patroni ex Antiquitatis ruderibus ſupereſt, congeſſit David Romæus, Paulus Regius, Philippus Ferrarius, & Ughellus, qui inſuper, quæ pauca in Archivo Surrentino habentur de eo Sancto acta, ſuæ Italiæ ſacræ inſeruit. De eodem obiter Anonymus, & in ſæpe laudatis notationibus Caracciolus. At quæ de S. Valerio collegit Romæus, non prætermiſit Bollandus actis Sanctorum attexere, doctiſque annotationibus illuſtrare. Præterea complures Hiſtoriarum Neapolitani Regni ſcriptores de eodem Sancto meminerunt, & præ ceteris Capacius, Summontius, & Nicolaus Giannettaſius, atque in ſua hiſtoria Surrentina, quæcumque ea ſit, Cæſar Molignanus.

Ferrar. In Catal. SS. Ital. 16. Januar.

Capac. Hiſt. Neapol. lib. 2. cap. 12. ubi de Eccleſ. Surrent., & ubi de SS. Surrent. Summont. lib. 1. Dell' Iſt. del Regno di Napoli pag. 397. Nicol. Giannett. Hiſt. Neap. dec. 1.

Ceterum in nullis Sanctorum faſtis, ſeu Martyrologiis præter ms. Codicem Archivi Surrentini, antiqua illius Metropolitanæ Eccleſiæ Kalendaria, Topographiam Ferrarj in Martyrologium Romanum, & Catalogum Sanctorum in Martyrologio Romano non contentorum ab eodem auctore congeſtum, S. Valerj inſcriptum nomen contigit deprehendere.

Ferrar. In Topograph. Martyrol. Rom. & in Generali Catal. SS., qui in Martyr. Rom. non ſunt. 17. Kal. Februarj.

CAPUT II.

De tempore, quo Sanctus Valerius floruit.

I. SAnctum Valerium ſub S. Renati diſciplina adoleviſſe, eique in Epiſcopatu fuiſſe Succeſſorem a Majoribus Surrentinorum poſteritati demandatum, ut ſcriptis proditum legitur in Chronico Sanctorum Surrentinorum, & typis inde conſignavit, ut dictum eſt, Ughellus in vita ſancti Renati his verbis: *Addunt eum unicum illius ſeceſſus ſocium habuiſſe nomine Valerium, patria Surrentinum, quem ſui inſtituti, morumque egregium ſectatorem probe ſtudiis omnibus pietatis excultum, demum poſt obitum dignitatis, ac muneris reliquit hæredem*. Et in vita S. Valerj eadem ita exprimit: *Sanctus Valerius de Apreda Surrentinus D. Renati in ſancta converſatione diſcipulus, & in Epiſcopatu ſucceſſor circa annum Domini* 453. Vult igitur Ughellus ſanctum Valerium proxime, & nemine alio intercedente ſancto Renato mortem obeunti ſucceſſiſſe, ut etiam videre eſt in congeſta Surrentinorum Epiſcoporum ſerie, in qua ipſe ſanctus Valerius poſt S. Renatum, nemine alio interjecto, collocatur. At fortaſſe minus recte. Id enim iis, quæ in ipſius S. Valerj actis leguntur, minime conſonat. In ejus ſiquidem vita habemus illuc in ſolitudinem ſe contuliſſe, ubi antea ſanctus Renatus vivens degerat, ibique ſibi ad habitan-

Ughell. loc. cit.

V. Romæum, Capacium, Ferrarium, & Ughellum.

bitandum domunculam D. Renati templo contiguam extruxiſſe. Cui rei (niſi fuerit id a recentiore aliquo ſcriptore fortaſſe additum) inſiſtentes cogimur aſſerere ſanctum Renatum, quum in eam ſolitudinem ſe recepit ſanctus Valerius, non modo vita functum, verum etiam templum jam habuiſſe, & longe poſt ſancti Renati olim ſanctum noſtrum Valerium vitam pertraxiſſe. In id fortaſſe animum intenderat Ferrarius, quamobrem de eo inquit: *Quo tempore hic ſanctus Epiſcopus vixerit, non legi. Etſi enim illum poſt ſanctum Renatum Eccleſiæ Surrentinæ præfuiſſe certum eſt: non tamen an illi immediate ſucceſſerit, ſciri potuit*. Et ante Ferrarium Romæus in vita S. Valerj jejune, parceque concinnata aperte conteſtatur tempus ſe neſcire his verbis: *Quibus annis hoc fuit, non reperi*. Cui ſe etiam lubens aſcripſit Capacius. Unde non appoſite ait Ferrarius de ſancto Valerio: *De eo David Romæus Presbyter Surrentinus in libello de Sanctis Surrentinis Protectoribus, licet tempus, quod forte eum latuit, omiſit*. Non enim *forte*, ſed certo certius latuit Romæum id temporis, quod ſatis apertis verbis ipſemet fatetur.

Ferrar. loc. cit.

Romæus loc. cit.

Ferrar. in Catal. Generali.

II. At nos quid de ſancti Valerj ætate peculiarius ſtatuamus, conjecturis, ac monimentis Surrentinis, quæ, ut diximus, hoſtium injuriis, incendiiſque periere, deſtituti non habemus, niſi heic illud ſubnectere, in quo cum Bollando convenimus ita ſcribente: *Conſtat tamen certe poſt ſanctum Renatum, qui quinto ſeculo floruit, vixiſſe, ante*

te

te Rodoaldi Ducis , qui circiter annum 650. Beneventanum Principatum tenuit , aut Romualdi illius nepotis ætatem . De qua re alibi fuſius dicemus.

Quod ad Surrentinam ſpectat traditionem ; qua innixus eſt Ughellus , opinamur illius ſenſum vel recentiores , vel vulgus , aut ipſum Ughellum non fuiſſe aſſecutum . Majorum fortaſſe mens fuit , hoc diſcipuli nomine potius innuere ſanctum Valerium veſtigiis S. Renati inſtitiſſe , ad hujus vitæ exemplum ſuam inſtituiſſe , & ad virtutes , quas æmulatus fuit , acceſſiſſe propius : quam ejus conſuetudine fuiſſe uſum . Et profecto ſanctus Valerius in eamdem , quam ſanctus Renatus incoluit , ſolitudinem ſe recepit , eodem pene modo vixit , atque ex eadem eremo , ut ſancto Renato contigit , in Epiſcopum Surrentinum vel invitus electus .

III. Hæc autem interpretatio ſi non placet , quo alio modo conciliari res poſſint , non videmus . Niſi forte quis malit illius ædiculæ nomine , de qua mentio eſt in vita ſancti Renati , intelligi Martyrium , quod etiam ſanctis Confeſſoribus rara virtutum , ac miraculorum fama decedentibus paulo poſt mortem excitari ſolebat , ut colligitur ex ſancto Hieronymo de ſancto Antonio Abbate loquente , quod nos attigimus in Diſſertatione ad Lectiones ſancti Antonini ; de qua re adi etiam Thomaſſinum . Inde acta S. Renati ita explicet , quod ſcilicet Surrentini vitæ ſancti Renati innocentia , ac ſignorum operatione

V. Johan. Steph. Durant. De Rit. Eccleſ. Cath. lib. 1. cap. 1. n. 11.

Bona Rer. Liturg. lib. 1. cap. 19. n. 4.

Baron. in Not. ad Martyr. Rom. die 16. Julj De voce Martyrj loquentes .

adducti Epiſcopo ſuo martyrium ſtatim poſt ejus mortem erexerint, cui adjunctam ædem ædificarit ſanctus Valerius, dum clavo Eccleſiæ Surrentinæ ſederet priſtinæ ſolitudinis non immemor, ut in illam, quum per paſtorales curas liceret, per aliquod dierum ſpatium ſeſe aliquando abderet, ut ſibi uni vacaret, quod Epiſcopis non erat omnino interdictum.

Quoquo autem modo ſe res habeat, ſi cui hoc probatur, facile eidem eſt S. Valerj ætatem ſtatuere, quippe qui proximum S. Renati in Epiſcopatu Succeſſorem faciet. Qui vero id veroſimilitudini non adeo conſonum exiſtimarit, priorem potius ſententiam probans, ſucceſſorem ſcilicet ſancti Renati fuiſſe, at non proximum, exploratum ſaltem habuerit poſt ſanctum Renatum, qui quinto ſeculo, ut diximus, floruit, & ante obſidionem a Rodoaldo Beneventi Duce ſexto Surrentinis mœnibus admotam, quæ ſeptimo ſeculo advenit, vixiſſe. Quod quum admiſeris, non erit improbabile ſancti Valerj ætatem intra illum fere centum annorum hiatum ſtatuere, qui inter Roſarium R. Concilio ſubſcribentem anno 499., & Johannem, qui alteri Romanæ Synodo interfuit anno 595., intercedit, per quod fere centum annorum ſpatium eorum Epiſcoporum, qui Surrentinæ Eccleſiæ tunc præfuerunt, ſeries omnino intercidit; cui opinioni qui incubuerit, ſanctum Valerium eo tempore, quod eſt intra quinti ſeculi finem, & circa ſexti exceſſum vixiſſe fatebitur.

V. Librum III. hujus 1. partis.

CA-

CAPUT III.

De Nomine, Patria, & Familia ſancti Valerj.

I. Valerius num prænomen fuerit, ſeu proprium nomen, an vero nomen, quod & cognomen appellamus, quis *Lesbius Prylis* divinaverit, quum ita nudum ad nos pervenit, ut ultra inquirere nulla ratio patiatur. Apud priſcos vero Romanos, & prænominis, & nominis loco poſitus. Prænominis, ut *Valerius Aſiaticus*, *Valerius Vegetius*. Nominis, ut *M. Valerius Corvinus*, ex Valeria gente antiqua æque, ac nobiliſſima natus.

Verum, quum ſancti Valerj familiam ex Apredea gente, vetuſtiſſima traditione acceperint Surrentini, ut mox dicemus, prænomen *Valerius* fuiſſe colligi poteſt.

II. Patria Surrentinum fuiſſe inveterata quoque traditio eſt: quam non ſpernenda ſane conjectura firmavit in ms. Notulis ad ſeriem Surrentinorum Epiſcoporum nobiliſſimus æque, ac eruditus vir Hieronymus Serſalius (nobis, dum viveret, conſuetudine conjunctiſſimus) animadvertens in cunctis memoriis, quæ ſuperſunt, de Surrentinis Epiſcopis, ut in officiis ad celebrandas eorum ſanctorum laudes de externis, & aliunde accitis patriam memorari, de aliis in proprio

Digitized by Google

ſolo natos nihil adjici, ut de ſancto Valerio, & de Roſario, aliiſque, de quibus in tertio libro. Quocirca inter Surrentinos ſanctum Valerium connumerabimus, licet de hac re altum ſilentium apud Romæum, Regium, Ferrarium, alioſque.

III. Quod ad familiam attinet, ex honeſta gente Apredea adhuc florente ortum duxiſſe ſanctum noſtrum firma traditio eſt, quam ſcriptis conſignavit Ughellus. Archiepiſcopus Antonius Petius, qui ſummo labore, atque induſtria ſeriem Epiſcoporum Surrentinorum ſuperiori ſeculo concinnavit, & in magna Archiepiſcopalis palatj aula udo ſubacto depingi curavit, ſancti Valerj nedum patriam, & familiam expreſſit, ſed inſuper gentilitiam *Apredarum* teſſeram affigi voluit, quæ eſt hujuſmodi: Parma, vel Pelta deauratam areolam continet, in qua humili loco tria montium contigua cacumina depicta extant, medium lateralibus prominentius, in his duæ inſiſtunt albæ columbæ ſe invicem ſpectantes; in ſublimiori ſcuti ſuperficie binæ albæ ſtellæ effictæ.

IV. Hanc teſſeram acriter exagitat in ſuis notulis memoratus Serſalius, & leviter *creduli* præſtantiſſimum alioqui Archiepiſcopum cenſoria nota accerſit, putans tempore ſancti Valerj, circa annum, ut credit, 450. teſſeraria ea ſcuta vel non fuiſſe prorſus in more, vel a Magnatibus, inſignibuſque viris tantum adhibita, non a popularibus, humilioribuſque familiis, ut *Apredea*. Præterea Hierogliphyca illa montium, & Stellu-

Stellularum in *Impreſiis*, ut ipſe dicit, recentiſſime prorſus invecta eſſe, & a novis, vulgaribuſque viris uſurpata autumat, quod ſatis animadverti ait ab harum rerum peritis, quum antiquitus animalia in illis tantum inſerebantur. Et quoniam in Gentilitio ſcuto Gentis *del Balzo*, quam nobiliſſimam, & antiquiſſimam familiam eſſe fatetur, ſtellam deprehendit: illam alio modo radiantem ſcilicet, & primæ magnitudinis depictam eſſe annotavit.

Verum in gratiam veritatis, quæ omnium nobis amiciſſima eſt, non tanti pendent hæ amici jam noſtri rationes, ut, abſit invidia verbo, antiquiſſimam traditionem, & opus diligentiſsimi Archiepiſcopi convellere valeant.

Primo enim carpentis os occludere ſtatim valeret reponens quiſpiam, Archiepiſcopum noluiſſe indicare a ſancti Valerj majoribus phrenoſchema illud adhibitum, ſed a gentilibus poſteris, atque hanc ejus fuiſſe mentem ſignificant cetera, quæ poſuit, Gentilitia ſchemata aliorum priſcorum Epiſcoporum, ut uſurpantur a poſteris eorum cognatis, prout exquiſitis notitiis aſſequi potuit.

Deinde quod innuit Apredeam hanc gentem non eſſe antiquam, æquivocationem patitur, ut recte notat Ammiratus, aliique paſsim. Cuncti enim a protoparentibus originem vetuſtiſsimam ducimus, ſed non omnes eumdem antiquitatis ſplendorem, & faſtum jactare poſſumus, quod iis datum eſt, qui ab inſigni aliquo viro ob præclara

V. Scipion. Ammirat. Nelle Famiglie illuſtri Napoletane.

T. ſ. Nel Dialogo della Nobiltà intitolata il Trono.

clara facinora noto, & commendato deſcendunt.

V. Non inficiamur quidem nos frequentiora animalium ſymbola in ſcutariis teſſeris antiquiſ-

Geneſ. cap.49.

ſimis temporibus adhibita fuiſſe. Ex ipſa enim Jacobi benedictione, unde hic mos enatus fuiſſe non immerito creditur, liquido conſtat. Jacob duodecim filiis ſuis vaticinia auſpicatus eſt, & ſymbolis brutorum animantium uſus: ut Judam *Catulum leonis* dixit; Dan *Colubrum in via*, Nepthali *Cervum emiſſum*; Beniamin *Lupum rapacem*; Iſſachar *Aſinum fortem*. Sed & inanimantium rerum ſymbola quoque non deſpexit; ut *Vaſorum bellantium*, *pinguis panis &c.*

Quapropter miramur nonnullos typos hos Hieroglyphicos, & inſignia in Gentilitiis ſcutis pri-

Paol. Giov. nel Ragionamen. dell' Impreſe con M. Lodovic. Domenichini.

mo in expeditione Hieroſolymitana adinventa ferre, vel etiam paulo poſt a Friderico Ænobardo, ut vult præſertim Paulus Jovius, poſt cujus gravem auctoritatem, ut putamus, pedibus ivit Serſalis, quum ſtatuerit in more non fuiſſe ſancti Valerj ætate antiquiſſimas teſſeras, quas Patriarchæ Jacobo acceptas ferimus, ut fuſiſſime proſequitur P. Athanaſius Kircher locum illum Nume-

Kircher. in Ædipo Ægyptiaci gymnaſij tom. 2. cap. 1. De Impreſa.

Num. cap. 2. v. 2.

rorum enarrans: *Singuli per turmas, atque vexilla, & domus cognationum ſuarum caſtra metabantur filii Israël*. Quæ verba ita leguntur in verſione Syriaca: *Vir juxta vexillum, & ſignum ſuum, & ſecundum Domum patrum ſuorum*. Unde repertas antiquiſſimas teſſeras Gentilitias & ipſe kircher, & ſa-

Digitized by Google

ſacrarum ſcripturarum inrerpretes docent.

VI. Quid quod ſtellarum figuras in hiſce Phrenoſchematibus recentes non eſſe, ut ſtatuit Serſalius, ſed antiquiſſimas fert idem Kircherus, & hujuſmodi unam reperiſſe apud Gamaëlidem in ms. commentario in *Pirke avoth*, quod compactum eſt ex globo terreſtri cum circulis, & ſtellis, ut nunc depingitur, circumdato, ut etiam inſpexerit quicumque ipſum Kircherum in Ovo Zoroaſtræo depictas ſtellas circumferente adierit. Stella item apud Ægyptios modo Dei ſymbolum, modo noctis, modo temporis, interdum etiam hominis maſculi animam ſignificat ex Horo Apolline. Quod autem in antiqua teſſera familiæ *del Balzo* grandior, & radians depicta fuerit ſtella, id ex inventis allegoriis ab emblematum auctoribus oritur; aliqui enim primæ magnitudinis, alii minores usque ad ſextæ magnitudinis, vel nebuloſas exprimi voluerunt.

Impreſas appellat Kircher barbara voce latinis cooptata, ut diſtinguat ab aliis Symbolorum generib.

Idem Ædip. Ægypt. Theatr. Hieroglyph. Syntag. 15. Obeliſc. Barb. §. 1.

Hieroglyph. lib. 2. De ea re.

V. etiam Pierium Valerianum.

VII. Sed nedum apud Hebræos, & Ægyptios has Gentilitias teſſeras, & ſymbola in more fuiſſe, ſed apud antiquiſſimos quoſque Phrygios, Trojanoſque, ſi Maroni fides eſt habenda, & arma dicta fuiſſe conſtat. Fert enim Æneam conſcendiſſe in editum Chartaginis ſcopulum, ut inſpiceret, ſi aliæ ex ſua claſſe diſperſæ naves apparerent a ſævis fluctibus jactatæ:

Æneas ſcopulum interea conſcendit, & omnem
Proſpectum late pelago petit, Anthea ſiqua
Jactatum vento videat, Phrygiaſque biremes,
Aut Capyn, aut celſis in puppibus arma Caici.

Virgil. Æneid. lib. 1. v. 185.

Tiraquellus de Nobilit. cap. 6.

Gio: Palazzi ne' Diſcorſi ſopra l'impreſe.

hoc

hoc eſt, inſignia, ut proinde putent non immerito Tiraquellus, Palatius, aliique inſtar Latinorum hanc vocem *Arma* pro Gentilitia teſſera a nobis Italis uſurpari. Clarius idem Poëta, dum Æneam in Epiro ab Heleno pridem Trojano ſacerdote, ac Vate lautiſſimo hoſpitio receptum, auguratum, & multis tandem muneribus donatum inducit, inter quæ:

Æneid. lib. 3. v. 468.

Et Conum inſignis Galeæ, Criſtaſque comantes,
Arma Neoptolemi.

ubi Servius exponit *Arma depicta*, quod rectius de *inſignibus, quam de armis proprie intellectis: immo vix de illis intelligi poteſt*; ut etiam interpretaandus in verſu illo:

Idem lib. 10.

Pacem orare manu, præfigere puppibus arma.

Valla in elegan. Barthol. Tract. de Inſign. & Arm. Tiraquell. de Nobilit. cap. 6. V. Andrea Palazzi nel Diſcorſo 2. ſopra l'impreſe.

Ex quibus inferas jure ne, an injuria ſævus ille omnium cenſor Laurentius Valla tam acriter mordeat, ac ſuggillet Bartholum, quod Arma pro inſignibus poſuerat; qua in re is optime a Tiraquello, aliiſque cenſura vindicatur.

Andreas Alciatus, Joachim Camerarius &c.

VIII. Licet vero ſymbola ea, & Hieroglyphica in plura genera divident ii auctores, qui ampliſſimam in his, ſi fas eſt dicere, futilitatibus ſcribendi materiam nacti, eam quam inanibus præceptis cumularunt; quædam enim Symbola a Græcis, & Romanis in numiſmatibus adjecta; quædam, & ab his cuſa etiam in metallis, quæ in triumphis elargiebantur; quædam in gemmis, & anulis, ac ſigillis, quas teſſeras Gentilitias a vetuſtiſſimis Græcis adhibitas fuiſſe clariſſime expreſſit

De Emblematibus egit Alciatus, Simon Bragagli, Paulus Areſius, Sayavedra, aliique quamplurimi.

preſſit Ovidius, ubi narrat ab Ægeo patre agnitum fuiſſe filium Theſeum ex inſigniis ſui generis, quæ in capulo enſis ſculta geſtabat, propinatamque veneficam potionem amoviſſe: Ovid. Metamorph.lib.7.v. 421.

Sumſerat ignara Theſeus data pocula dextra,
Quum pater in capulo gladii cognovit eburno
Signa ſui generis, facinuſque excuſſit ab ore.

Tyrrhenos item, atque Latinos hiſce inſigniis uſos fuiſſe, ut de Teucris dixerat Virgilius, repetit ita:

.... Satus Hercule pulchro
Pulcher Aventinus, clypeoque inſigne paternũ Virgil.Æneid.l.7 v. 656.
Centum angues, cinctamque gerit ſerpentibus hydram.

Nec non Horatius nomine Davi inquiens: Horat. Sermon. lib.2.ſatir.7.v.53.

Tu cum projectis inſignibus, anulo equeſtri,
Romanoque habitu prodis.

Et Tullius in oratione pro Sylla ambitus damnato: *Omnia, Judices, hæc omiſſa ſunt: Omnia generis, honoris, nominis inſignia, atque ornamenta judicj calamitate occiderant.* His tamen Tiraquellus putat ſatis declarari ſua cuique generi inſignia peculiaria fuiſſe, quæ Gentilitia vocare poſſumus, & familiaria, ideſt, cuique familiæ propria, & peculiaria.

IX. Budæus quoque antiquiſſima fuiſſe apud Romanos hæc inſignia propugnat; ſed ea, quibus proprias imagines Magnates, & viri principes, ut innuere videtur etiam Plinius, addebant ita, ut non tantum familiarum inſignia fuerint, ſed etiam peculiarium hominum; atque ita conſuetum ab Plin.lib.35. c.3

Ddd Im-

Imperatoribus in numiſmatibus, qui in fronte propriam imaginem, in averſa talia cudebant ſymbola.

Georg. long. de Anul. Signator. Angel. de Nuc. in Not. ad Leon. Oſti.

X. Quod autem Serſalis addit ſe apud antiquos Romanos gentilitia ſcuta offendere, non tamen apud poſteros: nos non inficiamur Caligulam Imperatorem haſce teſſeras nobilibus, quibus ea ætate fortaſſe tantum licebat, ut inter omnes convenit, ademiſſe, Suetonio teſte, qui hæc perhibet: *Cetera familiarum inſignia nobiliſſimo cuique ademit, Torquato torquem, Cincinnato crinem*. Verum morem hunc prorſus abolere non potuit, neque effecit, quin poſteri ſigna ſui generis, vel imagunculis in anulis impreſſis, vel alio modo expreſſerint, ut videre eſt apud ipſum Georgium Longum. Immo illis uti poſterioribus temporibus etiam privatis licuit, ut advertit Tiraquellus his verbis: *Attende tamen, lector, quod Panormitanus in d. C.* Dilecta, *dum dicit non licere privatis perſonis arma, ſeu inſignia nobilium deferre, non per hoc videtur plebejos hujuſmodi armis interdicere, ſed illud tantum, ne poſſint nobilium armis uti*. Quod luculentius conſtat ex C. *Inter dilectos De Fide inſtrumentorum* Innoc. III. Unde liquet tam apud antiquos, quam apud recentiores, & ante, & poſt tempora Friderici Ænobardi, & Magnates viros, & populares ſigilla adhibuiſſe, ut etiam Communitates.

Sueton. in Calig. cap. 35.

Tiraquell. loc. ſæpe laud. 1. 17.

Panormit. in not. ad cap. d'lecta. de excelſib. Prælator. ubi ipſemet Panortritariam inſignia diſtinguit.

Præterea ſi hac in re deceptus eſt Archiepiſcopus de Petio, lapſi itidem ſunt tot eruditiſſimi viri,

V. Barnabã Briſſonium. De Formulis Hotthomannũ. lib. 1. obſer. c. 13. Theod. Hoping. de jure Sigilli cap. 6.

ri ; qui quæcumque potuere inſignia vetera eruerunt, & Principum, ac præſertim omnium fere R. Pontificum vitis præfixere ſaltem a quarto ſeculo incipientes.

Cuiac. Tom. 7. pag. 705. Conſult. 56. de Adopt., & Nobil. lit. D. & E

XI. Poſtremo, ut Surrentinam traditionem omnino evertat Serſalis, ſubjicit in margine; quod quum aliorum Epiſcoporum, atque Archiepiſcoporum S. Valerio poſteriorum ex Surrentinis, & nobilibus ſane familiis ortum trahentium cognomina in obſcuris deliteſcant, queî hujuſce plebejæ, vulgaris, & antiquioris potuit memoria tanto annorum lapſu non effluere? At nos primo quærimus ab eodem: quomodo unquam novit eos Epiſcopos, & Archiepiſcopos Surrentinos fuiſſe, atque ex ampliſſimis familiis, ſi tempus, & longa dies eorundem cognomina oblivione involvit, atque omnino delevit, ut ipſemet ultro fatetur? Secundo quæ ipſi ſuppetunt teſtimonia, ex quibus eruat eam familiam iis etiam antiquis ſane temporibus nulla majorum laude fuiſſe commendatam, infimæque conditionis habitam? Quandoquidem in dies videmus ampliſſimas gentes, ac familias nominis claritate, ac parentum imaginibus conſpicuas ſordes contrahere, & in humillimam ſortem devenire; & contra quæ antea generis humilitate viluerant, ſplendoris amplitudinem ſibi accerſere, atque in nobilium ordinem, vel virtute, vel fortuna Duce, ſeſe intrudere; quibus exemplis omnis pene hiſtoria referta eſt, & omnis fere ætas ſcatet. Denique etſi omnibus, quæ objicit Serſalis,

 nihil

nihil obtrudi poſſet: tamen mirum minime eſſet; quod noſtra etiam tempeſtate ſancti Valerj genus teneatur, & non tot aliorum Epiſcoporum, etſi Surrentinorum origine, ac nobilium; ſanctus enim Valerius vitæ ſanctimonia, ac miraculorum fama tantam ſibi conciliavit nominis celebritatem, tantamque ſuo generi amplitudinem, ut nulla temporum injuria, nulla annorum longinquitas, nulla hoſtium impreſſio, nulla denique publicarum tabularum jactura illi detrahere, vel ab hominum memoria potuerit abolere. Quam ſane immortalitatem ab hominum opinione non adeo facile fuit aliis ſibi comparare. Secus enim, ſi quid Serſalis conjecturæ valerent, nedum de ſancti Valerj, ſed etiam de ſancti Renati, aliorumque nomine eſſet dubitandum; quum poſteriorum Epiſcoporum etiam nomina ſint jam ipſa oblivione contrita. Quod Serſalis ipſe non auſus fuiſſet aſſerere. Hæc vero paulo longius protraximus, non ut Serſali nobili viro, nobiſque, dum vixit, amiciſſimo occurreremus, ſed ut pateret, quo loco, ac numero habendæ eſſent hæ, & id genus aliæ conjecturæ contra hanc Surrentinam traditionem, qua docemur ſanctum Valerium ex gente *Apreda* originem traxiſſe. Ceterum quouſque tempus quid certius detegat, nos ea contenti, atque innixi eſſe poterimus.

CA-

CAPUT IV.

De Reliquis, quæ in prima Lectione ſunt annotanda.

I. Locus, ubi ſanctus Valerius ante Epiſcopatum ſe occuluit, idem eſt, ac ille, in quo ſolitudini vacans ſubſtitit ſanctus Renatus; ac ab eodem ſancto facto illi nomine, S. Renatus ab antiquis temporibus audit, vel a prima ſua ibi acta cunctatione, vel a templo, quod ibidem primus omnium obtinuit, ubi nunc etiam Benedictinorum Cœnobium, ut pluries alibi attigimus, extat.

Quod Surrentini ſanctum Valerium ſibi Epiſcopum expetierint, id ad eam facultatem ſpectat, qua ea tempeſtate pollebat Clerus, præſente Populo Surrentino, deſignandi ſcilicet ſibi Epiſcopi, ut in ſancto Renato diximus. Et quoniam ſatis multis probavimus Archiepiſcopalem Cathedram fuiſſe Surrentinam, Patriarchæ Occidentalis, ſcilicet Papæ confirmationis indigebat.

II. Quod S. Valerius Eccleſiam ſuam ſacramentis, verbo, & exemplo rexerit, ſane ita nobis ejus ſanctimoniæ nixis putandum eſt; hæ enim Epiſcopi cujuſque partes, ut ſanctus Auguſtinus advertit, eſſe debent, Domino id præcipiente apud Johannem, ubi Paſtorem Petrum, & Apoſtolos effecit, ut idem ſanctus Auguſtinus verbis illis:

Circa Paſtoris nomen V. Baron. tom. I. Annal. ad ann. 34. n. 180., & Caſaubon. In exerc. in Baron. in hunc loc.

S. Auguſt. Oper. tom. 5. Ordinat.

PP.S.Mauri Serm. 46. c.13. & Serm. 137. cap. 12.
Johan.1.
V. S. Auguſt. Oper. tom.5. juxta Ordin. PP. S. Mauri Serm. 296. cap. 4.
S.Bernard.Serm. 2. de Reſurreſt.
Idem epiſt.201.

illis : *Paſce oves meas*, adductus explicat : & ſentit ſanctus Gregorius ; quamobrem ſanctus Bernardus ita Epiſcopum quemque adhortatur : *Paſce mente , paſce ore , paſce opere , paſce animi oratione , verbi exhortatione , exempli exhibitione* . Qui quid ſimile alibi ita inculcat : *Paſce verbo , paſce exemplo , paſce ſanctarum fructu orationum* . Ex quibus locis verba illa Lectionis primæ paucis immutatis deſumta . Neque quidquam refert , quod Lectionum auctor *rexit Eccleſiam* potius , quam *pavit* , ibi ſcripſerit . Utrumque enim verbum Eccleſiaſticis Scriptoribus æque familiare . Et Apoſtolus etiam inquit : *Poſuit nos Epiſcopos regere Eccleſiam Dei* .

Romęus,Ughell. & Ferrar.loc.cit.
Bolland.tom.2. die 16. Januarj pag.29.

III. Natalem ſancti Valerj diem, qua in immortalem vitam tranſiit, decimam ſextam Januarj fuiſſe traditio eſt ; eo ſane die Surrentini ſolenniter Patroni ſui memoriam quotannis recolunt ; ita etiam teſtatum reliquit Romæus, Ughellus , & Ferrarius, quem præ ceteris ſecutus Bollandus ait : *Heic* (Surrenti ſcilicet) *Antiſtes fuit ſanctus Valerius , cujus natalem hoc die Philippus Ferrarius in Catalogo ſanctorum Italiæ , & generali Catalogo ſanctorum conſignat* . Quibus omnibus extrema verba primæ lectionis conſentiunt . Ubi vero peculiariter conditus fuerit , inter ſuæ vitæ ſcriptores non videtur convenire , ideoque in Lectionibus de hac re nulla mentio . Romæus enim ait : *Et in eadem ædicula , quam vivus ante Pontificatum incoluerat , ſepultus eſt* . At Ughellus : *Et in*

Romæus loc.cit.
Ughell. loc.cit.

Digitized by Google

in templo ejus , & ſancti Renati nomine excitato conditus eſt . Qui ita diſsidentes ad concordiam adduci poterunt noſtro judicio, ſi ſancti Valerj corpus , poſtquam animam efflavit , in eam ædiculam , quam vivus ante Epiſcopatum habitaverat , a Surrentinis inductum dicemus , ibique humatum permanſiſſe , quouſque miraculis inclareſcens ſanctus Valerius Surrentinæ civitatis Patronus renuntiatus fuit , ejuſque corpus in templum D. O. M. nomine ſancti Renati antea poſitum , tranſlatum fuit , quod deinde ſanctorum Renati , & Valerj uſque ad noſtra tempora vocitatum eſt . Id forſitan innuere voluit Capacius , ubi de ſancto Valerio ait : *Epiſcopum ſibi Surrentini elegerunt , Patronus civitatis habitus , & in templo ſui nominis ſepultus* . Quamdiu in ea ædicula humatum ſacrum corpus ſubſtiterit , & quando in templum traductum , quamvis difficile ſit definire : tamen fama ſanctimoniæ , & miraculorum , quæ ſtatim poſt ejus mortem erupiſſe videtur , adducti , parum temporis in ea conſediſſe ædicula putamus , præſertim quod Agapiti ætate ejus nominis gloria ſatis increbuerat , ac jam Patronus habebatur .

Caſa: Capac. loc.cit.

IV. Quot annos Surrentinæ Eccleſiæ præfuerit , non ſolum incertum arbitramur : verum etiam a veritate alienam putamus ſententiam quorumdam aſſerentium 28. annos Eccleſiam ſuam adminiſtraſſe , ut in quibuſdam ms. Codicibus , qui Surrenti circumferuntur , nos legiſſe meminimus .

In ms. Not. , & Obſerv. D. Hieronym. Serſal. in Vita S. Valerj .

mus. Ejus enim acta juvenem illum ad Cœlum abiiſſe teſtantur; quare in ipſo illud Menandri eventu comprobatum videtur:

Ὃν γὰρ φιλεῖ Θεὸς ἀποθνήσκει νέος.

Quem enim amat Deus, moritur juvenis.

Romæus loc. cit.

Hoc idem ita Chriſtiana pietate expreſſit Romæus: *Qua in poteſtate bene ſe gerentem Jeſus Chriſtus, qui dixerat*: Volo Pater, ut ubi ego ſum, illic ſit & Miniſter meus, *juvenem ad ſe accerſit xvii. Kal. Februarj*. Et idem alibi in vita ſcilicet ſancti Antonini, dum Surrentinos Patronos, qui ſe Sergio Pipino Neapolitano videndos præbuere, recenſet, ſic ait: *Ille juvenili ſpecie ſed ſenili prudentia Valerius*. Quod hauſit ex Anonymo, qui idem referens inquit: *Quartus vero juventutis gratia floridus Valerium ſeſe nominavit*. Quo tempore apparuiſſe videntur ea ſpecie Surrentini Patroni, qua erant, quum a Surrentinorum oculis per obitum ſeſe eripuerunt. Quamobrem ſi 28. annos Epiſcopatum tenuiſſet, ſupra quinquaginta annos natus deceſſiſſet, qua quidem ætate *Juventutis gratia*, qua apparuit, minime potuiſſet floreſcere. Nam ex Iſidoro habemus Presbyteros & propter honorem, & propter ætatem, ac decrepitam ſenectutem, qua præditi erant, quum eligerentur, ita vocatos. Hæc ſunt Iſidori verba: *Presbyter Græce, Latine ſenior interpretatur, non modo pro ætate, vel decrepita ſenectute, ſed etiam propter honorem, & dignitatem, quam acceperunt, Presbyteri nominantur.*

S. Iſidor. lib. 7. Etymol. cap. 12. quem etiam lege in Can. Cleros diſt. 21.

CA-

CAPUT V.

Paraphraſis circa ſecundam, & tertiam Lectionem.

I. POſtquam D. O. M. templum duplici inſignitum nomine ſanctorum ſcilicet Renati, & Valerj Surrentini ritu catholico ab Antiſtite inauguratum poſuiſſent, eôque Tutelares ſuos precaturi, & veneraturi convenire ſæpe ſæpius conſueviſſent, plurimis exinde mirandis beneficiis à priſcis uſque temporibus cumulatos rediiſſe conſtat ex Actis, quæ extant in Archiepiſcopali Surrentino Chartophylacio, ubi ſcriptum legitur: *De aliis etiam virtutibus, quas per eos Dominus cotidie operatur, nec lingua poterit, nec ſermo ſufferre: Eorum vero orationibus multi adverſis oppreſſi languoribus cotidie ſalvantur. Eorum interceſſionibus cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur; triſtes lætificantur, infirmi ſalvantur, & multi vexati a ſpiritibus immundis cotidie curantur.*

Tot, tantiſque mirabilibus largitionibus, ac magnificentiſſimis beneficiis obſtrictos Cives gratias Cœlicolis benefactoribus viciſſim rependiſſe putandum eſt: & quod odorata, immortalique cedro digniſſima opera eſſent, & pictis tabellis, & locupleti ſtylo ſeorſim ſingula conſignaſſe: quæ tamen omnia monimenta longa ſeculorum vetuſtas abſorbuit. Pauca hæc tantum peculiariter,

& diſtincte ad nos pervenerunt, quæ in ſecunda, & tertia Lectione nitide, & Laconice referuntur, ut extant etiam apud David Romæum. In jam dictis autem actis ſanctorum Renati, & Valerj, adeo turbate, confuſeque exarata ſunt, quandoque etiam oratoriis figuris interpolata, ut ſuſpicio nobis ſubierit non ab uno hiſtorico ſcripta fuiſſe acta ea, ſed plurium orationes eſſe in ſanctorum iſtorum laudes recitatas, ſimul deinde collectas.

II. Ceterum *Felix* ille *villicus*, ut in actis dicitur, qui ab hoſtium manibus, & a prærupto præcipitio incolumis evaſit, inter alias hujuſmodi preces effudiſſe fertur in actis: *Deus, qui huic Surrentinæ urbi noſtræ veridicos Renatum, & Valerium ſacerdotes ſamulos tuos patronos dediſti, quam multoties a neſandiſſimæ Langobardorum gentis inſidiis viſibiliter munitam reddiderunt &c.* In quibus verbis idem eſt ſacerdotes dixiſſe, atque Epiſcopos. Norunt enim eruditi viri Epiſcopos, Sacerdotes, & Presbyteros paſſim appellatos in ſacris ſcripturis, & a Patribus, ut fatetur, & conſentit diſertiſſimus Petavius contra Salmaſium. Verum putide hallucinatur Salmaſius, & noſtri ævi Presbyteriani omnes, qui ex nominis communione eamdem faciunt Epiſcoporum, & ſimplicium Sacerdotum jure Divino dignitatem, poteſtatem, atque officium; quæ ſi non nomine, adjunctis tamen, ſive appoſitis nomini, & epithetis diſtinguere, ubi opus fuit, non omiſerunt, & pri-

Petav. de Eccleſ. Hierarch. l.4.c.5. n.7., & c.8.n.3.

& primi ordinis, vel majores ſacerdotes, aut maximos quandoque dixerunt, vel bis ſacerdotes. Sanctus quoque Optatus Milevitanus ſimplices ſacerdotes Presbyteros in tertio ordine conſtitutos appellat.

In veteri teſtamento Pontifex Sacerdotis quoque ſummi nomine nuncupatus, quum tamen ſublimior ipſius eſſet poteſtas. Sic & in novo teſtamento. Ab Imperatoribus quoque Theodoſio, & Juſtiniano, a quibus Epiſcopi procul dubio divino jure majores ſimplicibus ſacerdotibus credebantur, communi nomine ſacerdotes appellantur. Idemque animadvertere eſt in Capitularibus Caroli Magni. Adde, ſis, apud ipſos Ethnicos Romanos Pontifices, licet a minoribus ſacrificulis diſtincti eſſent, commune ſacerdotum nomen ſortitos fuiſſe.

S. Opt. Milev. lib. 1. contra parmenid.

V. Plura, quæ pro ea re notant PP. S. Mauri in Not. ad epiſt. S. Greg. lib. 2. indict. 10. epiſt. 50. & in Dialog. lib. 1. c. 12.

In Tit. Cod. De Epiſc. & Cleric. V. Cujac. oper. tom. 2. ad Novell. 3. Iuſtinian., & alibi.

Gyrald. in Hiſt. Deor. Syntag. 15. Roſin. alioſque plures Romanarū antiquitatum ſcriptores.

III. Sed mihi videntur Presbyteriani omni prorſus cogitandi, aut diſſerendi arte expertes, quum ex communione nominis communem dignitatem, & munus Epiſcopis, & Sacerdotibus ceteris, ſeu Presbyteris elicere conantur. Oportuiſſet enim ad leve hoc ex nomine argumentum quoquo modo firmandum, prius probaſſe nomina hæc reciprocari ita, ut & Epiſcopus quilibet dicatur etiam ſacerdos, & Presbyter, ac viceverſa quicumque ſacerdos, aut Presbyter Epiſcopus proprie nuncupatus fuerit; quod nunquam præſtabunt, niſi forte per translationem, aut emphaſim quandoque factum; alias enim ſi ſacerdotis no-

Eee 2 men

men genericum eſt, Epiſcopi vero ſpecificum, recte quilibet Epiſcopus dicitur ſacerdos, non quilibet ſacerdos Epiſcopus, ut quilibet Romanus Conſul Magiſtratus, non quilibet Magiſtratus Conſul. At de his abunde alibi diſſeruimus: modo ſatis ſit annotaſſe orantem noſtrum Surrentinum Villicum, atque præſidium ſanctorum Renati, & Valerj implorantem eos ſacerdotes per antonomaſiam dixiſſe.

IV. Majus nobis heic negotium faceſſunt poſteriora precantis verba illa, quibus aſſerit multoties ſanctos Renatum, & Valerium viſibiliter Langobardorum furores arcuiſſe, urbemque Surrentinam tutatos: quum hæc a Rodoaldo Beneventi, ut in lectione dicitur, Duce facta obſidio omnium antiquiſſima videatur. Rodoaldus enim IV. Beneventi Dux ſucceſſit Ajoni, qui toparchiam teſte Erchemperto biennium tenuit; quum enim Slavi, ſive Sclavi poſtea dicti, qui Septentrionali plaga profecti Illyriam occuparant, valida comparata claſſe, in vicinam Apuliam navigarunt, militeque ad Gargani litus expoſito, Sipontum Beneventani Ducis ditionem arcta obſidione vallarunt; ei ut ſuppetias ferret Ajo Beneventi Dux, tumultuario coacto exercitu, Sipontum contendit; ſed quum audacius, quam par eſſet, & incaute hoſtium vallo appropinquaret, cæcam in foveam, quâ Sclavi caſtra muniverant, dilapſus, ab irrumpentibus inimicis confeſtim occiditur anno 644.

Ajone

Ajone peremto, Rodoaldus illico Beneventanam ditionem inivit, qui inſtructioribus aciebus, & meliori ſcientia militari fretus Sipontinis ſubſidium, Sclavis necem, Ajoni ultionem, ſibique multam gloriam attulit, qua audacior deinde, & glorioſior factus cum Langobardorum exercitu Surrentum invaſit, dum Agapitus Epiſcopus Surrentinam Eccleſiam adminiſtraret, ut communiſſime fertur, & ſequenti libro dicetur; qui metu fractos Surrentinorum animos recreavit, erexitque, ac bene ſperare a ſanctorum Tutelarium præſidio juſſit.

Ex Actis Surrentinis apud Vghellum tom.6.

Rom. in Vit. S. Renati.

Mar. de Viper. in Chronol. Epiſc. & Archiep. Eccl. Benevent. pag. 26.

Giannett. Hiſt. Neap. decad. 1. l. 4. pag. 78.

Bolland. to. 2. die 16. Januarj in Not. ad vitã ſancti Valerj lit. C.

V. Jo: Bollandus rectiſſime Rodoaldum hunc Grimoaldi Langobardorum Regis fratrem fuiſſe notat; regnum is auſpicatus poſt Rodoaldi obitum, cui obeunti in Ducatu Beneventano ſtatim ſucceſſit. At quum regnum Langobardorum interea eſſet inter duos fratres Partoritem, & Gundebertum diviſum, quos regni augendi inexplebilis ſitis exitiali odio, & ſacrilegis telis armaverat, Gundebertus ad Grimoaldum ſtrenuum, ac famigeratum Beneventi Ducem auxiliaria arma imploratum miſit Geribaldum Auguſtæ Taurinorum Ducem Legatum. At vero & Legatus, & Beneventi Dux, conjuratione facta, utrumque pugnantem fratrem Langobardorum regno ejecerunt, quo integro Grimoaldus defuncti Rodoaldi frater potitus eſt. Vide quam facile homines inanis ambitio dementet, ac perdat. Gundebertus, qui regnandi cauſſa fratri ſuo fidem violaverat, ſibi ab exteris Magnatibus, belligeriſque Ducibus illæſam ſervatum iri clauſis oculis confidebat.

Paul. Diac. lib. 1 cap. 16. Anmirat. loc. cit.

VI. Quod

VI. Quod ad rem noſtram ſpectat, non hanc a Rodoaldo primam obſidionem paſſi fuerunt Surrentini. Zutonem enim illum Beneventi Ducem Langobardum, qui Caſinenſe Monaſterium vaſtavit, & immanes clades in univerſam Campaniam intulit ſub ſexti ſeculi finem, ut in S. Antonino diximus, in Surrentinos quoque irrupiſſe, acriterque vexaviſſe putandum eſt; & deinde Arechim, atque alios tam in odium Græcorum, quibus infenſiſſimi erant, quam etiam cupiditate allectos adeo amoena Republica potiendi.

Nova deinde longum poſt tempus obſidione Surrentina moenia preſſa fuiſſe a Sicardo Beneventano Siconis filio ſupra in ſancto Antonino ex Erchemperto, Anonymo Salernitano, Leone Oſtienſi, aliiſque jam diximus. Quas incurſiones miſere Romæus ex *Antonio a Porta* Chronologiæ ignaro involvit, atque confundit, dubieque, ac perplexe Romoaldo, vel Sicardo Grimoaldi filio circa annum 740. tribuit; quo tempore nullus hujus nominis Dux Beneventanam Toparchiam tenuerat. At vero ex iis, quæ nos expoſuimus, omnia cohærere vides.

Romæus in vita ſancti Antonini notatus.

VII. Verum quo peculiari annó apud Surrentum caſtra poſuerit Rodoaldus, quod res perdifficilis ſit, definire non laboramus. Ex Actis Surrentinis hæc de eo habentur: *Non diu lætatus eſt de triumpho, ut ſperavit; nam intra unius anni ſpatium eorum interceſſionibus, quibus niſus eſt perferre injuriam, Deo æquius ulciſcente, qui dicit, mihi vindictam,*

In Act. Surrent. in fine apud Ughell. tom. 6.

dictam, & ego retribuam, vitæ tempus cum regno finivit. At vero quo anno obierit Rodoaldus, diſſident auctores. Carolus Sigonius Ajoni Rodoaldum ſucceſſiſſe putat anno 649. quem, quum annos quinque Toparchiam tenuiſſet, ut communiter ferunt, e vivis exceſſiſſe opus eſt anno 654., ac proinde Surrentinos obſidione vexaſſet anno 653. At Marius de Vipera refert Rodoaldum Beneventanam ditionem auſpicatum fuiſſe anno 644.; eaque potitum uſque ad annum 648. Grimoaldo hærede relicto; quam opinionem ſibi iiſdem ferme Marii verbis aſcripſit Ughellus, ubi de Agapito Surrentino ſermonem habet. At vero de Beneventana Eccleſia differens prioris ſententiæ vel oblitus, vel pertæſus Ajoni mortem, & Rodoaldi dominium ſtatuit anno 642. hujuſque obitum anno 647. Idipſum etiam ſtatuit in his rebus ſcrutandis vir egregius Camillus Peregrinus; quocirca Surrentinorum a Rodoaldo aggreſſio juxta Marium de Vipera, & priorem Ughelli opinionem contigiſſet circa finem anni 647. juxta poſteriorem, & Camillum Peregrinum anno 646. Nihilominus Pater Nicolaus Giannettaſius anno 649. ſupremo fato functum fuiſſe Rodoaldum ſcripſit, paulo poſtquam inglorius Surrentinam obſidionem ſolviſſet. Sed quamvis peculiare hujus calamitatis Surrentinorum tempus aſſequi non liceat; omnia tamen circa hiſtoriæ veritatem cohærent.

Sigon. De Regno Ital. lib. 2.

Gianett. Hiſt. Neap. Decad. 1. lib. 4. pag. 78.

A R-

ARTICULUS I.

De Religione, ac moribus Rodoaldi Beneventani Ducis, ac Surrenti invaſoris.

I. Acta Surrentina ſanctorum Renati, & Valerj, & Romæus nedum immaniſſimæ ſævitiæ, atque ferociæ Rodoaldum, ejuſque copias nota afficiunt, verum inſuper impietatis, & Idololatriæ videntur arguere, quæ de Dei unitate, ac omnipotentia non rectam præcepiſſent ideam. Audiamus Romæum, ut *Gens fera, quæ ignorabat qualem Deum habere deceat, cujus numini parent omnia, quique a Chriſtianis unus intelligitur.* Ad quæ verba hanc notam addit Bollandus. *De Langobardis loquitur hic auctor, quaſi adhuc tunc gentiles fuerint. Plerique Rodoaldi ævo Chriſtiani erant, ſed quidam adhuc Ariani. At Romoaldus, & Grimoaldus pater catholici fuerunt.* Rectiſſime ſane Bollandus.

Bolland. tom. 2. die 16. Ianuarj ad vitam ſancti Valerj a Romeo excertam Not. D.

II. Langobardos enim ex ea Scandiæ, vel Scandinaviæ vaſtiſſima peninſula inter Oceanum Septentrionalem, & Mediterraneum Balticum prodiiſſe communior fert opinio; unde Gothi, ac Vandali, aliæque barbaræ nationes emerſerant, locaque circa Saxoniam occuparant; licet alii velint vagos, peregrinoſque nonaginta circiter annos ſine firma ſtatione erraſſe. Verum, quod ea

Paul. Diac. De Geſtis Langob. l. 1. Giornandes Hiſt. Goth. Grot. in Prolog. ad Hiſt. Goth.

ea gens valida eſſet, ac fœtificatrix in tantum numerum excrevit, ut loca, ubi degebant, ſatis ad eam capiendam, alendamque non eſſent. Ipſarum tertia pars, ut tradit vetitus, ſed magni nominis auctor, ſejuncta nova ſibi loca quærere juſſa Danubium verſus divertit, ac Pannonia occupata, diu ibidem permanſit, ubi a ſancto Severino Abbate Neapolitano Noricorum Apoſtolo dicto Chriſtiana religione inſtituti fuerunt, & eorum plerique Baptiſmum ſuſceperunt.

Florent. a ſecretis Hiſt. lib. 1. in princip.

De ſancti Severin. Abbat. V. Surium tom. 1. & Ferrar. in Catalog. Sanctor. Ital. die 8. Januarj.

Erant eæ regiones teterrima Ariana labe infectæ ob deplorandam præcipue Conſtantj Imperatoris defectionem; quare multi ex Langobardis eadem infanda illuvie polluti.

III. Albuino regnante, gentem illam Narſes Eunuchus bello præſtantiſſimus ſub Juſtiniano imperante Dux, poſt hujus mortem, ut convicia, illataſque ſibi a Juſtino Imperatore, ejuſque uxore Sophia ulciſceretur injurias, ad Italiæ vaſtationem, occupationemque Langobardos excivit, ſancto Johanne III. Romano Pontifice; quæ hiſtoria ab omnibus recepta eſt, etſi in illam dubia quædam moveat Baronius. Albuinus in Italiam victor ingreſſus, plurimis in Gallia Ciſalpina occupatis ditionibus, primus Langobardorum Rex Italiæ a militibus ſalutatus eſt. Is Arianus fuiſſe creditur, ut & Clephis, & Antharis ſucceſſores. Sed deleto Anthari, Gotholindæ ejus piiſſimæ, ac prudentiſſimæ uxori facultatem eligendi

Anaſtas. Bibliot. In Vit. S. Iohann. III.

Paul. Diac. l. 1. cap. 5.

V. Cabaſſut. in Synopſ. VII. ſæcul.

Fff ſibi

ſibi alium virum, qui rerum potiretur, exercitus fecit. Hæc Agilulfum ſibi deſpondit, eumque ita inſtituit, ut catholico ritu ſacrum Baptiſma ſuſceperit, omnique ejurato errore, veram Chriſti religionem profeſſus fuerit. Fortiſſimam eam mulierem, *cujus pretium procul, & de ultimis finibus*, e Bavariæ Rege orta eſt, cui ſanctus Gregorius plures dedit etiam didaſcalicas epiſtolas, tantamque mulierem debitis proſequitur laudibus recens Galliæ hiſtoricus; hæc circa annum 592. Reditum deinde a Langobardis ad Arianiſmum.

Paul. Diac.

S. Greg. Epiſt. lib. 2. epiſt. 4. lib. 3. epiſt. 2. l. 12. epiſt. 7 Maimb. Hiſtoire du Fontif. De S. Gregoire l. 1.

At vero Grimoaldus Rodoaldi frater, qui regnum Langobardorum auſpicatus eſt anno 663., tenuitque annos novem, catholicus indicatur a Paulo Diacono. Hic auctor a Langobardorum genere, etſi natus in Italia, ſuorum famæ, quoad potuit, conſulere ſtuduit. Romoaldus quoque ejus filius, & Rodoaldi ex fratre nepos ſextus Beneventi Dux Chriſtianam, catholicamque religionem ſectatus eſt; cujus rei claro argumento eſt templum, quod extra Beneventum excitavit ejuſdem uxor Theuderada, & ſancti Petri nomine inſignivit, Virginumque cœnobium. Quinimmo ſi Pauli Diaconi dictis ſtandum eſſet, ipſe Rodoaldus catholicus etiam credendus eſſet. Fert enim Rodoaldum, & Grimoaldum fratres habuiſſe veluti pædagogum Arechim ſecundum Beneventi Ducem, quem idem auctor catholicum facit, & ſancti Gregorj ſtudioſum

Paul. Diac. l. 6. cap. 1.

Paul. 4. cap. 9. & cap. 2.

ſum, cui trabes quaſdam tradidit neceſſarias ad Eccleſiam ſanctorum Petri, & Pauli roborandam.

Inſequenti vero ſeculo octavo omnes fere Langobardos catholicæ ſapientiæ ſcholam ingreſſos fuiſſe liquet ex Concilio I. Romano Zachariæ Pontificis canone 15. ut optime animadvertit diſertiſſimus vir Antonius Pagi. Pagius in Tom. Concil. VIII. pag. 283. & ſeq.

IV. At vero licet de religione Rodoaldi ſub judice adhuc lis extare videatur: tamen de trucibus, ferreiſque ejus moribus nihil dubitandum, ut de pleriſque Langobardorum proceribus hiſtoriæ patefaciunt, priuſquam efferi ipſorum animi a longo pietatis Chriſtianæ uſu, ac fidelium conſuetudine emollirentur. Tu ab hac Albuini primi Regis immanitate alias argue. In Pannonia hic ſuapte manu necaverat Cunicmundum Gepidarum Regem, cujus filiam Roſemundam ſibi matrimonio copulaverat; interemti calvarium auro obductum in pateræ, aut ſcyphi formam ad vinum potandum convertit; factuſque deinde procacior, ac inſolentior ex ſecundis Italiæ victoriis ſolenne convivium celebrare voluit, in quo inter epulas, & ebrietatem, poſtquam ex conſueto, & exitiali vaſe merum exorbuit, pincernæ juſſit, ut Roſemundæ eodem propinaret; qua injuria mirum illa in modum offenſa, acrem paravit vindictam, quæ lugubris Tragœdiæ ineditæ adhuc, ut putamus, optimo vati Italico præbuit materiam. La Roſmunda Tragedia del Prior Rucellai extabat apud. Ant. Magliabecchum.

Fuerunt inter eos aliqui mitioris animi, atque mentis; plerique vero ferrei, ac truces, ut propterea ex vigintitribus, quos enumerant, Langobardis Regibus vix quinque a natura datum vitæ curſum ad extremum protraxerint; alii ferro, aut vi ob inmanitatem, & ſcelera deleti.

V. Ad aſpectum quoque impoliti, ſcabri, & horridi, barbam non tondebant, ſed prolixam, ingentem, impexamque gerebant, fortaſſe, ut omnem animi lenitatem, ſi qua in eis pulluleſceret, operirent, ſævitiam vero, ac feritatem exterius affectarent, ob eam exertam barbam Longobardi, vel Langobardi, teſte Paulo Diacono, dicti; Long enim vel Lang eorum lingua Longum latine ſonat, Bard vero Barbam. Hanc Etymologiam recipit Romæus, e ſua penu addens, Langobardos poſt aliquod temporis curriculum Longibardos dictos; qua in re merito carpitur a Bollando.

Paul. Diac. l. 1. cap. 9.

Rom. in vita ſancti Athanaſj.

Ceterum quum Pauli Diaconi etymon recepiſſent multi viri: nonnulli tamen ab eo receſſerunt, nomenque Langobardorum deducunt ex *Lagno* maris ſinu, de quo Plinius: *Mox alterum ſinum Lagnum conterminum Cimbris, promontorium Cimbrorum excurrens in maria longe peninſulam efficit, quæ Cartris appellatur viginti tria millia paſſuum.* Plura in hoc capite Plinius commentitia, prout ſibi tradita fuerant, habet, neque peninſulam exacte deſcripſit. Fruſtra etiam videntur ii, qui e maris ſinu, non ex continenti nomen incolis faciunt.

Otho Friſing. De Geſt. Frider. Imp. lib. 3. cap. 13.

Hug. Grot. in Procem. ad Hiſt. Gothor.

Dionyſ. Petav. De Doct. tem. l. 3. al ann. Per. Iulian. 5092.

Philip. Cluer. In German.

Putean. In Inſubr.

V. Not. ad Paul. Diac., alioſque ſexcentos

Plin. l. 4. c. 13. circa finem.

Stephan. Breveritan in Hiſt. Papien. poſt Bernard. Saecum.

ciunt. Sed ridiculum prorſus eſt quod quidam auctores deducunt ex eo ſinu *Lagno* antiquitus dictos *Lagniandros*, hoc eſt, Lagni homines; poſtquam vero in Italiam ingreſſi ſunt, a noſtris ſenſim vocem immutatam, corruptamque, dictoſque Langobardos. Poëtice ſane hic auctores, quibus quidlibet audendi fuit ſemper æqua poteſtas. Quei enim fieri potuit, ut ex voce græca ἀνὴρ ἀνέρος contracte ἀνδρὸς Lagnoandri dicta ſit ea gens adeo a Græcia diſſita, cujus lingua matrix, ſi Scaligero credimus, non Græca, ſed Illyrica eſt? Aut quis ſibi perſuaſerit Italos Græcis dialectis admodum aſſuetos, adeo inſolenter eam vocem depravaſſe?

Ioſeph. Scalig. De Lingu. Matricib.

Non ita fortaſſe improbandi, qui opinantur a corporum proceritate ita eos denominatos. Melius ii, qui Saxoniæ populos fuiſſe putant, Bardos nomine, qui Vinnilis e Scandinavia profectis ſeſe comites addiderunt. Etenim idem Paulus Diaconus meminit de Epitaphio Droctulf Ducis, in cujus verſu tertio:

Paul. Diac. l. 3. cap. 5.

Cum Bardis fuit ipſe quidem, nam gente ſuavis, &c.
Et nos ſuperius in Epitaphio Boni Ducis Neapolitanæ Reipublicæ Langobardos Bardos dictos fuiſſe meminimus.

Re vera tamen Langobardorum nomen, & præliandi fortitudinem Latinis longe prius notam fuiſſe liquet ex Tacito, & Vellejo Paterculo, quorum ille dixit: *Langobardos paucitas nobilitat, quod plurimis, & valentiſſimis nationibus cincti non*

Tacit. Annal. lib. 2. cap. 44. Et De Morib. Germanor. cap. 40. Patercul. Hiſt. lib. 2. cap. 6.

per

per obſequium , ſed præliis , & præliando tuti ſunt .

Abbas Angelus de Nuce multus eſt, ut probet gentem eam ita dictam non e loco, unde prodierunt, neque a prolixis barbis, ſed potius ab militaribus armis, quæ adhibebant, e lanceis, machæris, vel ab longa ſecuri, ſive ab haſtata bipenni, cujus uſus erat apud eam Hyperborearum regionum gentem: nobis vulgo *Alabarde* appellantur; quorum pleraque a Bollando mutuatus eſt.

Plura nobis circa vocem Langobardorum memoriæ occurrunt, & circa vocem Langobardiæ, ſive Lambardiæ, cujuſmodi Beneventana ipſa regio quandoque dicta fuit, quæ ad ſatietatem vitandam conſulto prætermittimus.

Bollan. T. 2. die 14. Februarj in Not. ad Vit. S. Antonin. Abb. Surren. pag. 796. lit. A.

V. Io. Bapt. Carut. in Præfat. ad Chronolog. Cantabrigens. prope finem.

Camill. Peregrin. lib. 2. Hiſt. Princip. Langobard.

V. Clariſſimum Mauratoriũ Rer. Italicar. tom. 1. part. 2. pag. 243.

VI. Ad Lectionum paraphraſim redeamus, locumque peculiarem: unde Villicus ille, qui in hoſtium Langobardorum manus inciderat, ſeſe præcipitem dedit, & incolumis a ſancto Renato ſervatus, Surrentinis noſtris indicemus, ut adeo admirandi operis grati animi ponant, immo diu jam poſitum monimentum excolant, nec ab edaci vetuſtate aboleri permittant.

Eſt mœnium Surrentinorum intercapedo; quæ ad Hypocæciam ſpectat vallata rivo, qui a torrentibus hyemalibus profundo eſt exciſus hiatu, crebris ſaxeis pontibus via jungitur, maximis fornicibus arcuatus ille, quâ ad unam portam ingreſſus, interciſus eſt a lignea, mobilique parte: eô fortaſſe hoſtes captum Villicum trucidandum defere-

ferebant, ut dirum ſpectaculum propugnantibus civitatem præberent. Sed antequam ad ſtatutum locum perveniſſent, inquiunt acta Surrentina: *Venerunt ad pontem ſuper vaſtum rivum ſtratum, qui uſque bodie nuncupatur, vel in priſca magnus ſtructura, in quo arcus ad ejus laudem depictus videtur eſſe*. Hunc pontem eum putamus, quem nunc *Atigliano* vulgo dicitur, & ab indigenis *l' Arco del Ponte*; ubi etſi nullus fornix depictus extet, antiquitate concidiſſe credimus, nec etiam ibi rivus modo nimium profundo hiatu dehiſcit; quod confluentes aquæ mobili, ut cernitur, argilla repletunt; conſonat locus cum verbis Romæi indicantis ex eo ponte ſe dejeciſſe Villicum, ubi biceps via ad ſanctorum Renati, & Valerj una ex parte flectit.

ARTICULUS II.

Breviter aliqua notantur, circa alterum miraculum in ſecunda, & tertia Lectione deſcriptum.

I. QUum Barbari Felicem eum villicum, quem e ponte in profundiſſimam vallem prolapſum, nedum mortuum, ſed in fruſta comminutum putarant, vivum nihilominus, ſanum, incolumemque ſpectaſſent, mirandum eventum ex illo ſciſcitati ſunt; a quo ſummam potentiam, efficaxque præſidium ſanctorum Renati,

nati, & Valerj acceperunt, quorum ſepulcrum non longe diſtans indicavit, quibus illi auditis ad tantos Divos, Heroëſque ſibi propitios conciliandos, ut obſeſſam urbem facilius capere poſſent, animum appulerunt; idque donariis, ac muneribus facile aſſequi poſſe inſtar Simonis Magi ſibi perſuaſerunt.

Hinc animadvertere datur Langobardum militem maxima parte Ethnicum extitiſſe, vel adeo de rebus Chriſtianis male edoctum, ut non intelligeret Deo, ut & ſanctis ejus non tam dona, quibus altaria cumulamus, quam puram, rectamque mentem, inſontemque animum acceptum eſſe; qui reſpexit ad Abel, & ad munera ejus, avertit autem oculos a Caini oblationibus.

II. Reſpuerunt igitur Sancti impuri militis donaria, quæ extra templum ejecerunt; qua veluti injuria commoti veſani illi animadvertentes nequiviſſe flectere Superos, Acherunta excitare ſatagerunt. Itaque in furorem verſi ſanctorum templum vaſtaturi irruunt. Ah miſeri Cœlum redituris appetunt ſputis, & vulnera patiuntur a propriis telis; quas enim furias concitarunt, ab iis obſeſſi, fanatici, ac lymphati ad parietes, vel ad invicem ſeſe collidunt, contundunt, confringunt. Eo Dæmoniorum genere fortaſſe arreptitii, qui in Evangelio puerum allidebant, eſpumare adigebant, areſcere &c. Verum quæ Diabolici furoris horribilia exempla contemta, vel perturbata vera religio non ſuppetit?

Marc. 9. v. 17. Luc. 9. v. 39.

III. Acta.

Digitized by Google

III. Acta Surrentina, & Romæus teſtantur, alliſorum, & conciſorum capitum cruore conſperſos, & fœdatos ſacri templi parietes, ac pavimentum videri. At modo poſtquam, ut in ſancto Renato diximus, novum templum excitatum eſt, antiquumque everſum, Langobardicæ illius impietatis teſtimonium, dirumque ſpectaculum non amplius eſt ubi inſpiciatur.

Finis V. Diſſertationis.

Digitized by Google

DISSERTATIO VI.

In unicam S. Athanaſj Lectionem .

SECUNDI NOCTURNI.

LECTIO I.

SAnctus Athanaſius Surrentinus Epiſcopus , qui vineam Domini ſibi demandatam omni Chriſtianarum virtutum genere clarus vivens ſanctiſſime cuſtodivit , poſt obitum mira vigilantia ab hoſtibus tutatus eſt ; & præcipue quum Saraceni ad Crateris oras populabundi acceſſiſſent , cum aliis quatuor Sanctis Surrentinæ Diœceſis Patronis in hoſtium claſſibus ter perniciem , cladeſque iis minitans apparuit , eoſque tanto terrore perſtrinxit , ut paucis collectis navibus , in fugam præcipites ſe converterint . Quapropter tanto devincti beneficio Surrentini , & plura alia in dies experti Patronum ſuum de ſeipſis optime meritum impenſiori ſtudio colere cœperunt , & ad hæc uſque tempora venerantur : gratique animi plurima monimenta , & non ignobile templum extra mœnia poſuerunt .

Digitized by Google

CAPUT I.

De ſcriptoribus Vitæ ſancti Athanaſj.

I. UTinam in poſtrema hac, quam adorimur ſancti Athanaſj Epiſcopi, ac Patroni Surrentini pluribus concertationibus implicitam, Diatribam, aliquot lucis ſcintillas, velut chalybs ex ſilice excutere valeremus, quibus nonnihil ex præclariſſimis vitæ ejus geſtis illuceſceret. Liberet ſiquidem poſt exantlatos labores in educendis latitantibus notitiis ſacra nobis voluptate permulceri, atque lætitia perfrui. Dolendum tamen, quod poſt peractas multas conquiſitiones omnia adhuc tenebris, & oblivione obduci compererimus.

Sancti Athanaſj Epiſcopi Surrentini vita a Davide Romæo, a Paulo Regio, & Philippo Ferrario, ab Abbate Ughello, & Bollando, qui Romæi veſtigiis inſtitit, deſcripta eſt. Quamvis Romæus nihil de geſtis dicat. Plurima ejuſdem Sancti mentio apud Cæſarem Capacium, Summontium, Antonium Caracciolum, Nicolaum Giannettaſium, alioſque Scriptores.

David Rom. De Quinq. Div. Cuſtod. ac Præſidib. Vrb. Surren. pag. 278. & in S. Athan. Neapol.

Paul. Reg. par. 2. Oper. Neap. edit. in Vit. S. Antonin. Abb. cap. 11.

Philip. Ferr. in Catal. SS. Ital. die 26. Januar. & in gener. Catal. 7. Kal. Febr., & In Topogr.

Ughell. in Ital. Sacr. tom. 6. De Sanct. Surren.

Bolland. tom. 2. die 26. Januar.

Capac. in Hiſt. Neap. l. 2. fol. 533.

Caracc. in Monim. Eccl. Neap. in vit. S. Athan. Neap., & in Notation. ad vit. S. Antonin.

Giannettaſ. in Hiſt. Regn. Neap. dec. 1. l. 4. pag. 74.

Summont. Nel Lib. 1. dell'Iſtoria della Città, e Regno di Napoli.

CAPUT II.

De tempore, quo in vivis fuerit S. Athanaſius.

In vit.S.Athan. pag.178. & in vit. S. Valerj.

I. QUeritur merito Romæus, poſtquam omnem ſolicitudinem, acremque diligentiam adhibuerat, ut aſſequeretur tempus, quo floruit ſanctus Athanaſius, operam, laboremque perdidiſſe. Eamdem inſcitiam ingenue fatetur Capacius. Quocirca neſcimus, qua fultus ratione Ferrarius ſcripſerit: *Athanaſius Epiſcopus Surrentinus inter ſanctum Valerium, & ſanctum Baculum ejuſdem urbis Epiſcopos, & Patronos effulſit*. Quum ipſemet ſubdat: *De quo nihil apud ſcriptores memoriæ proditum eſt*. Ea propter tempus ad libitum a ſe præſcriptum. Hujus fortaſſe auctoritate adductus peculiarius tempus eidem tribuit Ughellus inquiens: *Hanc ſedem ſortitus eſt poſt Amandum anno ſalutis 617*. Quo in loco poſitus videtur in ſerie Epiſcoporum, & Archiepiſcoporum in Aula Surrentini Palatj depicta, ut mox dicemus. At neque ipſemet Ughellus omittit advertere: *De quo non extant acta*.

Capac. loc. cit. Ferrar. loc. cit. ſub princip.

Ughell. loc. cit.

II. Hinc videbit Lector hoc aſſignatum ab Ughello tempus incertius eſſe; quamvis ejus ſententiam ſequi videatur Giannettaſius, qui ita tamen ambiguus hac in re eſt, ut, ante Amandum ne, an poſt ſanctus Athanaſius Eccleſiam Surrentinam adminiſtrarit, non declaret. Hæc ſunt ipſiſſi-

Digitized by Google

ipſiſſima illius verba : *Romæ Gregorio in Cœlum evocato Sabinianus , & duo deinde Bonifacii uſque ad annum DCXV. Eccleſiam adminiſtrarunt ; quo tempore tres viri ſanctiſſimi exuta mortalitate inter Divos populi ſuffragio annumerati* (Supple heic , & Epiſcopi auctoritate vindicati) *Horum primus Athanaſius Surrentinus Præſul , qui quum multos annos nobiliſſimæ Eccleſiæ præfuiſſet , magnarumque exempla virtutum edidiſſet , e terris in Cœlum migravit .* Si tempore Pontificatus Sabiniani , & duorum Bonifaciorum uſque ad annum 615. vixiſſe Athanaſium putavit Giannettaſius , ſine dubitatione lapſus eſt , ut in Amando videmus ; Amandus enim circa 600. electus uſque ad 617. , ut ex inſcripto lapide colligitur , Eccleſiam adminiſtravit ; ante Amandum Johannes , ad quem ſanctus Gregorius ſcripſit . Non igitur circa annum 615. in Cœlum emigravit , poſtquam multos annos nobiliſſimæ Eccleſiæ præfuiſſet , ſed poſt annum 617. ipſius Eccleſiæ regimini admotum præfuiſſe dicendum , ſi Ughello Nicolaus Giannettaſius adhærere voluiſſet . Idem loc. cit.

III. Verum nos non improbabile omnino putamus per ea floruiſſe tempora , quibus Epiſcoporum Surrentinorum ſeries interrupta eſt , atque inciſa ; (quum eorum , qui tunc extiterunt Epiſcopi Surrentini , nomina occuluerit longa dies , ut diximus) & præſertim inter illum hiatum , interpoſitum inter Roſarium , qui Concilio Romano ſubſcripſit anno Domini 499. & Johannem,

qui

qui Synodo itidem Romanæ anno 595. adfuit . Poſt Roſarium enim ſubdit Ughellus : *Poſt hunc aliqui deſiderantur Epiſcopi* . Id unum certum tamen eſt ante annum 849. vixiſſe , quo cum aliis ſanctis Surrentinis in Saracenos minax apparuit ; ut ſexcenties diximus ; quo tempore ſanctus Athanaſius Neapolitanus in vivis erat . Hæc ſancti Athanasj Surrentini circa tempus anceps fluctuatio cauſſa fuit , ut nonnulli temporum ſeriem commiſcentes eum unum , eumdemque fecerint cum ſancto Athanaſio Neapolitano Antiſtite , qui a Sergio nepote ſuo Neapolitano Duce viro animo impotenti , & ad omne flagitium facto dira multa perpeſſus fuit ; cujus iram , furiaſque declinans primo in Inſulam Lucullanam, modo vulgo dictam *Caſtello dell'Ovo* ſe recepit . Unde poſtea ope , ac juſſu Ludovici II. Lotharj filj tunc temporis Beneventi degentis eductus fuit a Marino Amalphitanorum Seniore , viginti Liburnicis trajicitur Surrentum ad Stephanum fratrem ſuum illius urbis Epiſcopum , ut fert Johannes Diaconus auctor ſancti Athanasj Neapolitani æqualis ; vel , ut alii ſcribunt , Salernum adductus fuit ; unde Beneventum ſe contulit , & exinde digreſſus Romam petiit . Ibi quum accepiſſet novas ſibi inſidias moliri Sergj uxorem , Surrentum divertit , ubi cum Stephano Antiſtite diverſatus eſt . Atque hinc conjecturam iniere nonnulli ſcriptores , Surrentinos Sanctum hunc Neapolitanum Epiſcopum inter Tutelares ſuos poſt obitum aſciviſſe ;

V. PP. S.Mauri de hac Synodo .

Jo:Diac.in vita S.Athanasj Neap.

ſe ; quod imprimis Romæus invexit , quem ſecutus eſt etiam Bollandus .

Bollan. tom. 1. die 16. Januarj.

IV. Verum hi quam egregie decepti ſint, ex ſcriptoribus vitæ Sancti Athanasj Neapolitani luculentiſſime deducemus , aliiſque ſolidiſſimis conjecturis firmabimus .

CAPUT III.

Sanctum Athanaſium Surrentinum alium prorſus fuiſſe a Neapolitano evincitur .

I. NOrunt equidem Sacrarum Neapolitanarum antiquitatum ſtudioſi duos ſcriptores , amboſque coævos vitam ſancti Athanasj Neapolitani, præclaraſque res geſtas monimentis conſignaſſe , ſcilicet Johannem Diaconum ejuſdem urbis civem , qui Chronicon ſuum ipſa ſancti Athanasj vita finivit , quod ecgraphum e Vaticana Bibliotheca opera Beatilli deſumtum typis ediderunt Bollandiſtæ ; alterum vero Anonymum , de quo mentio eſt apud Baronium ad annum 872. , Bartholomæum Chioccarellum , & Caracciolum . Hunc vero Anonymum ſub Petri Diaconi Caſinenſis nomine laudat clariſſimus ipſe Annalium Eccleſiaſticorum Pater ; ut etiam P. Abbas Angelus de Nuce Baronium ſecutus , induſtria ne , an incaute , inconſiderateque , ignoramus , in notis ad Chronicon Caſinenſe .

Baron. in Annal. ann.872.

Chioccarell. in Catal. Anti. Neap. Eccl. in vit. S. Athan. Neap.

Caracciol. in Monim. Eccl. Neap. in vit. S. Athan.

Angel. de Nuc. lib. 1. c. 40. n. 731. lit. C.

II. At Guilielmus Cuperus nuperrimus Bollandi ,

Cuper. in Actis Sanctor. tom. 4. ad diem 15. Julj.

-landi, Henſchenjque continuator, qui hunc Anonymum a ſe typis editum doctiſſimis notis illuſtravit, id operis Petro Diacono Caſinenſi minime tribuendum eſſe contendit. Revera namque hujuſce ſancti Athanasj vitæ auctorem eidem ſancto Synchronum, atque æqualem fuiſſe liquet ex plurimis apertiſſimis ejuſdem vitæ locis; Petrum autem Diaconum Caſinenſem multo tempore poſt floruiſſe, ſeculo ſcilicet 12., incomperto apud omnes eſt.

Muratot. de Ret. Ital. Scriptor. T. 2. p. 2. in Monit. ad vit. S. Athan. Episcop. Neap.

Eumdem hunc auctorem cum ipſis Cuperi notis poſtremo recudit Ludovicus Antonius Muratorius tribus ab hinc retro annis: cui monitum præpoſuit, in quo Petri Diaconi, vel potius ſubdiaconi Neapolitani, non autem Caſinenſis opus illud eſſe propugnat, ne in omnibus deflectat ab auctoritate Baronj, qui, ut ipſe ait Muratorius, *vir a ſomniando alienus minime id præſtitiſſet, niſi Codex Vaticanus, cui uni hanc vitam debemus, Auctoris nomen prætuliſſet*. At Muratorj excuſatio nihil omnino Baronium purgat, qui Anonymum hunc nedum Petrum Diaconum, ſed Petrum Diaconum Caſinenſem appellat ita: *Hoc idem anno, quo mortuus eſt Adrianus Papa, pariter ex hac vita migravit, ſed ante ipſum ſanctus Athanaſius Epiſcopus Neapolitanus, ita teſtante Petro Diacono Caſinenſi, qui hoc item tempore vixit, reſque ab eo præclare geſtas conſcripſit*. Si dixiſſet Muratorius, Baronium reperiſſe in Codice Vaticano nomen tantum Petri, & nominis ſimilitudi-

Baron. tom. 10. ann. 872. n. 4.

ne

Digitized by Google

ne adductum illum Diaconum Caſinenſem exiſtimaſſe, aliquanto melius ipſi Baronio conſuluiſſet; ſed noſtro judicio appoſitiſſime ad mentem Baronj dixiſſet, Petrum hunc Diaconum fuiſſe Caſinenſem, ſed alium prorſus a celeberrimo illo Petro Diacono, qui hiſtoriam Caſinenſem poſt Leonem Oſtienſem proſecutus eſt. Nam ipſe Baronius, ut Muratorius advertit, *Petrum hujus vitæ auctorem ſancto Athanaſio Synchronum facit; ac propterea a Petro Diacono Caſinenſe, qui anno* 1136. *florebat, ſatis diſtinguit*.

III. At revera alibi hos duos Petros Diaconos ſatis ſuperque Baronius ſecrevit; ſub initium enim ſeculi 12. complura tradit, quorum rogat teſtem Petrum Diaconum Caſinenſem, ut quum narrat ſanctum Brunonem Epiſcopum Signienſem miſſum Legatum in Gallias cum Boamundo Antiochiæ Principe, & alia, indeque ſubdit: *Ut Petrus Diaconus teſtatur in Chronologia Caſinenſi*. Hunc eumdem redarguit, quod affirmet inveſtituras ab Innocentio Papa II. Lothario Imperatori conceſſas in Conventu Leodicenſi &c. Ut ipſe Petrus lib. 4. cap. 99., & ſub Lothario vixiſſe credit &c. Quis igitur non videt Baronium hunc Petrum alium feciſſe ab illo, quem nuncupat Auctorem vitæ ſancti Athanasj, quemque ait eodem cum ipſo S. Athanaſio tempore vitam vixiſſe? Videat igitur quiſque quam immerito de Baronio hæc dicat Ughellus: *Ejuſdem quoque* (S. Athanasj ſcilicet) *vitam accurate ſcripſit Anonymus quidam ejus*

Baron. ad ann. 1104. n.15.

Idem ann. 1131. n.8.

Ughell. tom. 6. pag.104. n.47.

ejus Synchronus , *quem Petrum Diaconum Caſinenſem eſſe putat Baronius* , *ex quo multa ipſe collegit Tom.*10. *Annal. ann.*872. , *qui certe eſſe non poteſt* , *quum Petrus Caſinenſis Diaconus* , *qui poſt multa ſecula vixit* , *lib.*4. *Chron. Caſin. cap.*56. , *&* *lib. De Vir. Illuſt. Monaſt. Caſin. cap.*45. (melius *cap.* 47.) *Hymnorum* , *vitarum* , *Homiliarum* , *ceterorumque operum a ſe conſcriptorum Catalogum recenſens de hac ſancti Athanaſj vita nihil dicat* . Non enim tam craſſe lapſus eſt Baronius, ut S. Athanasj Biographum putarit fuiſſe Petrum Diaconum Bibliothecarium Caſinenſem . Et quamvis revera hic Petrus eſſe nequeat Biographus ille ipſi S. Athanaſio Synchronus : tamen hæc ratio , qua id probare conatur Ughellus, nihili facienda omnino ; ſi enim attentius caput illud 56. lib.4. Chron. Caſin. percurriſſet , offendiſſet in fine verba , quibus exprimit Petrus Caſinenſis plura ſe ſcripſiſſe , quæ ibi non referebat. Inſuper quæ ejus opera numerantur cap. 47. De Viris Illuſtribus Caſinenſibus , non omnia omnino ſunt , quæ ſcripſit Petrus Diaconus ; ibi enim in notis ad idem Caput quædam inter alia , quæ teſtatur apud ſe aſſervare Jo: Baptiſta Marus , recenſentur , quæ in illo capite non videntur annotata. Sed dicimus id nunquam Baronium ſomniaſſe ; & eoſdem non eſſe , nec putaſſe , temporum , quibus eos conſignat , diverſitas evincit ; atque hæc eſſet potior licet non omnino ſtabilis ratio . Etſi ſcripſiſſet , fortaſſe retuliſſet Petrus operum ſuorum , ſuique , ſupra quam credibile

eſt ,

Digitized by Google

eſt , jactator , in quo excuſatur ab Angelo de Nuce in Notis . At hæc a Caracciolo hauſit , quem miramur id dixiſſe. Nec melius hæc Muratorius dicit : *Certe Petrus Diaconus in lib. de Vir. Illuſt. Caſin. nullum alium Petrum Diaconum Caſinenſem ſcriptorem ante ſe commemorat , commemoraturus ſi fuiſſet .* Quibus verbis videtur tenuiſſe Muratorius nullum Auctorem potuiſſe aciem mentis , aut memoriam Petri Caſinenſis effugere , neque eſſe potuiſſe quemdam Petrum Diaconum Caſinenſem , Petro Diacono Bibliothecario de viris Illuſtribus Caſinenſibus ſcribenti ignotum , qui ſancto Athanaſio coævus ejuſdem vitam ſcripſerit. At id videtur non adeo difficile putaſſe Johannes Baptiſta Marus laudatus a Card. Bona in critica auctorum, ubi de Petro Diacono Caſinenſi, qui in notis ad cap. 47. Petri Diaconi Bibliothecarj de Viris Illuſtribus Caſinenſibus , quem typis edidit , ſub finem de hoc Petro Diacono hujus opuſculi de Viris Illuſtribus Caſinenſibus auctore differens ſubdit: *De ſcriptis, laudibus, & vita noſtri Petri Diaconi , qui diverſus eſt ab alio Petro Diacono pariter Caſinenſi , qui vitam ſancti Athanasj Neapolitani deſcripſit, agunt Leo Oſtienſis Hiſtor. Caſin. Trithemius &c.* At de Leone Oſtienſi fallitur; nam non poterat Leo de ſcriptis loqui Petri Diaconi, qui vix puer erat, quum obiit Leo . Præterea id nimis audacter præſertim, quum non omnem in Petro Diacono diligentiam , aut eruditionem adhibuiſſet Muratorius vir alioqui dili-

Caracciol. in Monim. Eccleſ. Neap. cap. 35.

Murat. tom. 1. p. 2. pag. 189.

Digitized by Google

gentiſſimus. Is enim alterum Petrum Diaconum Caſinenſem cap. 39. de Vir. Illuſt. commemorat, eumque inſtitutorem ſuum vocat; & ab Oderiſio Abbate Monachum factum Caſinatem, & circa annum 1080. floruiſſe ibi annotatur. Id vero non animadvertimus, ut credamus hunc Petrum poſſe Baronio ſuffragari, quum non vixerit ſancti Athanasj tempeſtate; ſed potius ut lapſus, a quibus alii ſibi caveant, detegamus.

V. Petrum Diac. Monachum, & Biblioth. Caſin. De viris illuſtr. Caſin. Romæ edit. ann. 1655. ſtudio, & opera Iohann. Baptiſt. Mari pag. 91.

IV. Ut ut tamen res ſe habeat, Anonymus hic ſcriptor ejuſdem ſancti Athanasj coævus perhibet ortum duxiſſe eum decima Indictione, regnante Michaële ſcilicet Balbo, & Theophilo, Romanæ Eccleſiæ præſidente Gregorio; inde mortem obiiſſe Idibus Julj Indictione quinta, regnante Baſilio Imperatore, qui Baſilius dictus Macedo regnavit ab anno 867., uſque ad annum 886., annos ſcilicet 18. & menſes quinque.

V. Cuper. in Comment. præv. ad vit. S. Athan. §. 2. n. 16. T. 4. Julj.

Præterea idem Anonymus ſanctum Athanaſium quadragenarium fatis conceſſiſſe innuit his verbis: *Præfatus autem venerabilis vir ante Epiſcopatum vixit decem, & octo, & in Epiſcopatu ſedit annos* 22. Atque hinc perpenſis Imperatorum annis, quibus regnantibus ortus eſt, atque inde ſanctam animam efflavit; atque animo ad ſui ortus, mortiſque Indictiones ab Anonymo traditas intento, ſtatuit Cuperus cum aliis ſanctum Athanaſium in vitam ingreſſum anno 832., mortique occubuiſſe anno ejuſdem ſeculi 872. in quam

quam ſententiam omnia conveniunt, & præſertim verba etiam Johannis Diaconi alterius coævi ſcriptoris, qui in vita ſancti Athanasj habet: *Migravit ad Dominum, cujus corpuſculum ad Monaſterium ſancti Benedicti, quod ſitum eſt in Monte Caſino, deportantes in Eccleſia ſancti Petri Apoſtoli ibidem conſtituta ſepelierunt Indictione quinta anno Imperatorum* 872. Hæc quidem Chronologia optime contexta videtur. Tantum obiter advertendum eſt, Anonymum tradentem ſanctum Athanaſium, regnante Michaéle, in lucem editum, memoria fortaſſe lapſum fuiſſe; Michael enim, qui, ut habet Johannes Curopalates, Zonaras, & Cedrenus, imperavit annos novem, & menſes octo, anno 820. Imperium auſpicatus eſt, & circa 824. Theophilum filium in Collegam aſcivit, ac tandem anno 829., ſive 828. cum aliquot menſibus mortem oppetiit. Triennio igitur ante ſancti Athanasj ortum vita functus eſt Michaël Imperator. Quod nec Antonius Caracciolus, nec Nicolaus Giannettaſius, nec Guilielmus Cuperus, aut Muratorius eruditiſſimi alioqui viri inſpexerunt. Verum quum Indictiones, aliaque tempora anno ortus ſancti Athanasj 832. apte cohæreant, ea diſſonantia non tanti pro noſtro judicio facienda videtur. Quapropter eominus audiendos arbitramur Davidem Romæum, & Cornelium Graſium Carthuſianum nativitati S. Athanasj annum 835. inconſulto aſſignantes. Præterea nullam fidem præſtandam, opinamur aliis Agiogra-

Romæus in lib. de 7. Cuſtod., ac Præſid. Urb. Neap. Graſ. in vitis Sanctor. tom. 3. pag. 172.

graphis, qui circa annum mortis ſancti Athanaſj etiam variant. Magis enim, ac conſultius credendum eſt Johanni Diacono, ac Anonymo ſcriptoribus ſancti Athanaſj coævis, quam Ferrario mortem ſancti Athanaſj anno 877. conſignanti, & Ludovico Zacconio ſanctum Athanaſium anno 881. e vivis abiiſſe contendenti.

Ferrar. in Catal. SS. Ital. die 15. Julj.

V. His obiter, ſtrictimque prælibatis, quod e re noſtra eſt, luculentiſſime colligitur ſanctum Athanaſium in vivis fuiſſe temporibus Gregorj IV. Sergj II., ſancti Leonis IV., Benedicti, Nicolai, & Adriani II., Summorum Pontificum, qui Adrianus Neapolim miſit Anaſtaſium Bibliothecarium cum Abbate Cæſario; ut in univerſam Neapolitanam Urbem propter injurias ſancto Athanaſio a Duce illatas, interdictionis, vel anathematis fulmen intenderent, ut refert Anonymus (quæ pœna, ſeu cenſura, quamvis in Clementina I. De Pœnis videatur primo præſcripta, multo antiquiorem fuiſſe ex hoc Anonymi loco facillime eruitur.)

Sanctus igitur Athanaſius Neapolitanus in vivis erat tempore præſertim Leonis IV., ſub cujus Pontificatu, anno ſcilicet 849. ſanctum Athanaſium Surrentinum cum quatuor aliis Surrentinis Patronis in Saracenorum navibus apparuiſſe luculentiſſime demonſtravimus in Notis ad vitam ſancti Antonini. Itaque luce clarius patet ſanctum Athanaſium Surrentinum Patronum, qui jam id temporis inter Divos aſcriptus fuerat, alium

Digitized by Google

alium omnino eſſe a ſancto Athanaſio Neapolitano adhuc ea tempeſtate vivente. Quare jure merito Cuperus ſubdit: *Nos, expenſis utrimque argumentis, ſententiæ duos Athanaſios iſtos diſtinguenti ſubſcribimus*.

Cuper. loc. cit.

VI. Eundem animi ſenſum contra Romæum pridem foverunt *Paulus Regius*, *Capacius*, *Ferrarius*, *Ughellus*, qui opinionem ſuam variis conjecturis firmare non deſtiterunt. Feſtum enim ſancti Athanasj Neapolitani, inquit Capacius, celebratur Idibus Quintilis, at vero ſancti Athanasj a Surrentinis VII. Kal. Februarj. Quam rationem nullo negotio enervari putat Caracciolus; fieri enim potuit, ut ob inaugurationem ejus nominis Eccleſiæ hoc die fortaſſe celebratam, vel ob aliquod inſigne beneficium ea ipſa die a ſancto acceptum feſtum Surrentini deverſimode a Neapolitanis locaverint, quod & Ughellus advertit. Quocirca, rejecta Capacj conjectura, aliam ipſe firmiorem, ut putat, invehit. Quod ſcilicet in inſcriptionibus, & pictis imaginibus paſſim quinque ſancti Surrentini patroni conjuncti conſpiciantur, nempe ſanctus Renatus, ſanctus Valerius, ſanctus Athanaſius, ſanctus Baculus, ſanctuſque Antoninus. Verum hanc ratiocinationem facilius quiſpiam elevabit dicens quinque ſimul inſcribi, & depingi Surrentinos patronos: ſed non omnes Surrenti defunctos, unum ob accepta plurima beneficia aliunde aſcitum, cujus rei innumera ſuppetunt exempla.

Capac. in Hiſt. Neap. lib. 2. c. 12. tit. SS. Surrent.

Caracciol. in Moniment. Eccl. Neapol. circa finē vitæ S. Athanasj.

Ughellus Ital. ſacræ tom. 6. De Epiſcop. Neapol. n. 47.

VII.

VII. Solidiora putat ſe attuliſſe Caracciolus; inter quæ aliam apparitionem quinque ſanctorum Tutelarium, qui Saracenos e Crateris mari eliminarunt, cuidam Sergio Pipino exhibitam commemorat, qua S. Antoninus inter duos Epiſcopos ſeſe cospiciendum dedit: *Et hi ambo ſenes, ambo barbam* tonſi, quorum alter calvus Athanaſium ſe dixit. Porro ſanctum Athanaſium Neapolitanum juvenem deceſſiſſe conſtat.

In vita S. Antonini apud Caracc. & Bolland.

Quam conjecturam verboſe nimis de more antevertiſſe videtur Romæus, ſtatuens ſanctum Athanaſium Neapolitanum plurimis ærumnis, mœrore, curiſque vexatum, infirmaque valetudine affectum præmature ſenectam, canitiemque vultu, ac ſpecie contraxiſſe, & præpropere calvefactum.

Verum hæc Romæi commenta ſatis, ac commode quiſque redarguet, qui non eſt ignarus alterius apparitionis ejuſdem ſancti Athanasj Neapolitani a pluribus ſcriptoribus enarratæ cu d im cæco, qui illum videre viſus eſt *crine criſpante, ſtatura procerum, vultu Angelicum*. Alius igitur omnino a ſancto Athanaſio Surrentino, qui depingitur ingraveſcens, vietus, rugoſus. Etſi noſtra quidem ſententia hoc ex picturis elicitum argumentum enerve prorſus videatur: non enim graphice tempore ſancti Athanasj, vel diu poſt hominum vultus pictura exprimere norunt, quum ea tempeſtate in Italia ars hæc admodum labefactata erat, ut vix diu poſt a Cimabue, & Gjotto

V. Paul. Reg., Ughell., Bolland. loc. cit.

Gjotto Florentinis amiſſam venuſtatem recuperare cœperit.

V. Giorgio Vaſari nello vite de' più Eccellenti Pittori Scultori, ed Architettori.

Solidiori igitur, invictoque argumento diſcrimen inter duplicem Athanaſium ſtatuamus.

VIII. Hoc eſt quod ſancti Athanasj Neapolitani corpus Neapoli humatum extet, quô aſportatum fuit e Caſino monte, brachio ibidem relicto, ut tradit præ ceteris Caracciolus: at vero ſancti Athanasj Surrentini corpus Surrentum tenuit, ac tenet, ut conſtans eſt ipſorum Surrentinorum traditio; & Anonymus vitæ ſancti Antonini ſcriptor luculentiſſime teſtatur, qui, ut alias diximus, eodem ſeculo cum ſancto Athanaſio Neapolitano floruit; hic enim, poſtquam ſancti Antonini apparitionem cum aliis tutelaribus Surrentinæ Civitatis retulit, nomina quoque recenſens addit: *Quorum corpora Surrentum fovet*. Quis porro adeo excors, ut robur, ac vim rationis hujus non deprehendat? Sancti Athanasj Neapolitani pignus e Caſino Neapolim in patriam ſuam remigravit; neque unquam Surrentum delatum fuiſſe penes ullum hiſtoricum legitur. Surrentum corpus ſancti Athanasj ſui retinet; vides igitur duos fuiſſe hos, de quibus agimus, Athanaſios.

Iohan: Diac., & Anonym. in Vit. ſanct. Athan. Neapol.

IX. Ulteriora adhuc petis argumenta? præſtabimus: vetuſtum ſcilicet inciſum lapidem a Capacio relatum in antiquo templo Surrentinæ Diœceſis ſancti Athanasj nomine inſignitum hujuſmodi:

Capac. Hiſt. Neapol. lib. 2. cap. 12. tli. de ſanct. Surrent.

ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS
M C L X X I I.
TERTIA DIE JUNII
INDICTIONE VI.
AD HONOREM DEI,
ET GLORIOSÆ GENITRICIS MARIÆ,
ET SANCTORUM RENATI,
VALERJ, ATHANASJ,
BACULI, ET ANTONINI,
IN OMNI VERO ANNIVERSARIO
DIE CONSECRATIONIS
HUC OMNIBUS ADVENIENTIBUS
PRIDIE ....
CRIMINALIBUS DECENNALIBUS
CORPUS SANCTI ATHANASII
SACROSACRIS ....

Duo tamen circa hanc inſcriptionem animadvertere non neglexerimus, primum ipſum Capacium omiſiſſe ſitum Baſilicæ, in qua hoc epitaphium collocatum erat; neque explicaſſe, utrum ea ſit, quæ adhuc extat longe a civitatis mœnibus paſſibus circiter mille in pago vulgo appellato *Priore*, an alia, quæ exciderit.

Alterum animadverſione dignum eſt, præfatum epitaphium nullibi ad præſens in Surrentina Diœceſi reperiri. Quod & de nonnullis aliis inſcriptis lapidibus ab hoc Capacio veridico alioquin hiſtorico relatis contingit, ut in ſecunda parte attentius videbimus.

X.

X. Nobis quidem nos facile perſuademus, eam inſcriptionem potius locatam fuiſſe in illo inſigni olim Ethnicorum templo, de quo ſuperius tractavimus, quod, diſcuſſis Idololatriæ tenebris apud Surrentinos ſcilicet, ſancti Felicis Nolani nomine inſignitum fuit, eôque Epiſcopium tranſlatum ex ſubterraneo ſancti Renati Fano, ſeu potius crypta, ubi, ut diximus, prima fidei lucerna in caliginoſo loco micuit; in quo ſancti Felicis templo Epiſcoporum fato functorum corpora condebantur, & per oſcitantiam id templum a Capacio ſancti Athanasj nuncupatum.

Ad ita ſentiendum adducimur tum ex conſtanti Surrentinorum traditione, cum etiam, quia id templum fatiſcens, ac pene collabens in anguſtiorem, ſed concinniorem formam inſtauratum fuit a Confratribus illud incolentibus, qui aram maximam, ſub qua ſancti Baculi oſſa quieſcebant, ſublimius, & ornatius collocare decreverunt. Acceſſit tunc fel. recor. Archiepiſcopus Suardus die 12. Martj anno 1663., quo præſente effoſſo priſco altari, ſancti Baculi, aliorumque ſanctorum in inſcriptis loculis lipſana inventa ſunt; poſtice vero in alia arca marmorea abſque ulla inſcriptione oſtiaria veluti crates ſine ulla calvaria adinventa eſt; quumque certo nanciſci nequiſſet, cujuſnam eſſent oſſa illa, nullo adhibito cultu, iterum in eadem arca includi juſſit prudentiſſimus Archiepiſcopus, & ſub dextera pila abſidis templi a cornu, ut dicitur,

Evangelj condi ; mandavitque Vincentio Andreæ Migliaccio libellionem publice facienti , ut rei omni cura documentum , ac tabulas conficeret .

XI. Hæc porro oſſa , quibus calvaria deeſt , eſſe S.Athanasj proſpicere datur iis, qui norunt deficientem eam calvariam in cryſtallina theca affabre compacta in Lipſanorum theſauro Eccleſiæ Surrentinæ cuſtodiri , ac venerari . Quæ quidem res aliud firmiſſimum argumentum ſuppetit pro diſcrimine duplicis ſancti Athanasj ; de capite enim ſancti Athanasj Neapolitani hæc ſcribit Bartholomæus Chioccarellus : *Corpus translatum in majorem Eccleſiam in ſacello ſancti Salvatoris requieſcit , ubi hæc legitur inſcriptio : Hic jacet corpus ſancti Athanasj confeſſoris , & Epiſcopi Neapolitanorum . Caput vero in Theſauri Sacello honorifice conditur argentea , atque aurea theca recluſum* . Hæc eadem excipiunt Ughellus , & Cuperus , qui de duplici Athanaſio nihil dubitant , quum compertum ſit , duplicem calvariam venerari .

V. Capac. loc. cit.

Chioccarell. Catal. Antiſt. Eccl. Neapol. in Athanaſio.

Ughell. tom. 6. Ital. ſacr.

Cuper. in Comment. præv. ad vit. S. Athanaſ. Neapol. tom. 4. Iulj die 15. §. 1. n. 1.

Quum igitur S. Athanasj Surrentini commemorata oſſa , perquam probabile ſit , in templo SS. Felicis , & Baculi condita : ibidem quoque traditam inſcriptionem aptatam fuiſſe credendum eſt , quæ per oſcitantiam a Capacio alibi extitiſſe indicatur .

XII. Præterea tempore , quo ea Baſilica ſanctorum Felicis , & Baculi inſtaurata fuit , ab ignaris fabris tignariis plures marmoreas inſcriptas tabulas ad Cathedralem nunc temporis Eccleſiam translatas fuiſſe vetus , qui exceſſit , probus , ſo-

lers ,

lers , piiſſimuſque Ædituus Nicolaus Marulus nobis narrabat , unam inter ceteras vetuſtate corroſam , in qua legebatur: *Corpus ſancti Athanasj*, quæ locata fuit in plano , unde ad ſublimem aram maximam ſit gradus , qui locus a fel. rec. Archiepiſcopo Didaco Petra marmoreo opere magnificentiſſime ornatus fuit , præfatuſque lapis ob incuriam præfectorum operi detritus .

Ex quibus ſatis liquet corpus ſancti Athanasj Surrentini in Surrentina urbe ſervari , etſi ſepulcri locus non adhuc indubie exploratus ſit ; de quo nequaquam nos , qui plurimam conjiciendi nobis veniam tribuimus , ullam ariolandi unquam dedimus : Lipſana vero ſancti Athanasj Neapolitani Neapoli cuſtodiri .

XIII. Heic quoque ex iis , quæ diximus , monere non omittamus , in novo a nobis extructo , deaurato , & ſcitis picturis ornato Eccleſiæ Cathedralis tecto tres appoſitas prægrandes telas oleariis coloribus a magni nominis Neapolitano pictore magno pretio penicillo deſcriptas , quarum binæ Surrentinos continent ſanctos , ubi ſanctus Athanaſius Surrentinus juvenili ſpecie expreſſus , ut ſanctus Athanaſius Neapolitanus . Quod ubi animadvertimus cum aliis contra Perſpectivæ , & Picturæ leges admiſſis mendis , eas telas peritiori artifici ex integro reficiendas demandare nobis in animo erat , ſed vaſtum conſilium res anguſta domi coërcuit : ſatiſque ducimus heic de mendo pictoris monitos ſpectatores feciſſe .

Ex

Rom. in Præfat. ad libell. De quinque Præſulib., ac Cuſtodib. Surrentin.

Ex hucuſque dictis illud omnino collige rem non recte exploratam apud Romæum, qui ex duobus Athanaſiis proprio arbitratu, ac ductu unum confecit, ut ſatis ſuperque demonſtraſſe putamus.

CAPUT IV.

Circa Lectionem ſancti Athanaſj nonnulla preſſe annotantur.

I. TEmporis diuturnitas, hoſtium invaſiones, Turcarum depopulatio, conſuetæque aliæ humanarum rerum calamitates jucundiſſimas Surrentinorum Antiquitates ita deleverunt, ut de ſancto Athanaſio nullas prorſus peculiares memorias in Archiepiſcopali Archivo reliquas fecerint ita, ut non niſi pro horis canonicis uni tantum Lectioni (eæ enim lectiones non effuſum, & vacuum ſermonem, ſed ſolidam brevitatem deſiderant) materia ſubminiſtrata ſit.

II. In ea apposite per allegoriam dicitur demandatam *Vineam Domini* ſancto Athanaſio, qui ſumma juſtitia, ſolertia, ac vigilantia, hoc eſt *omnium virtutum genere* eam excoluit, & cuſtodivit.

Pro vinea intellige Surrentinam Diœceſim. Generalius Evangelicam tropologiam de vinea interpretatus eſt Auctor dictorum, & interpretationum parabolarum Evangelj quæſtionibus 133. &c. opus perperam ſancto Athanaſio Alexandrino tributum,

Inter opera S. Athanaſ. tom. 2. quæſt. 13.

butum; qui inſtructam vineam orbem terrarum intelligit; preſſius Vinea Domini Synagoga nuncupatur; de qua Regius Pſaltes: *Vineam de Ægypto tranſtuliſti &c. Vinea enim Domini exercituum Domus Iſraël eſt*. Quam juxta Evangelicum vaticinium aliis poſtmodum agricolis Dominus locavit, ſcilicet Chriſtianis Epiſcopis; atque hæc juxta Ezechielis prophetiam vinea illa eſt ſanctorum Martyrum ſanguine irrigata: *Mater tua quaſi vinea in ſanguine plantata eſt juxta aquas*. Mater noſtra Eccleſia Catholica eſt. Hujus vineæ præcipua, & potiſſima pars Roma, quæ ab OEcumenico Paſtore cuſtoditur, ac colitur, ut egregius, atque eloquentiſſimus Italicorum concionatorum Cornelius Muſus; minores partes, ſeu peculiares vineæ Eccleſiæ ceteræ Catholicorum, inter quas Surrentina Martyrum ſuorum ſanguine, ut diximus libro primo, plantata, & inaquata.

Iſaiæ c.3. v. 14. Jerem. c.14. In Cant. Cantic. cap.72. v. 15., & alibi ſæpiſſime.

Ezechiel cap. 19.

Cornel. Muſſ. Nelle Prediche quadrageſimali nel di 17. di Quareſima in fine della prima parte.

Hanc igitur vineam & virtutibus coluit ſanctus Athanaſius vivens, mortuus autem patrocinio tutatus eſt contra Saracenos, ut diximus, & ſummis aliis beneficiis affecit, in dieſque cumulat ita, ut de ſe verba Regj Pſaltis uſurpare poſſit: *Super cuſtodiam meam ego ſtabo*.

Finis Libri II.

LIBER III.

Exhibens ſeriem Surrentinorum Præſulum deſcriptam in Aula Surrentini Palatj cum recentibus notis , et caſtigationibus .

ANtonius Neapolitanus ex nobiliſſimo Petiorum Salernitano genere ortus , quem honoris gratia nominatum volumus , quum anno 1642. ab Epiſcopatu Polinian. ad Surrentinam Eccleſiam adminiſtrandam tranſlatus fuiſſet , tum optimum conſilium iniit de eruendo in lucem nomina , ſtemmata , & patrias præteritorum Antiſtitum , quorum memoriæ retruſæ , atque abditæ latitabant * . Egregium ſane opus , ac laborioſum , in quo perficiendo ope uſus eſt Bartholomæi Chioccarelli exoletarum Neapolis antiquitatum indagatoris ſolertiſſimi : abſolutumque laborem in parietibus magnæ Aulæ Archiepiſcopalis Palatj inſcribi curavit .

* Inſtar Pauli Diaconi , qui Eccleſiæ Metenſis , (quæ initio Apoſtolicæ Prædicationis cœpit) Epiſcoporum ſeriem deſcripſit, ut conſtat ex Tract., qui cum ceteris ejus operibus extat t. 13. Biblioth. Patr.

Id opus ad ſummum perfectionis minime perductum

ductum viſum eſt eruditiſſimo Abbati Ughello ; ſuperſunt enim in eo ingentes lacunæ inexplicabilibus forte Epiſcoporum nominibus etiamnum vacuæ ; Chronologia rurſus , & critica interdum laborare viſum eſt ; quapropter illud meliori lima perpolire ſategit Ughellus, cujus in hac re labor non omnibus numeris abſolutus videtur , ut ex dicendis patebit . Diptychas Surrentinas eam Epiſcoporum ſeriem non raro idem auctor indigitat , num emendatiſſime faciat , ignoramus . Diptycha enim Eccleſiaſtica non tantum Epiſcoporum nomina , verum etiam fundatorum Eccleſiarum , & benefactorum permiſta continebat . Quocirca nos cœpto inſiſtere non piguit ; & tertio hoc Libro Epiſcoporum Surrentinorum ſeriem reſtituere , breviſſimis notis illuſtrare , & Chronologicis caſtigationibus pro noſtra tenuitate repurgare ; quam rem eruditis , præſertim Surrentinis , non ingratam fore ſperamus .

Vghell. in Ital. Sacr. tom. 6. ubi de Archiep. Surrent.

I. *RENATUS CHEOTHEDRUS ENDEGAVENSIS.*

Anno Domini 425.

Not.

Renatus prænomen , Cheothedrus nomen vulgo cognomen , Endegavenſis patronimicum nomen . Scribendum rectius Andegavenſis , vel Andecavenſis, aut Andicavenſis ex celeberrima Galliæ urbe , de qua affatim in S. Renato dictum eſt .

Principio heic rerum ordo perverſus videtur . Præ-

Prænotandus enim erat ſanctus Baculus, qui tempore ſancto Renato præivit, ut non ſpernendis conjecturis in præcedentis libri Diſſertatione de ſancto Baculo evicimus.

II. *S. VALERIUS DE APREDA SURRENTINUS.* 450.

Not. DE ſancto Valerio vide quæ diximus in Commentariis ad ejuſdem Lectiones. Sed Cognomen *de Apreda*, quod adhuc viget Surrenti, additum a poſteris fuiſſe exiſtimamus. Poſtquam enim Romanum Imperium in Græciam a Conſtantino Magno tranſlatum fuit, antiquatus videtur mos ſcribendi Prænomen, Nomen, Agnomen, & Cognomen; quocirca Duces Neapolitani, ac Surrentini unico nomine deſcripti repeٚriuntur; qui mos tempore Langobardorum duravit. Nortmanni ulterioris hujuſce Italiæ provinciis poſtquam potiti fuerunt, nominibus agnomen aliquod adjecere, ut Robertus Guiſcardus, Rogerius Boſſus; vel Patronimicum, & alicujus Toparchiæ dominatus, ut Ricardus Aquilanus &c.

III. *ROSARIUS* 487. *INTERFUIT CONCILIO ROMÆ* 499.

Not. HÆc Synodus celebrata anno 499. pro tollendo ambitu in Pontificiis Comitiis, fuit prima inter ſex Romanas coacta a S. Symmacho Papa, in

in Italia regnante Theodorico Oſtrogotho Ariano, ut ex Pontificali Anaſtasj Bibliothecarj. Acta extant apud Dionyſium Exiguum. Subſcripſerunt Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi ordine alphabetico contra veterem Eccleſiæ morem, quem ordinem non haberi in Cod. Canonum notat Labbeus. Inter Epiſcopos 46. loco ſubſcribit Roſarius etiam pro fratre ſuo Urſo; circa quam ſubſcriptionem plura congeſſimus libro primo de Stabienſi Eccleſia verba facientes.

Poſt Roſarium in ſerie Epiſcopali Surrentina nonnulla deſiderantur nomina, quæ temporis injuria in omnium ſilentio jacent; in ea tamen poſt Roſarium pone ſequitur.

IV. *JOHANNES* 580. *ADFUIT SYNODO ROMANÆ* 595.

HÆc eſt ſecunda Synodus Romana, ſeu Lateranenſis inter eas, quas celebravit ſanctus Gregorius Magnus temporibus Mauritj, Tiberj, & Theodosj Auguſtorum. Cauſſa cogendi Concilj, ut Binius notat, fuit iniqua hæreſis damnatio lata a Johanne Patriarcha Conſtantinopolitano in Johannem presbyterum Chalcedonenſem, in eo ſex decreta de aliis negotiis Eccleſiæ edita ſunt. *Not.* In T. 5. Concil. ult. edit. pag. 1335.

Eam Synodum complexus eſt ſanctus Pontifex epiſtolarum Libro 4. cum ſubſcriptionibus Epiſcoporum, ac Presbyterorum Cardinalium. Inter Epiſcopos quarto loco ita ſubſcribit Surrentinus: S.Gregor. epiſt. 44. menſe Julj indictione 13.

nus: *Johannes Epiſcopus civitatis Surrentinæ*. Baronius, & ex eo Binius, ubi in citata epiſtola ſancti Gregorj legitur anno Mauritj XIII. legendum putant anno X.; ſed difficultatem ibi movet Antonius Pagi.

V. tom. 6. Concil. loc. cit.

Ad hunc Johannem plures quidem epiſtolas dedit ſanctus Gregorius Magnus, eique inter alia præcepit, ut trajiceret ad inſulam *Cabis*, ubi ſcribendum *Caprearum*, ad conſecrandam Eccleſiam ſancti Stephani. Vide quæ primo libro diximus de Caprearum Epiſcopatu.

S. Greg. lib. 9. Indict. 2. epiſt. 25. juxt. ordin. PP. S. Mauri, & lib. 10. Indict. 3. epiſt. 59. Idem lib. 1. epiſt. 52.

Quum vero hic Johannes ſancto Gregorio literis nuntiaſſet quoſdam Monachos monaſteriorum Surrentinæ Diœceſis ab Abbatum obedientia, & regulis declinantes aliò commigraſſe; ſanctus Gregorius Anthemio mandavit, ut refractarios illos, ac palantes Monachos ad ſua Monaſteria cogeret redire.

S. Greg. Lib. 1. epiſt. 40. edit. Roman. ann. 1591. V. quæ diximus de Regul. S. Benedict. in Diſſert. 1. præced. lib.

Subſcripſit idem Johannes privilegio, quod ſanctus Gregorius Pontifex conceſſit Gailardo Abbati ſancti Medardi Monaſterj Sueſſionenſis, ut eſt apud Ughellum, qui inſuper tradit ex aliorum relatione diem obiiſſe Johannem anno 598.

V. *AMANDUS NEAPOLITANUS* 596.

Not.

Etſi de nullo alio Epiſcopo Surrentino, ſi veteres illos ſpectes, certiora tempora tam vitæ, quam obitus habemus, quam de Amandö: tamen de nullo alio legimus non ſine ma-

Digitized by Google

magna admiratione adeo diſſidentes circa tempus tam ſuæ ordinationis, quam mortis auctores. Extat adhuc in ſanctorum Felicis, & Baculi ſcultus lapis a Capacio quoque, & Ughello excriptus hujuſmodi:

Hic requieſcit ſacerdos Dei Amandus Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Surrentinæ, qui ſedit annos XVII. dies XXI. Depoſitus eſt die XIII. menſis Aprilis Ind. V. Imperante D. N. Heraclio R. Aug. anno VII. ora pro me ſancte Pater.

Quo attente conſiderato emergit inauguratum fuiſſe Epiſcopum die 23. Martj anni 600. Nihilominus in Petiana ſerie fertur Amandus Epiſcopalem ſedem auſpicatus fuiſſe ann. 596. Adeo craſſa hallucinatio fortaſſe contigit ob male perſpectum, interpretatumque Epitaphium. Ughellus vero aliter ſentit, nempe initiatum fuiſſe Amandum anno 599. die 22. Martj, fortaſſe, ut diuturniorem Eccleſiæ Surrentinæ vacationem, quæ abſurda ei videbatur, contraheret; ipſe enim prædeceſſoris Johannis mortem conſignat anno 598., quod ſi ſucceſſoris Amandi inauguratio incidiſſet anno 600. plus integro anno Eccleſia Paſtore ſuo caruiſſet, minime animadvertens ſe ſibi non conſtare, nec computum ſubſiſtere; ipſe enim conſentit Amandum 17. annos Eccleſiam rexiſſe, quum 18. potius ex ejus hypotheſi proveniant. Patres ſancti Mauri circa ordinationis annum cum inſcriptione conveniunt ab Ughello diſcedentes, cui circa diem adhæſerunt, aſſerentes die 22. Martj Amandum conſecratum

PP. S. Maur. in Not. ad lib. 10. ind. 3. epiſt. 18. S. Greg. litt. A.

tum

tum, ſed a noſtro Epitaphio uno die ordinationis quum diſſentiant, a ſpatio quoque Eccleſiæ annorum ſcilicet 17. adminiſtratæ, & dierum 21. & a die depoſitionis diſcrepent, neceſſe eſt. Nos vero quum advertamus conſecrationis ipſius Amandi diem nequidquam prætereundum, ſed habendum pro primo, ducimus ipſum Amandum initiatum fuiſſe Epiſcopatu die 23. Martj anni 600., a quo die pro primo habito uſque ad 12. Aprilis numerantur dies 21. quos ſupra annos 17. vixiſſe Amandum refert Inſcriptio, & die ſequenti 13. ſcilicet Aprilis, ut in ipſa inſcriptione annotatum eſt, depoſitum, ſive ſepultum fuiſse tenemus.

S.Greg. lib. 10. ind. 3. epiſt. 19. juxta ordin. PP. S. Maur.

Ceterum nemo miretur Epiſcopi Surrentini electionem id temporis adeo fuiſſe dilatam; improbavit enim ſanctus Gregorius Surrentinorum electionem ante Amandum factam, ut ex ejus epiſtola ad Anthemium, & digniorem virum eligi mandavit.

Fuit porro Amandus presbyter Oratorj ſancti Severini in Caſtro Lucullano Ordinis ſancti Benedicti, & Clementinæ cujuſdam filiæ, aut conſanguineæ, ut Capacius, vel affinis, ut Ughellus, alicujus Ducis Neapolitani fortaſſe in viam ſalutis dux, ac director, ut ſuperiori citato loco fuſius diximus. Non eſt tamen prætermittendum ita caſte, integreque vixiſſe, atque adeo vigilem in vinea ſibi credita fuiſſe Amandum, ut, ſanctimoniæ fama commiſſo ſibi populo relicta, ad ſuperos evolarit.

VI.

VI. *SANCTUS ATHANASIUS 614.*

TUrbatur Chronologia in ſerie Petiana; ultima ſiquidem diſſertatione ſuperioris libri ſatis indicavimus incertum prorſus eſſe tempus, quo S. Athanaſius e vivis exceſſerit, tantumque notum, nono ſeculo in cœlis jam ſuſceptum Saracenis Crateris litora vaſtantibus minacem apparuiſſe, eoſque tam graviter commoviſse, ac perturbaſse, ut fugam arripuerint. Porro anno 617. ut apertiſſimum eſt ex epiſtolis ſancti Gregorj, Amandus adhuc Surrentinam Eccleſiam adminiſtrabat. *Not.*

Id animadvertens Ughellus ſanctum Athanaſium poſt Amandum aptavit, ſed annum appoſuit 617. Hoc poſitus loco ſanctus Athanaſius in ſerie Surrentina videtur, ut impleretur lacuna inter Amandum, & Agapitum, ſed congruentius in hiatu illo plus centum annorum inter Roſarium, & Johannem locatus fuiſset.

VII. *AGAPITUS 645. HIC SURRENTUM A BARBARORUM RABIE ORATIONE, ET JEJUNIO ILLÆSUM CUSTODIVIT.*

INdicatur heic dira Rodoaldi Beneventani Ducis incurſio, de qua abunde egimus in ſuperiori libro de ſancto Valerio diſserentes, & incidiſse anno 646. probabilius concluſimus. Utrum autem *Not.* Diſſ.6. cap.5.

tem annum integrum ante eam obſidionem Agapitus Eccleſiam tenuiſset, non liquet, neque quo anno mortem obierit. Verum exhorruimus, quum miram hallucinationem in ſerie Aulæ Archiepiſcopalis primo inſpeximus; exprimitur enim ibi inauguratio Agapiti anno 645. deinde ſancti Baculi 660., tum Hyacinthi anno 678. poſtea Stephani anno 870. deinde Leopardi anno 913. ſequitur Sergius anno 918. poſt quos notatur Philippus Hiſpanus anno 628. quum hi duo poſtremi potius inſerendi fuiſsent inter Athanaſium, & Agapitum attento temporis ordine. Fortaſse ex incuria pictoris id mendum admiſsum eſt; ſed præter hanc conſpicuam alias Chioccarelli hallucinationes notabimus.

VIII. *SANCTUS BACULUS NEAPOLITANUS* 660.

Not. HEic ſeriei Chronologiam longe a veritate aberrare putamus, quum ipſi ſancto Renato ſanctum Baculum tempore præiviſſe in diſſertatione ad hujus lectiones non ſpernendis conjecturis ſtatuimus; ut ibidem videre eſt.

IX. *HYACINTHUS ANNO* 678.

Not. HYacinthus Jaquintus audit apud inſcriptum lapidem in templo ſancti Renati Acroſtico carmine, ut inquit Capacius, qui integrum illud excripſit hujuſmodi: *Ja-*

Jaquintus a Deo ſanctificatus in Epiſcopati honorem — Capac. Hiſt. lib. 2. cap. 12. tit. Eccleſ. Surrent. pag. 538.

Conſecratus, in numero Apoſtolorum venit ſociatus,

Plerumque ſacrificando ad laudem .....

Amator fuit ſupernæ legis divina ſervando præcepta,

Super benignitatem dilexit caritatem, prædicta Caritate ....

Ubic arduum adeptus Antiſtitis nomine fulgebat,

Quem ſuis Chriſtus paſtorem ovibus dederat,

Vt in grege illius Senatus ingrede ....

Hic namque vultu noſcitur fuiſſe mirifico animo

Dulciori verbo, mellifluo amore, promtus voluntate,

Honeſtus in caritate .....

Neque ſupernæ virtutis excelſo obſecremur auxilio,

Vt qui æternus Paſtor Paſtorem hujus ſepulcri

Repoſiti ſanctorum ſuorum ....

Tantoque in eo ſanctiſſimo viro Salvator largitus

Eſt gratiam, ut fovendo pauperes, diligendo ſuarum

Ovium animas, jam inquit, Chriſto ſuo præſentari.

Vivus vitæ noſcitur fuiſſe proſpicuus, in judicio mitis

In Viduis, pupilliſque amatur, in peregrinis miſericors.

Et conſolator .....

Sanctitate connexus perenni vitæ præmia promeruit

Eſſe profectus, ibique ſanctorum merita amplexus

Ad aſtra perrexit illæſus.

Sequitur inſcriptio.

Relegens capita verſuum nomen reperies, cujus nomen Chriſto protegente in perenni gratia hæreditatem promereat adhærentem. Obſecro vos homines, legenteſque, quod providentes, ut vas tanti ſanctiſſimi viri ſepulcri nemo audeat violare, nec pedibus calcare; per ipſum obteſtor, qui venturus eſt ſeculum per ignem judicare.

Addit Capacius Jaquintum ſubſcripſiſſe Concilio Conſtantinopolitano hoc pacto: *Hiacynthus Epiſcopus Surrentinus provinciæ Campaniæ*. Eodem modo docet Ughellus ſubſcripſiſſe, additque hoc concilium fuiſſe Conſtantinopolitanum quartum ſub Agathone Papa anno 680.

At nihil horum veritati conſentaneum eſt. Celebratum quidem fuit Concilium Conſtantinopolitanum III. non autem IV. contra Monothelitas unam tantum in Chriſto voluntatem impie agnoſcentes, Eutichianorum ſtolones, qui unicam naturam in Chriſto admittebant; celebratum quidem Concilium fuit anno 680.; ſed huic minime interfuit Hyacinthus: verum ei, quod pro eadem re Romæ celebravit ſanctus Agatho Papa 125. Epiſcoporum anno 679. cujus exemplar a Summo Pontifice datum fuit ad Patres Concilj Conſtantinopolitani III. Generalis VI. pro norma eorum, quæ ſtatuenda erant. Quod Græce factum pro omnium captu lectum fuit Actione IV. Atque in eo viceſimo ſecundo loco legitur: *Hiacynthus humilis Epiſcopus ſanctæ Surrentinæ Eccleſiæ Provinciæ Campaniæ in hanc ſuggeſtionem, quam pro Apo-*

V. Pag. hoc anno tom. I. Et tom. 7. Concil. ult. edit. Venet. pag. 608.

Apoſtolica noſtra fide unanimiter conſtruximus, ſimiliter ſubſcripſi. Hæc formula tunc adhibita ab omnibus, excepto uno Summo Pontifice.

X. *STEPHANVS FILIVS SERGIJ DVCIS, ET CONSVLIS NEAPOLITANI, ET GERMANVS S. ATHANASIJ EPISCOPI NEAPOLITANI ANNO DOMINI* 870.

ECcam in Surrentina ſerie ingentem lacunam, ſpatium ſcilicet 192. annorum Epiſcopis vacuum, quorum nulla memoria extat in Surrentino Archivo ob Turcarum ſæpius memoratam direptionem, quam Ughellus merito heic deflet; fortaſſe ex codicibus Romani Archivi ſuppleri nonnihil poſſet, quos diligenter ſcrutandi nobis neque commodum, neque otium datur. Stephani hujus acta omnia perierunt. *Not.*

Hunc circa annum 870. Epiſcopum Surrentinum fuiſſe tradit Ughellus ex vita ſancti Athanasj Neapolitani Epiſcopi fratris, ſed id ibi non expreſſum; quantum autem colligi poteſt anno 871. immo, & anno 872. ſanctum Athanaſium Surrenti diverſatum inferimus ex iis, quæ in vita ſancti Athanasj legimus. In ea enim, quam in ſuos Annales inſeruit Baronius, dicitur, interrogatus Athanaſius, cur fleret? reſpondiſſe: *Ecce miſera Neapolis ſub anathematis vinculo jacet obligata*

Baron. de S. Athan. ann. 872. num. 11.

ab univerſali , & Summo Pontifice , & a mea parvitate , ſi utriſque (quod humanum eſt) finis morte advenerit , quid erit de ea? Quod ei factum eſt ; nam eodem anno ambo obiere . Ex quibus liquet non ſolum uno eodem anno ſanctum Athanaſium, & Adrianum Summum Pontificem obiiſſe, ſed eodem anno, quo id dixit Athanaſius ; atque ita factum eſt Neapoli, ſicut ſanctus Athanaſius prædixit. Athanaſius autem animam efflavit anno 872. Hoc igitur anno Surrenti apud Stephanum fratrem degebat. Deinde ex Chronico Johannis Diaconi habetur, Ludovicum, paulo poſtquam ſanctum Athanaſium e nepotis injuriis eripuit, in carcerem fuiſſe conjectum. At id Ludovico accidit anno 871., quo anno Adelgiſius Beneventanus Princeps manus in eum Imperatorem injecit, ut advertit Muratorius. Anno igitur 871. ſanctus Athanaſius Surrentum confugit, ſi Johanni Diacono adhæreſcimus, qui e Lucullana inſula Surrentum recta delatum ſanctum Athanaſium tradit; quod etiam ex vita, quam recitat Baronius, firmatur, quæ refert *ſanctum Athanaſium in anguſtiis hujus ſeculi fuiſſe menſibus viginti cum uno* . Ablatis menſibus, quibus detentus fuit in carcere, & in inſula Lucullana, reliquum eſt, ut colligamus anno 871. Surrentum apud Stephanum ſe recepiſſe. Si vero cum aliis dicemus ſanctum Athanaſium Romam petentem, quum illi innotuiſſent inſidiæ, quas moliebatur Sergj conjux, Surrentum declinaſſe; & antea ex inſula Lucullana non Surrentum, ſed Salernum recta

Murator. Rer. Ital. tom. 1. par. 2. in Not. ad Chron. Johann. Diacon. pag. 317. n. 18.

ĉta ſolviſſe, adventum ipſius Surrentum anno 872. conſignemus oportet. Ut ut ſit, conſtat ex vita ſanĉti Athanasj Stephanum Epiſcopum fuiſſe Surrentinum anno 871., vel 872., quo ipſe Athanaſius ſibi conſulens Surrentum ad fratrem ſuum germanum confugit, ut diximus ad lectiones ſanĉti Athanasj Surrentini. Stephani pater Sergius Dux, & Conſul, qui Neapolitanam Rempublicam moderari cœpit poſt annum 836., quatuor genuit filios, auĉtore Erchemperto, Gregorium, Athanaſium, Epiſcopum Neapolitanum inter ſanĉtos inde relatum, Stephanum Surrentinum, & Cæſarium. Ad hunc Stephanum divertit ſanĉtus Athanaſius, quum vellet perſecutionem Sergj nepotis ſui Ducis Neapolitani XXIV., a quo plurima dira paſſus fuerat, declinare. Ex his omnibus, quæ modo attigimus, conſtat, quam falſus animi fuerit Paulus Regius Epiſcopus Vici Æquenſis, qui in vita ſanĉti Athanasj Epiſcopi Neapolitani videtur tenere hunc Stephanum Epiſcopum Surrentinum non germanum ipſius S. Athanasj, ſed fratrem tantum in Chriſto fuiſſe. Hic autem ſanĉtus Athanaſius diĉtus eſt major; fuit enim alter Athanaſius minor nuncupatus, qui poſt Athanaſium majorem patruum ſuum Epiſcopus ſimul fuit, & Dux Neapolitanus, ad quem plures dedit epiſtolas Johannes Papa VIII. Videat qui volet quæ copioſiora diximus in ſanĉto Athanaſio Surrentino. Heic alia lacuna eſt, quum per plurium annorum curriculum qui extiterint Surrenti Epiſcopi

Erchempert. n. 38. & 39.

V. Quæ dicemus 2. p. ubi Surrentum a Neapolitano jugo vindicabimus.

Paul. Reg. Nelle vite de' ſette Santi Protettori di Napoli. Nella vita di S. Atanaſio pag. 62., & 63. & tom. 2. nelle vite de' Santi, e Sante, che ſono nati, o ſi venerauo nel Regno di Napoli pag. 646.

ſcopi, ignorentur; eam ſupplere, quoad fieri poſſet, nobis animus fuit, ſed quum aliis occupationibus diſtenti eſſemus, aliô divertendum fuit.

XI. *LEOPARDUS, QUI PRIMO ARCHIEPISCOPUS SURRENTINUS FUIT DECLARATUS ANNO 913.*

Not. ARchiepiſcopale munus, ac poteſtatem uſque ab inſtitutione Præſules Surrentinos obtinuiſſe ſatis probavimus libro primo. Verum Pallio, & Metropolitæ nomine, inſigniis, ac decore donatus primo fuiſſe Leopardus dicitur in ſerie.

Quo autem anno id contigerit non liquet. Diptychæ Surrentinæ, ut refert Ughellus, a Johanne IX. auctam hac dignitate illam Eccleſiam tradunt anno 913. Verum hoc anno poſito, ſi Platinæ veſtigiis inſiſtes, Leopardus non ab alio, quam a Landone Papa patria Sabino Pallium potuit obtinere; Lando enim anno 913. Romanæ Sedi præerat. Secus vero, ſi Baronium ſequaris exiſtimantem Johannem X. anno 912. ſancti Petri Cathedram ope impudentiſſimi, ac potentiſſimi ſcorti Theodoræ occupaſſe, quam temporum rationem eruit ex Leone Oſtienſi, qui inquit: *Quo cognito Papa Johannes X. qui ex Epiſcopatu Ravennate triennio ante Romanam Sedem invaſerat &c.* triennio ſcilicet antequam Saracenorum invaſio contigeret, quæ ipſo Oſtienſi auctore evenit *anno Incarnationis Dominicæ* 915. Unde Johannis X. intru-

Oſtien. lib. 1. c. 55. corrige 52.

intruſionem anno 912. deſignat. Id vero minus exacte. Rectius autem paulo poſt anno 913. Pontificatus Johannis initium addicit. Siquidem ea celeberrima Saracenorum clades accidit menſe Auguſti anni 915. Johannes vero Pontificatum aggreſſus ſub finem menſis Januarj. A Januario igitur anni 913. numerando uſque ad Auguſtum anni 915. emergent anni duo ſolidi, & tertius ad ſemiſſem productus. Unde merito Annalium Parens paulo poſt exorditur ab anno 913. Johannis X. Pontificatum. Quapropter juxta rectiſſimam hanc Chronologiam a Johanne X. Leopardus potuiſſet Pallium conſequi; etenim Johannis IX. circa annum 901. Pontifex Romanus extitit.

Neque cuique ſcrupulum faciat, quod Johannes Antipapa, atque intruſus credatur. Poſt enim adeptam Saracenorum victoriam a Romanis, & electoribus verus haberi Pontifex cœpit. Unde nonnullos Archiepiſcopos Pallio donavit præcipue *Vnum* Archiepiſcopum Amburgenſem virum ſanctiſſimum; & epiſtola tertia Agj Metropolitani ordinationem confirmavit, Geraldum pervaſorem damnavit, ipſique Agio Pallium miſit. V. T. 11. Concil. nov. edit. Venet. col. 786.

At Ughellus nihilominus aliter ſentit. Scripſit enim aberratum in Diptychis Surrentinis; ubi Leopardum a Johanne IX. Pallio donatum ſcribunt; veroſimiliuſque exiſtimat id decoris aſſecutum a Johanne XIII. anno ſalutis 968. poſtquam Eccleſia Capuana eo honore decorata fuerat; quæ primum, teſte Baronio, in Campania, totoque Regno

gno Archiepiſcopali dignitate, & Pallio donata fuit.

At vero monimenta Surrentina tantum anno 913. Pallj uſum eam Eccleſiam accepiſſe memorant, silentio prætereuntia a quo Romano Pontifice tantum beneficium nacta fuerit: quumque annum recenſeant, non a Johanne IX., qui ab ann. 901. uſque ad 903. Cathedram Romanam tenuit, ſed a Johanne X. Pallium accepiſſe ſatis indicant. Neque contendimus, quænam ex Campanis, vel Regni Eccleſiis primo Archiepiſcopalis dicta ſit, dummodo quis non inficietur Surrentum in fundatione Metropoliticam poteſtatem obtinuiſſe, ut libro primo capite 3. demonſtravimus.

XII. *SERGIVS ANNO 918.*

Not. DE hoc Sergio exigua nimis monimenta ſunt in Dioeceſi Surrentina. Eum ſecundum Archiepiſcopum facit Ughellus, ac ſediſſe opinatur circa annum Domini milleſimum; famamque eſſe ſubdit ad Eccleſiam Neapolitanam fuiſſe tranſlatum, quod ex ſerie Epiſcoporum in aula Surrentina accepit. Verum id invexit Marinus Freccia in additionibus, quas attexuit libro 1. de Subfeudis, ubi de Provinciis, & Civitatibus Regni agens inquit: *Gregorius in C.... q.... ſcribit Nobilibus, & Populo Neapolitano de Epiſcopo Neapolitano, quem elegerant, quia diviſi erant Nobiles a popularibus in regimine urbis, prout pleræque*

Marin. Frec. l. 1 de Subfeud. Cap. de Provinc. & Civit. Regn. n. 18. pag. 73. col. 1. edit. venet. 1579.

que civitates in Regno, quo tempore, & quo modo non eſt tempus, alias etiam proprium Epiſcopum e ſede expulerunt, & Sergium Surrentinum Epiſcopum ibi conſtituerunt in Pontificem, ut legitur in Chronicis Epiſcoporum Neapolitanorum tempore. Quo in loco perhibet Neapolitanos, ejecto ſuo Epiſcopo, hunc Sergium ad ſuam regendam Eccleſiam acciviſſe; idque accepiſſe fatetur ex ms. Codice ſuæ Bibliothecæ. Sed rem in dubium revocat Bartholomæus Chjoccarellus, qui addit hunc Sergium, ſi unquam is extitiſſet, inſerendum in ſeriem Neapolitanorum Antiſtitum poſt Athanaſium II., quem obiiſſe tradit anno 876. Si ſententiam noſtram exquires, ſcito, nos nihil prorſus tribuere Marino Frecciæ, præſertim quum Chronicon aliquod ms. Bibliothecæ ſuæ laudat, niſi alia adminicula, ac teſtimonia factum probent. Collegit ſane Freccia nonnullos ms. Codices, ſed multo plures, quam revera collegerat, ſe habere affirmabat. Unde quidquid nocte ſomniabat, vel opportunum rei, quam agebat, ſibi videbatur, non dubitabat literatorum hominum auribus committere: cujuſpiam a ſe animo efficti ms. codicis auctoritatem obteſtans. Sed ars detecta poſt ejus obitum, quum nonnulli Codices ab illo laudati, nec in ſua Bibliotheca, neque alibi inveniri potuere; ut fatetur non uno in loco Chjoccarellus. Atque hinc eſt, quod multa incongruentia invehat, multa jejune nimis attingat, ut eſt quod de noſtro Sergio; alia iis Codicibus,

Chjoccar. Cat. Antiſt. Neapol. Eccl. pag. 105.

auctoribuſque tribuat, quibus divinandum potius fuiſſet; quum ad deſignata ab eo tempora non pervenerint. Hæc nos ſentimus, credant alii, quod lubet.

Verum profecto eſt dediſſe, ſed multo poſt, circa annum 1217. Surrentinos Neapolitanæ Eccleſiæ Archiepiſcopum eorum civem Petrum virum undequaque ſpectatiſſimum, pietate, doctrina, zelo, vigilantia illuſtrem, atque in hæreticos infenſiſſimum, præſertim Patarenos, quos nedum Summi Pontifices, & præcipue Gregorius IX., ſed ipſe etiam Federicus II. acriter perſecutus eſt.

Sed heic non prætereundus Chioccarelli lapſus ferentis hunc Petrum ante conſecrationem confirmaſſe *Immunitates, atque exemtiones conceſſas ab Archiepiſcopo deceſſore*: quod arguere ſe fatetur ex principio Diplomatis, atque ex ſubſcriptione, ubi Petrus ſe vocat Neapolitanum electum ita: *Petrus Dei gratia Neapolitanus electus*. At non animadvertit Chioccarellus Archiepiſcopos, etſi conſecratos ſemper electi nomen retinere, quoaduſque Pallio donentur.

V. Chjoccarell. De Antiſt. Neap. Eccl.

Ad Sergium remeantes quo anno vixerit, figere non audemus; at quum ſecundus putetur Surrenti Archiepiſcopus ab Ughello, nullo modo debemus diſſentire. Circa 1000. igitur credimus Surrentino Archiepiſcopatui præfuiſſe.

XIII.

XIII. *PHILIPPVS HISPANVS TARRACONENSIS ANNO 619. HOC TEMPORE SANCTVS ANTONINVS ABBAS PRÆCIPVVS PATRONVS SVRRENTVM ADVENIT.*

HEic iterum mire Chronologia turbatur, atque confunditur in Diptychis Petianis, quæ diſſident a ſeipſis, & ab aliis hiſtoricis, a quibus neque recte emendata ſunt. *Not.*

Secum equidem pugnant recte ſtatuentia præſulatum Philippi anno 619., quo regente Eccleſiam Surrentinam, conſtans traditio eſt, ſanctum Antoninum Surrentum conveniſſe, ſed diſcordant collocantia Philippum poſt Sergium, quem tenuiſſe Eccleſiam anno 918. perhibuerant.

Hæc diſcrepantia fortaſſe, graviſque lapſus; evenit ob vacillantem ſententiam, quam ferebant ſeriei Epiſcopalis compilatores de tempore, quo floruit ſanctus Antoninus Abbas; ipſi hinc e Chronologia Antonj Caraccioli, inde ab antiqua traditione abducti; qua nutatione duplicem ruperunt in ſcopulum.

Ughellus Caraccioli rationes maximi faciens putavit, ſanctum Antoninum nono ſeculo Surrentum adiiſſe, dum Philippus præſulatum gereret anno 830. Verum a Caracciolo, & a veritate aberrat. Caracciolus ſiquidem fert, ſanctum

Antoninum Surrentum conceſſiſſe anno 827. obiiſſe anno 830. Oportuiſſet igitur, ut ejuſdem auctoris ſententiæ adhæreret Philippi Hiſpani præſulatum anno 827. addicere.

A veritate vero diſcedere evidenter evincitur ex iis, quæ in prima diſſertatione præcedentis libri ſtatuimus; ubi inverſum a Caracciolo temporum ordinem in ſuum locum luculentiſſime revocavimus; quapropter Diptycha Archiepiſcopalis aulæ Surrentinæ hac emendatione prorſus indigent; collocandus Philippus Hiſpanus ante Agapitum circa annum 618.

XIV. *JACOBUS COTIZ BONONIENSIS ANNO 628., QUO TEMPORE SANCTUS ANTONINUS OBDORMIVIT IN DOMINO.*

Not. REctiſſime annus hujus Præſulis Cotiz alibi dicti notatur, quo Eccleſiam Surrentinam moderante, ſanctus Antoninus *obdormivit in Domino*, qui, ut ſuperiori libro diximus, circa annum 630. ad Cœlos evolavit. V. lib. 2. Diſſ. 1. cap. 12.

XV. *JOANNES ANNO 1050. SEDIT IN SYNODO ROMANA ANNO DOMINI 1059.*

Not. JOhannes hic potius ſufficiendus erat Sergio, quo aliquantulum repleta fuiſſet vacuitas illa Epiſcoporum continens annos 141. Concilium Roma-

manum, de quo in Diptychis mentio, convocavit Nicolaus II. anno 1059. Epiſcoporum 113., in quo hæreſim iterum ejuravit Berengarius. In eo tamen non extat ſubſcriptio Johannis Surrentini.

Eodem prorſus anno idem Summus Pontifex Synodum celebravit Melphiæ in Lucania, quæ per errorem ſcripta eſt, ac nuncupata in eodem Concilio Amalphia, quæ longe diverſa civitas, ut recte animadvertit Antonius Pagius; noſque de ea Eccleſia libro primo verba facientes innuimus.

Coëgit eodem anno Synodum Beneventanam extra urbem in æde ſancti Petri juxta Sabbatum flumen, in qua depoſitus Abbas Albertus Monachus Benedictinus, quod Cellam, ſeu Sacellum ſancti Vincentj occupaverat; in cujus Synodi præfatione recenſentur aliqui Cardinales, tum plures Archiepiſcopi, inter quos Johannes Surrentinus, qui poſt Segium Archiepiſcopum Neapolitanum ita ſubſcripſit: *Ego Joannes Archiepiſcopus Surrentinus*. Emendandus igitur Ughellus, qui ſeriem Epiſcoporum ſecutus hunc Johannem ſub Nicolao II. ſubſcripſiſſe tradit Concilio Romano.

Quo peculiari anno creatus fuerit Archiepiſcopus hic Johannes, non liquet. Diptycha, neſcimus, qua auctoritate adducta primum Archiepiſcopatus Johannis annum 1050. faciunt. Certum quidem eſt circa annum 1059. Surrentinam Dioeceſim

Digitized by Google

ceſim adminiſtraſſe. Quandonam obierit, ignotum quoque eſt. Reperimus tamen uſque ad annum 1071. vitam produxiſſe; eo enim anno Eccleſiæ Caſinenſis conſecrationi ab Alexandro II. factæ interfuit Johannes; ut ex Anonymo Caſinenſi ſe accepiſſe teſtatur Ughellus. Et revera quamvis Leo Oſtienſis, ubi hanc conſecrationem deſcribit, Archiepiſcopum Surrentinum interfuiſſe teſtificans, illius nomen non promat: tamen ex Hiſtoriola conſecrationis hujus, quam nuper poſt Caracciolum recudit Muratorius, quiſquis auctor ſit, hunc Johannem adfuiſſe cognovimus. In Elencho enim Archiepiſcoporum, qui interfuerunt, poſt Johannem Archiepiſcopum Neapolitanum ſeptimo loco legimus: *Joannes Archiepiſcopus Surrentinus.*

Murat. Rer. Ital. tom. 5. poſt Anonym. Caſin. ſive cap. ult. Anonymi Caſinenſis pag. 77. col. 1.

Diximus *quiſquis ſit auctor*; quoniam non nobis clam eſt controverſum eſſe apud eruditos. Antonius Caracciolus Hiſtoriolam illam formis exprimens Petro Diacono Caſinenſi tribuit; quapropter ab Angelo de Nuce reprehenditur; quum auctor ſcribat, quæ oculis hauriebat ſuis; ſed Petrus Diaconus id temporis ne natus quidem erat. Hinc opus putat potius Leonis Oſtienſis. Optime quidem Abbas de Nuce, ſi intelligendus Caracciolus de eo Petro Diacono Caſinenſi, qui Caſinenſe Chronicon continuavit, & tot alia opera elucubravit; is enim quinquennis oblatus fuit ſancto Benedicto ſub Girardo Abbate anno 1115. Verum, ſi loquitur Caracciolus de illo Petro Diacono

Angel. De Nuc. In Not. ad cap. 30. l. 3. Chron. Caſin. n. 1401.

V. Petr. Diac. De Vir. Illuſtr. Caſin. cap. 47. apud Io: Baptiſt. Mari.

cono

cono Caſinenſi, qui fuit magiſter Petri Diaconi poſterioris, de quo diximus; non adeo dignus videtur Abbatis de Nuce cenſura. Petrus enim Diaconus Caſinenſis major Petri Diaconi Caſinenſis minoris magiſter circa ea tempora, quibus conſecratio contigit, ſcientia, ac doctrina florebat, ut videre eſt apud Johannem Baptiſtam Mari. Potuit igitur hic Petrus a nobis major vocatus hanc conſecrationis hiſtoriolam intexere, ni eam concinnavit Leo Oſtienſis, quod non omnino improbamus.

V. Johan. Bapt. Mari in libr. Petr. Diac. de Vir. Illuſtr. Caſinen., quem edidit. c. 39.

XVI. *BARBATUS ANNO* 1110.

HIc eſt ille Barbatus Archiepiſcopus Surrentinus, qui Gregorium presbyterum Epiſcopatu Stabienſi initiavit, cujus rei diploma, ſeu Bullam habes apud Capacium, & Ughellum; & nos etiam alibi attulimus.

Not.

V. quæ diximus lib. I.

Hic idem Eccleſiam ſancti Angeli in monte Gauro vulgo *Faito* eidem Gregorio conceſſit, ac deinde Sergio Stabienſi itidem Epiſcopo confirmavit; qua de re nos fuſius, quum de Epiſcopatu Stabienſi, & Archiepiſcopatu Surrentino ſermonem habuimus.

V. Ughellum.

Hoc Præſule fertur univerſa Italia horrendo terræmotu concuſſa ſemidiruta pene fuiſſe. De quo terræmotu hæc memoriæ prodit Petrus Diaconus: *Hoc præterea tempore anno ſcilicet* 1117., (ut capite ſuperiori explicarat,) *terræmotus magni per univerſam*

Petr. Diac. l. 4. Chron. Caſin. c. 26 Idem ibidem cap. 61.

ſam fere Italiam facti ſunt, ita quod muri multarum civitatum ruerent, Eccleſiæ a fundamentis ſubverterentur, & excelſæ turres demergerentur, & multorum hominum ſtrages fierent, fontes etiam fere omnes turbidati ſunt, & lampades Eccleſiarum, nullo impellente turbine, per aërem movebantur. Tunc quoque in Civitate Veronenſi maxima pars ædificiorum corruit, yatus etiam in eiſdem partibus magni facti ſunt, & innumeræ arbores virentibus foliis radicitus evulſæ foras ejectæ ſunt, ſumoque loca illa obtecta; infans etiam contra ætatem locutus quædam portentuoſa vaticinatus eſt, quæ poſtea evenerunt. Fuerunt quidem ſeculo 12. terræmotus maximi, quibus varia loca conquaſſata fuerunt, ut anno 1120., quos deſcripſit idem Petrus Diaconus, ſed de hoc loqui non videntur Diptycha, quum tantum Caſino, & eis locis, atque oppidis, quæ circum ſunt, calamitas illa incubuerit. Anno autem 1125. alium Beneventi fuiſſe ingentem terræmotum, quum eô pervenit Honorius II. anno ſui Pontificatus I., qui proinde eximia ibi dedit pietatis exempla, ut refert Baronius ex Chronico Beneventano ab auctore ſynchrono elucubrato. Ne quid dicam de illo in Anglia, cujus meminit Rogerus Hoveden, quem adi in collectione ſcriptorum rerum Anglicarum ab Henrico Savile adornata, atque edita, & Eliſabethæ Angliæ Reginæ nuncupata. Atque de alio in Sicilia, quo ſubverſa Catanenſis civitas, & Epiſcopus, Clerus, ac populus ruinis obruti fuerunt, & mare ad triginta paſſuum ſtadia receſſit,

Petr. Diac. lib. 4 cap. 65. Chronic. Caſin.

Roger. Hoved. Annal. Rer. Angl. par. poſter. circa annum 1185. pag. 629. n. 55.

ſit, quem referunt hiſtorici etiam exteri, ut laudatus Rogerus ibidem, & Rodulfus de Diceto, qui ymagines Hiſtoriarum concinnans anno 1185. de hoc Siciliæ terræmotu verba facere, ſed aliquanto aliter videtur. Eum lege in collectione ſcriptorum Anglicanæ Hiſtoriæ edita Londini anno 1652. Hunc tamen accidiſſe docet ex Falcando Baronius ann. 1169. die 4. Februarj in vigiliis S. Agathæ, & ex epiſtola 46. Petri Bleſenſis, qui in Sicilia tunc apud Willelmum Regem agebat, additque id temporis pariter erupiſſe Ætnam, & illum Epiſcopum, quem diruptorum ædificiorum rudera oppreſſerunt, impium fuiſſe, & in Epiſcopatum intruſum, non canonice electum. Sed ex his poſterioribus nullus eſt, qui terræmotui Barbati ætate Italiam concutienti poſſit convenire. Vel enim tempora, vel loca non conveniunt; quamobrem de illo intelligendæ ſunt Surrentinæ memoriæ, quem ex Petro Diacono retulimus. Is quidem & univerſam concuſſit Italiam, non quamdam Italiæ partem ſolum: & eo tempore fuit, quando Barbatus in vita eſſe poterat; cujus vim, impetumque non omittemus verbis Rogeri de Hoveden patefacere, qui damna tantum, quæ in Langorbardia ab eodem facta ſunt, his verbis deſcribit: *Apud Langobardiam magno terræmotu facto, & ut teſtati ſunt, qui noverunt, quadraginta dierum ſpatio durante plurima domorum ædificia corruerunt, & quod viſu, dictuque conſtat mirabile, villa quædam prægrandis mota eſt repente de ſtatu*

Idem ibidem anno 1164. pag. 493. n.45.& ſeqq.

Roger. de Hoved. Annal. rer. Angl. anno 1117. pag. 474. n. 14. edit. Francofurt. anno 1601.

proprio, jamque ab omnibus in loco longe remoto conſiſtere cernitur. Viri Mediolani Patriciæ dignitatis, dum de Republica tractantes, ſub una reſiderent turri, auribus omnium vox foris inſonuit, unum ex illis nomine vocans, & feſtinato exire rogans, quo tardante perſona quædam apparuit, quæ vocatum virum, ut egrederetur, prece obtinuit, exeunte illo, turris repente cecidit, & omnes, qui ibidem erant, caſu miſerabile oppreſſit. Kal. Decembris extiterunt nimia tonitrua, & fulgura, quæ ſecuta eſt magna pluviarum inundatio, & grandinis; & tertio Idus ejuſdem menſis Luna primo ſanguine, poſtea obtenebrata apparuit. Fere idem tradunt Simeon Duvelmenſis Hiſtoria de Geſtis Rerum Anglicarum anno 1117. quem adi tom. 1. collect. ſcript. Anglic. Hiſt. fol. 1006. num. 40., & Johannes Bromton. Sed hi ambo ab ipſo Rogero acceperunt, a quo pene etiam verba mutuati ſunt.

XVII. *URSUS* 1142.

Not. URſus Iohanni Epiſcopo Stabienſi confirmaſſe dicitur quidquid Gregorio, & Sergio Epiſcopis Stabienſibus anteceſſor ſuus Barbatus donaverat, cujus donationis memoria Urſi nomen ad poſteros pervenit, ut animadvertit Ughellus.

XVIII

XVIII *ALFERIUS* 1200.

Huic Innocentius Papa III. confirmavit privilegium obedientiæ in futurum præſtandæ ab Epiſcopis ſuffraganeis, Abbatibus, ab Eccleſiaſticis, & ſecularibus Univerſitatibus totius Provinciæ bis quolibet anno in perpetuum anno 1208.

ALferius Surrenti nobili genere natus ex Archidiacono electus eſt Surrentinus Archiepiſcopus Cœleſtini III. Papæ temporibus. Anno 1206. Templum Sanctæ Mariæ de Auro pridem dictum, modo vulgo *ſanta Maria del Lauro*, & *ſancti Salvatoris* nuncupatum Metenſis Pagi Surrentini una cum Epiſcopis Stabienſi, & Æquenſi ſolenni ritu ſacrum fecit, Chriſtianæque religioni obſtrinxit Alferius, ut tenet inſcriptus adhuc lapis in una ex ejuſdem templi pilis, in qua, licet incomte, legitur: *Not.* V. Capac. Hiſt. Neap. lib. 2. cap. 12. tit. Eccl. Surr.

Quod quater antiquitus cecidit, quater inde Sacelli
Hoc licet exigui, reſtauratur opus.
Tunc tibi Deiparæ templum de more dicatum
Virginis a Mariæ Numine nomen habet.

Sacellum Mariæ Virgini antiquitus erectum, & anno Chriſti MCCVI. ab Alſerio Surrentino Metropolita, ac Stabienſi, & Æquenſi Epiſcopis dedicatum, injuria temporis quater everſum Meterenſes in ſplendidiorem formam ſumma pietate quintum funditus

tus conſtruxere anno MDLXIX. (Hoc totum antiquis literis Langobardis in eadem Eccleſia Notarius Julius Guaracinius teſtatum habet.)

DA barbariche mani arſo, e combuſto
Fu ſette volte il maggior Tempio antico
Di Roma, e ſette volte il Cielo amico
L'ereſſe più magnifico, ed auguſto.
Tal' io dal primo ſecolo vetuſto
Sacro a Maria d'ogn' idolo nemico
D'Alſerio, che Sorrento, Stabia, e Vico
Reſſe ſacro Paſtor pietoſo, e giuſto:
Tre volte caddi, indi a mille anni, e ducento
Redificato fui alto, e ſublime,
Qual' a Langobarde note vi rivelo.
Ed or, che il tempo avea il mio culto ſpento
Dal ſopremo mio tetto alle part' ime
MDLXVIIII. i Mieteresi m'ereſſero al Cielo.

Allata hæc monimenta, licet quodammodo non in omnibus ſibi convenientia videantur: tamen hujus templi Metenſis elegantis quidem antiquitatem præferunt; tempore enim Alferj jam ter inſtauratum, terque antiquitate ſua, temporiſque injuria proſtratum, quartum jam reparatum fuit, & ſolenniori, quam ſolet, ritu Stabienſi ſcilicet, & Æquenſi Epiſcopis aſſiſtentibus ab Alferio Archiepiſcopo conſecratum. Antiquiſſima igitur ſit prima hujuſce templi erectio, oportet, & ni vis ab antiquo primo ſeculo, ut in Italico epigrammate

mate innuitur, ſaltem inficiari nequiveris, a primis illis Eccleſiæ ſeculis, vel quarto, vel quinto, vel ſexto jacta ejus fundamenta repetenda eſſe.

Huic Alſerio confirmavit Innocentius Papa III. antiquiſſimum privilegium obedientiæ præſtandæ illi, ejuſque Succeſſoribus ab Epiſcopis Suffraganeis, Abbatibus, ab Eccleſiaſticis, atque Univerſitatibus totius Provinciæ bis quolibet anno in perpetuum. Heic vero male quidem Ughellus tradit ab Innocentio obtinuiſſe Alſerium hoc privilegium, quum potius hujuſce privilegj obtinuerit confirmationem. Antiquiſſimum enim jus fuit Archiepiſcopo Surrentino arceſſendi bis quolibet anno ad præſtandum ſibi publicum obſequium, ac reverentiam Epiſcopos Suffraganeos, Abbates ſuæ Diœceſis, Presbyteros, & Clericos; quin etiam ipſos Magiſtratus laicos, Syndicum ſcilicet una cum populo comitante ordinatim, qui omnes proceſſionaliter, ut vulgo dicitur, venire, atque adeſſe tenebantur ad renovandam ſpiritualem proprio Præſuli obedientiam. Si qui autem ex Epiſcopis, Abbatibus, & Syndicis præpediti revera erant, procuratorem ſuo nomine conſtituebant. Modo omnes de more arceſsuntur; ſed non omnes adſunt.

Mos hic unde ortus ſit, ſatis conjectavimus in prioribus libris. Bulla hujuſce confirmationis non reperitur inter epiſtolas, ac diplomata Innocentj III. Ejus vero exemplar in Archivo Surrentino pridem conſervatum tradunt Surrentini, ſed

ſed in direptione a Turcis Surrento illata periiſſe, ut etiam refert Ughellus, qui inſuper addit Alferj machinatione, & potentia Surrentinam civitatem a Regia Federici II. obedientia receſſiſſe, & Othoni IV. Imperatori fidelitatis præſtitiſſe juramentum; ob eamque rem conflata illi invidia, ac ſimultatibus Simoniæ inſimulatum fuiſſe apud Innocentium III. a Matthæo Archidiacono anno 1213., & ad excuſationem acceſſiſſe, inde, quum premeretur ab Adverſario, ad Simeonem fratrem ſuum germanum virum præpotentem confugiſſe. Quumque is metum incuſſiſſet in teſtes, & res eſſet ad Innocentium delata, præcepiſſe ipſum Innocentium per ſuas epiſtolas Archiepiſcopo Neapolitano, ut Alferium ab officio Pontificali ſuſpenderet, ut nos primo etiam libro attigimus. Epiſtola Innocentj extat, Ughello teſte, in Regiſtro Vaticano num. 149. anno Pontificatus ſui XVI., cujus exemplar, qui volet, legat apud ipſum Ughellum.

XIX. *PETRUS ARCHIEPISCOPUS SURRENTINUS ANNO DOMINI* 1230.

Not. Nihil omnino de hoc Petro ſupereſt, præter ipſum nomen; quandonam Archiepiſcopatum auſpicatus fuerit, non certe conſtat. Diptycha anno 1230. eum addicunt. Et profecto a veroſimilitudine non eſt alienum, Alferium uſque ad annum præter propter 1228. vitam produxiſſe,

xiſſe. Quod monimentis firmatur illud eſt, Sedem ſcilicet Surrentinam anno 1239. Arciepiſcopo ſuo viduatam extitiſſe. Eo enim anno ipſius curam gerebant quoad temporalia Federici II. Imperatoris Miniſtri, ut ex literis Imperatoris datis prope Mediolanum, quæ extant in Regio Regeſto Neapolitano, & laudantur ab Ughello, luculentiſſime patet. Quapropter, ſi circa annum 1230. Archiepiſcopatus Surrentini dignitate ornatus fuit Petrus, opus eſt, ut ante annum 1239. naturæ conceſſerit: & ex eo anno uſque ad annum 1252., quo alter Petrus inauguratus fuit Archiepiſcopus Surrentinus, vel Sedes Surrentina vacarit per id tanti temporis ſpatium, quod non ita facile nobis perſuadebimus, vel per ea tempora alius Archiepiſcopus Surrenti fuerit, cujus nomen ætatem non tulerit. An potius Alferius ultra annum 1230. vixit, poſt cujus obitum vacantem ſedem Federici II. Imperatoris Miniſtri turbulentiſſimis illis temporibus invaſerunt; ac deinde circa annum 1240. electus fuit hic Petrus, de quo agimus, atque Archiepiſcopalem Eccleſiam uſque ad annum 1251. circiter rexit, cui deinde Petrus alter ſucceſſit? In hanc nos ſententiam, donec quid certius detegatur, quippe quæ veroſimilior, lubenter inclinamus. Atque hoc modo nulla lacuna per ea tempora in Archiepiſcoporum ſerie relinquitur; cui rei non proſpexit, neque animadvertit Ughellus.

XX.

Digitized by Google

XX. *PETRUS TRANSLATUS AB EPISCOPATU CARINEN. ANNO* 1252.

Not.

Ughell. tom. 6. De epiſc. Carinul. num. 6.

V. tom. Concil. edit. Venet.

PEtrus hujus nominis ſecundus antea Epiſcopus Carinulenſis, ab Innocentio IV., ut tradit Ughellus ex Regeſto Vaticano, ad Archiepiſcopatum Surrentinum translatus fuit; ut enim colligitur ex epiſtola 119. Regeſti Vaticani fol. 136. hunc Petrum ipſe Innocentius anno 1252. 10. Kal. Aprilis Pontificatus ſui IX. commendat Capitulo Surrentino. Hunc illum Petrum eſſe autumat Ughellus, qui cum aliis decem Epiſcopis interfuit coronationi Manfredi Spurj in Regem Siciliæ ſub Alexandro IV., a quo ob id excommunicatus fuit, atque Archiepiſcopali honore privatus, de qua depoſitione verba facit Durandus. Eadem omnino ſententia deinde multati ipſimet fuerunt a Clemente IV., ut conſtat ex Bulla data Viterbj Pontificatus illius anno II.

Durand. p. 3. ſpecul. tit. de Accuſat. §. 2. verb. *Deponitur autem*.

V. Tom. Concil. edit. Venet.

Num autem Carinenſis, ut in ſerie Epiſcoporum legitur, ſcribendum ſit, an aliter, incertum eſt. Ughellus ubi de hoc Petro meminit, diſſerens de Archiepiſcopis Surrentinis Calinenſem Epiſcopum fuiſſe ſcribit. In Præfatione autem ad Epiſcopos Carinulenſes ait dici poſſe *Carinulenſis*, *Calinulenſis*, & *Calinenſis*, ſubditque Petrum Diaconum corrupto vocabulo *Calenenſem* dicere. Nos vero, quod reprehendit Ughellus, maxime proba-

Ughell. Ital. ſacr. tom. 6.

Idem ibidem.

probamus, & potius Calenenſem Eccleſiam dicendam eſſe ducimus ex Caleno urbe in agro Stellato apud Ciceronem, Livium, & propter vinorum præſtantiam præcipue ab Horatio, & Juvenale celebrata; minime confundenda cum proximis Calibus latine *Cales*, vulgo *Calvi*, ut Abraham Ortelius in Theatro addubitat. Quamvis non deſint, qui ædificatam velint hanc urbem, quæ modo *Carinola* vulgo audit, paulo ante ſalutis annum DCCCC. prope dirutum forum Appj Claudj non multum diſtans a Petrino exciſo Oppido a Sanazario multis carminibus celebrato, neque eſſe cum antiquo Caleno confundendam. Utut ſit, deſertum modo Calenum ob inſalubre Cœlum, & grave, quod ab uno ex ejus Epiſcopis, ut fama eſt, dira paſſo maledicta civitas fuerit.

Apud Cluer. In Ital. antiq. Horat. lib. 1. Carm. od. 20. Juvenal. Sat. 1. v. 69.

XXI. *LUDOVICUS DE ALEXANDRO NEAPOLITANUS ARCHIEPISCOPUS SURRENTINUS* 1266.

Ludovicum Alexandrum tradit Ughellus, fuiſſe Angeli filium, & apud unum Capacium reperiri Archiepiſcopali dignitate Surrentina ornatum fulſiſſe ſub Carolo I. anno 1266., atque ipſum Capacium ex Scipione Mazzella excripſiſſe; ceterum de Ludovico ſe ne unum quidem verbum offendiſſe in Regeſto Vaticano: niſi forte hic Ludovicus fuerit ille Archiepiſcopus Surrentinus, ad quem an. 1268. optimus Clemens IV. ſcripſit, ut

Not.

civitatem Averſanam ad cor redeuntem excommunicationis vinculo, quo erat irretita, abſolveret. Epiſtolam incipere perhibet: *Cur civitas &c.*, & datam Viterbj 18. Kal. Octobris anno IV. Pontificatus ipſius Clementis, atque eſſe epiſtolam 557. in Regeſto Vaticano. Hic fortaſſe datus fuit Archiepiſcopus Eccleſiæ Surrentinæ a Clemente IV. pro Petro, cujus depoſitionis ſententiam ab Alexandro IV. latam confirmarat.

Hic ſecundus eſt, cui in ſerie Archiepiſcoporum Surrentinorum additum cognomen contra priſcum Eccleſiæ morem, quo Epiſcopis olim familiæ nomen minime apponebatur, tamquam his, quibus, uti Abrahamo *exire de terra ſua, & de cognatione ſua*, præciperetur.

Familia vero de Alexandro nobiliſſima quidem eſt inter Neapolitanas, e qua maxime commendandus Juriſconſultus ille Alexander de Alexandro, qui eximium opus, quod inſcripſit *Dierum Genialium*, ſumma eruditione refertum concinnavit, atque Illuſtriſſimo Andreæ Aquavivæ Duci Adriæ nuncupavit.

V. Zazzeram, alioſque.

XXII. *JOHANNES MASTROGIODICE SURRENTINUS ANNO* 1279.

Not.

QUum eſſet Johannes Canonicus Surrentinus, a Capitulo illius Cathedralis Eccleſiæ electus fuit Archiepiſcopus, & confirmationem obtinuit a Nicolao III. anno Domini 1278.

10.

10. Kal. Julj anno Pontificatus illius I., ut notatum eſt in epiſtola 119. fol. 133. teſte Ughello. Mortem oppetiit anno 1284. Hic eſt hujuſce nominis ſecundus.

De nobiliſſima Surrentina Magiſtri Judicum, ſeu de Maſtrogiodice familia abunde, ac pro dignitate egit elegantiſſimus ſcriptor Italicus Scipio Ammiratus. Non eſt tamen prætereundum ex eadem hac gente fuiſſe Julium Epiſcopum Uvlturariæ, & Montis Corbini, ut heic admonet Ughellus, qui creatus fuit Epiſcopus die 21. Novembris 1526., exceſſit anno 1538., cujus meminit Capacius.

Scip. Ammirat. delle Famiglie Nobili Napoletane.

Ughell. loc. ſæpe laud. & tom. 9. de Epiſcop. Vulturarienſib. f. 556. 1. edit. Capac. Hiſt. Neapol. lib. 2.

XXIII. *MIRABELLVS TRANSLATVS AB EPISCOPATV SANCTI MARCI ANNO* 1286.

Not.

ERat hic Epiſcopus ſancti Marci, ſeu Argentanus in Brutiis (qui Epiſcopatus ſuffraganeus pridem Metropolis Conſentinæ, at modo exemtus) quum anno 1285. V. Kal. Martj Johanni defuncto datus fuit ſucceſſor ab Honorio IV. Pontificatus ſui anno I. rejectis iis electionibus, quibus Capitulum Surrentinum primum Bartholomæum de Sabriario Neapolitanum, & deinde in factiones abiens Arnoldum Trojæ Canonicum Archiepiſcopum deſtinaverat, quod habetur in Regeſto Vaticano epiſtola 320. fol. 87. Ughello teſte.

XXIV. *MARCUS* 1298.

Not. HUnc Marcum præterit Ughellus, vel potius a Mirabello minime diſtinguit. Credit enim illum appellatum Marcum Mirabellum, & refert uſque ad annum 1305. vixiſſe. Diptychon vero Surrentinum Marcum hunc alium prodit a Mirabello, ut habetur in Aula Archiepiſcopalis Palatj; quibus in monimentis Mirabellus uſque ad annum 1297., quo obiit, Eccleſiam Surrentinam adminiſtraſſe dicitur; anno 1298. creatus Archiepiſcopus Marcus, (ille quidem ab alia translatus Eccleſia, non hic) ad annum 1305. in vivis fuiſſe. Quei factum ſit, ut hunc Marcum vel tranſilierit, vel confuderit Ughellus, non ſatis aſſequimur, oſcitantia id feciſſe non audemus de tanto viro aſſerere. Hoc unum monemus ſolitum ipſum Ughellum, quando ex Regeſto Vaticano, vel aliunde nullum teſtimonium mutuari poteſt de aliquo Epiſcopo, quem Diptycha Surrentina invehunt, in ſua ſerie quidem collocare, ſed addere de illo Epiſcopo fidem tantum eſſe penes ipſa Diptycha Surrentina. At vero cur præter morem Marcum hunc in Albo Surrentinorum Epiſcoporum (cujus exemplar ipſi Ughello traditum fuerat) deſcriptum alto ſilentio prætereat, haud aſſequi potuimus.

XXV.

Digitized by Google

XXV. *FRANCISCUS* 1305.

FRanciſcus fortaſſe electus fuit a Capitulo Surrentino anno 1305. Ceterum, quod ſcimus, confirmationem ſuæ electionis obtinuit a Clemente V. anno Pontificatus I. Chriſti autem anno 1306. 3. kal. Martj. Hic decimas a Regia Camera petiit anno 1309., ut teſtatur Ughellus. *Not.*

XXVI. *RICCARDUS* 1313.

DE Riccardo nihil peculiare in poſteros, noſtramque memoriam manavit, niſi quod mortuus fuerit anno 1320., ut legere eſt apud Ughellum. *Not.*

XXVII. *FRATER MATTHÆUS DE CAPUA NEAPOLITANUS ORDINIS MINORUM ANNO* 1320.

HIc frater Ordinis Minorum Alumnus Roberto Neapolis Regi, & uxori ejus Sanciæ gratus in primis, acceptuſque animo fuit. Calabriæ Dux Carolus Roberti Regis primogenitus eodem confeſſionum adminiſtro utebatur. A Johanne XXI. in locum defuncti Riccardi Archiepiſcopus Surrentinus ſuffectus fuit V. Nonas Octobris, Johannis Pontificis anno V., Æræ Chriſtianæ 1320. Ejuſdem Matthæi mentio extat in *Not.*

Re-

Digitized by Google

Regeſto Neapolitano 1327., extremarum tabularum Mariæ Reginæ Caroli II. uxoris executor relictus anno 1326. ut & Caroli Ducis Calabriæ, qui obiit anno 1338., nec multo poſt vita idem Matthæus diſceſſit. Num a Capua præclariſſima civitate, an vero e nobiliſſima gente ſic dicta cognomentum ſumſerit, dubitat Ughellus. Æquivocationi locum fecit latini ſermonis corruptela, quo qui recte utuntur, præpoſitionem A abjicerent, ſcriberentque potius ad exprimendum gentilitium cognomen: Frater Matthæus Capua; quemadmodum dicitur *Genſenius Penula*, *Cornelius Merula &c.* Ad deſignandam nativitatis patriam *Capuanus* dicendus eſſet; quemadmodum *Cicero Arpinas*, *Terentius Apher*, *Ariſtoteles Stagyrites &c.*, nec præpoſitio uſurpatur, niſi ſuccedat expreſſe verbum, vel ſubintelligatur, ut quum Terentius dixit: *Ex Andro hæc ancilla*; de qua re abunde de more Deſpauterius.

Johan. Deſpaut. In Comment. Grámatic. lib. 8.

Nos circa enatam ob labefactatum ſermonem dubietatem, vel æquivocationem veroſimilius putamus Matthæum Archiepiſcopum Surrentinum a Capua cognominatum eſſe, quod ab ea gente illuſtribus virtute viris clara, & feudorum copia celeberrima natus fuerit; (præclariſſima ſane Capuæ familia ſummis merito laudibus exornata a Scipione Ammirato, aliiſque hujuſmodi rerum ſcriptoribus) proindeque in Aula Surrentina recte Neapolitanum dici.

Scip. Ammir. Nelle Famiglie Nobili Napoletane. Zazzera, Borell. aliique.

XXVIII.

XXVIII. *PETRVS ARCHIEPISCOPVS SVRRENTINVS ANNO* 1333.

HIc eſt hujus nominis tertius; de quo nihil aliud extat in Diptychis Surrentinis: additque Ughellus mortalitatem expleviſſe ſub Benedicto XII. anno 1341. quod non eſſet improbabile, neque Chronologiam læderet, ſi tantum Benedicti annos ſpectares, qui in ſummum Pontificem electus fuit XIII. Kal. Januarj 1334., rexitque Pontificatum annos 7. menſes 4., dies 6., itaque extremum diem clauſit menſe Aprilis anni 1342. At vero diſſidet a tempore ſequentis Archiepiſcopi Andreæ Serſalis, cui initium Epiſcopatus ſtatuitur anno 1340. Diſſidet etiam ab Epocha deceſſoris Antiſtitis Matthæi, de quo, ut diximus, monimenta vitæ extant uſque ad annum 1338. Quare ſeries Aulæ Archiepiſcopalis omnino corrigenda, & Petrus hic referendus ad initium anni 1339. *Not.*

XXIX. *ANDREAS SERSALE SVRRENTINVS EX CANONICO ELECTVS IN ARCHIEPISCOPVM ANNO* 1340.

SUrrentinus dicitur, ſcilicet Patritius ex nobiliſſima familia Serſalium; de qua plurima mentio apud Scriptores Neapolitanæ nobilitatis; Ipſa aſcripta eſt Curiæ Neapolitanæ *Nili* nuncupa- *Not.* V. præcipue Carol. Borell.

Ammirat. Diſcorſo della Nobiltà delle Famiglie all' Illmo Signore D. Marino Caracciolo Duca della Tripalda pag. 13. *I Serſali benche oggi non ſieno in molta fortuna, ſono io per molte congetture indotto a credere, che abbiano goduto intorno la venuta de Re ſotto libera Signoria il Principato di Capua.*

patæ. Scipio Ammiratus, etſi Robertum Capuanum Principem ex ampliſſima, nobiliſſimaque Maſtrojudicum gente ortum faciat: nihilominus e Serſalibus genus traxiſſe aliquando indicavit, ut in 2. parte.

Andreas vero hic e Canonico Surrentino in Præſulem evectus non anno ſalutis 1340., ut in Aula Surrentina ſcriptum, ſed inſequenti anno 1341. VII. vero Pontificatus Benedicti XII. 7. Idus Martj, ut ex Regeſto Vaticano refert Ughellus, qui uſque ad annum 1349. vitam protraxiſſe eum tradit.

XXX. *PETRUS* 1347.

Not.

PEtrus hujuſce nominis quartus ex Epiſcopatu Barutenſi ad Surrentinæ Eccleſiæ Cathedram tranſlatus fuit a Clemente VI. anno 1349. 9. Kal. Julj, ut liquet ex Regeſto Vaticano epiſtola 22. fol. 30. apud Ughellum. Corrigendus igitur annus 1347. qui primus dicitur Archiepiſcopatus Surrentini hujus Petri in laudato ſæpius Catalogo; cujus loco ponendus annus 1349. ut diximus.

Caſtigatio.

Porro huic inſcriptioni ſtatim ſubditur: *Quo tempore fuit peſtis, & fames univerſalis*. Quod additamentum rectius Petro III. copulatum fuiſſet, quando Europa, ejuſque amœniſſima pars Italia, naturæ ſane delicium, malorum colluvie urgeri præcipue, afflictarique cœpit ita, ut ærumnæ ærumnis, calamitates ingruentibus calamitatibus exciperen-

perentur : fame , labe , terræmotu , bello adeo vexata , ut terrarum orbis in occiduo eſſe videretur . Anno 1340. re frumentaria Florentia potiſſimum laboravit . Anno 1343. Venetum mare ita intumuit , ut urbis ædificia direptum ire minaretur . Tum horribili terræmotu vehementer concuſſæ ſolidiſſimæ ejus moles corruerunt , civeſque incredibili terrore confecit , prægnantibuſque mulieribus fere omnibus abortum intulit ; ad Italiam vero , præſertim Romam ſuppetias miſit Benedictus XII. ex Avenione , ubi degebat .

Gio: Tarcagnot. p. 2. lib. 15. &c. V. Oderic. Raynald. Continuat. Baron. Annal. Eccleſiaſt. tom. 16. ad annum 1340. Johann. Villan. lib. 11. cap. 113. Leon. Aret. Hiſt. Floren. lib. 6.

Anno 1348., qui fuit VII. Pontificatus Clementis VI. , ſæva illa lues per Orientem graſſata eſt , quæ Florentiam infecit , cujus virulentiam miræ eloquentiæ coloribus expreſſit Johannes Boccacius Italici ſermonis anteſignanus . De eadem Franciſcus Petrarcha , & Cartusj , aliique . Lubet heic referre verba ms. Codicis Vaticani , in Clementis VI. uberiorem narrationem: *Hujus tempore fames validæ fuerunt pene per totum univerſum . Item anno V. ſuæ coronationis mortalitas terribilis , & fortiſſima incepit per totum univerſum mundum , & duravit per tempora ita , & taliter , quod de centum perſonis tam marium , quam mulierum , & tam juvenum , quam ſenium vix ſupervixerunt in exitu dictæ mortalitatis , ſive epidemiæ decem perſonæ , & aliqua parte mundi pene quinque de centum* . Et Anonymus de geſtis Clementis VI. ultra annum ſæviiſſe refert hanc peſtem , & duos annos ſequentes .

Boccac. Decamerone Gior. 1.

Petrarc. in Epiſtol. familiar. l. 8. Cart. hiſt. l. 9. c. 14. Ms. Vatican. ſignatum n. 2040.

Illud tamen non omittendum animadvertere, quod anno ſcilicet 1349., quo Petrus hujus nominis IV. ad Archiepiſcopatum Surrentinum traductus, peſtilentiſſimi illius morbi vis, ac furor ita elanguerat, deferbueratque, ut videretur prorſus extinctus. Anno etiam currente 1347., qui perperam, ut diximus, inaugurationi noſtri hujus Petri Surrentini aſcribitur, menſe Junj, regnante Clemente VI. famigeratus ille Nicolaus cognominatus *De Renzo* multum Romanas res turbavit. Facta enim populi præſidio ſeceſſione Capitolium invaſit, Senatuſque antiquam poteſtatem ſibi aſcivit, plurimam exinde gloriam conſecutus etiam apud exteros Principes viros, a quibus legatos accepit, celebratuſque eſt a celebratiſſimo Franciſco Petrarcha nobili Italico carmine. Verum Cometæ inſtar e proprio egreſſi vortice cito deletus.

Petrarcha nella Canzona: *Spirto gentil, che quelle membra reggi*.

XXXI. *GVLIELMVS* 1366.

Not.

PEtrus hujuſce Guilielmi deceſſor uſque ad annum 1360. vitam protraxiſſe creditur apud Ughellum, quo anno Guilielmus Archiepiſcopus Surrentinus renuntiatus dicitur. Sed Petri adhuc viventis mentio facta reperitur anno 1366. in Regio Regeſto. Unde merito hunc Guilielmum, ſive Guglielmum anno 1366. auſpicatum eſſe Archiepiſcopatum, in Aula Surrentina notatur.

XXXII. *FRANCISCVS* 1390.

FRanciſcum hoc anno 1390. quem primum ſui Archipræſulatus fuiſſe, ſeries ab Archiepiſcopo *Petio* compacta videtur innuere, mortem potius obiiſſe ſtatuit Ughellus, qui anno 1378., Archiepiſcopatu Surrentino eum auctum tradit, quouſque vitam fortaſſe protraxerat deceſſor Guilielmus. *Not.*

XXXIII. *ROBERTVS BRANCIA SVRRENTINVS* 1390.

BRancia familia ex Atavis Amalphitanis nituit præcipue tempore Ladislai Regis Neapolitani circa annum 1400., de qua plura Capacius; qui tamen fallitur, dum ſcribit Robertum Antiſtitem Surrentinum ad Eccleſiam Amalphitanam translatum fuiſſe anno 1470. Hic enim Robertus, quum eſſet Canonicus Amalphitanus propter morum probitatem regendam Eccleſiam Surrentinam accepit a Bonifacio IX. anno 1390. 10. Kal. Aprilis, quam optime adminiſtravit annis fere viginti. Inde ab Amalphitanis expetitus ad illam Cathedram translatus fuit anno 1410. ubi tandem vitam clauſit 1423. Hujus rei extat Surrenti monimentum in Sacello Eccleſiæ Metropolitanæ hujuſmodi:

Not.

Capac. Hiſt. Neap. lib.2. c.12. tit. *Illuſtres viri*. pag.522.

Quem non evehit ad æthera virtus?

En Robertus Brancia, quum Surrentinæ Diœceſis Antiſtes præeſſet, Amalphiæ Clerus Summum Pontificem exoravit, ut ſibi eum in præſidem conceſſiſſet; nam ejus virtus, gloria, & vitæ probitas multum efflorebat. Huic vero maximus Paſtor acquievit. Sacellum hoc in ingreſſu chori etiam ab eo extructi erexit. Inde a Reverendiſſimo Julio Paveſio Archiepiſcopo Surrentino majoris Eccleſiæ decoris cauſſa fuit evulſum. Heic modo ab hæredibus ex eadem familia iterum unanimiter erectum.

XXXIV. *ANGELVS* 1410. *TRANSLATVS AD ARCHIEPISCOPATVM SANCTÆ SEVERINÆ ANNO* 1413.

Not. QUum Diœceſim Surrentinam tres annos rexiſſet Angelus, demum ad Archiepiſcopatum ſanctæ Severinæ translatus fuit anno 1413. 8. Kal. Junj. Syberina olim urbs extitit in Calabria inter Neæthum fluvium, & Sybarim, qua deinde deleta, conſtructa fuit S. Severina, Siberena, ſive Siberina aliquibus dicta.

XXXV. *BARTHOLOMÆVS DE MISERATA* 1413.

Not. HIc Bartholomæus initiatus fuit Archiepiſcopus XII. kal. Januarj anni 1413. Papatum tenente Johanne XXIII., pridem Balthaſſar Coſſa nuncupato nobili Neapolitano, qui ad Petri Cathedram

Platina. Ciacconius &c.

thedram evectus fuit anno 1410., turbante adhuc Chriſti Eccleſiam infeſtiſſimo ſchiſmate trium Pontificum, quorum uniuſcujuſque fideles triplici ſententia inter ſe diviſi, ſequelam, & obedientiam ſectabantur, rati probabili judicio legitimum electum eſſe Pontificem eum, cui parebant.

Balthaſſar hic Coſſa Bononiæ Cardinalis Legatus, quod ſecularibus moribus inſtitutus eſſet, minus idoneus ad Eccleſiam adminiſtrandam a pleriſque credebatur. Et ſane in celeberrima generali Synodo Conſtantienſi pro unione Eccleſiæ præcipue coacta ad dimittendum Papatum damnatus fuit anno 1415., at tanta tandem animi ſerenitate, humilitate, ac longanimitate ſententiam ſuſcepit, ut effuſiſſimis vere pœnitentis laudibus ad Cœlum uſque extollatur ab ipſo, licet refractario, Ludovico Maimburgo.

Gobalin. in 4. 6. cap. 90.

V. Acta Synodi Conſtantien.

Cave tamen ab iis, quæ citat hæreticus Lenfante in Hiſt. Concil. Conſtant.

Maimburg. Hiſtoire du grand Schiſme d'Occident. livre 5. ann. 1415.

Nullam in ea Conſtantienſi Synodo Bartholomæi ſubſcriptio, cui fortaſſe legitimo impedimento diſtentus non interfuit.

XXXVI. *BERNARDUS CARACCIOLUS GERMANUS SERGIANNI MAGNI SINISCALCHI NEAPOLITANI ANNO* 1425.

Not.

Eccleſiæ Surrentinæ clavo admotum hunc Bernardum a Martino V. anno 1423. habetur ex hiſtoria nobiliſſimæ familiæ Caracciolæ. Sed ipſius, quantum perquiſivit Ughellus, eidem nullam

lam mentionem neque in Actis Conſiſtorialibus ; neque in libris obligationum , ac proviſionum Prælatorum ſub Martino V. congeſtis datum fuit offendere . Quantum autem inter Magiſtratus Neapolitani Regni Sergiannus germanus frater Bernardi Archiepiſcopi valuerit auctoritate , quantumque regnante Johanna II. ceteris omnibus , præcelluerit, abunde ex omnibus Neapolitanis Hiſtoricis liquet . Siniſcalchi Gallica vox , Latinis exotica , ſeu barbara unum e ſeptem præcipuis Regni Neapolitani officiis ſignificat, quod aliis *Magnus Dapifer* dicitur . Reſpondere videtur Magiſtro officiorum Domus Auguſtæ, de quo in Codice Theodoſiano , & apud plures Gallicos . Poſtea carceribus mancipatus ab Alphonſo Aragonio ejuſdem Reginæ adoptivo, ut ea rerum varietate conſuetum ſpectaculum ludentis fortunæ præberet .

Tit. de Quæſtorib. , & Magiſtr. officior.

V. Guther. de Offic. Dom. Auguſt. lib. 2. c. 20.

Maimburg. Hiſtoire du grand Schiſme d'Occident. livre 6. ann. 1419.

Bernardo Archiepiſcopo Surrentino coacta fuit generalis Synodus Florentina pro unione Latinæ cum Græca Eccleſia, in qua ſubſcripſiſſe Bernardus non legitur, fortaſſe quod juſte , legitimeque impeditus intereſſe non potuit ; vel quod, expleta ſeſſione XXV. , ſtatim diſceſſerit, ut notatur in calce ejuſdem ſeſſionis his verbis : *Nemo autem mirari debet, quum plures Patrum ſubſcriptiones non ſint* ; *nam , ultima ſeſſione celebrata , multi priuſquam hujuſmodi ſubſcriptio fieret , diſceſſerunt* .

In Collect. Roman. pag. 586.

Inſerit heic Ughellus alium Archiepiſcopum Bartholomæum nomine , ſed qua neceſſitate, vel

qua

qua conjectura adductus id faciat, ignoramus. Verum quum addat hunc potuiſſe eumdem prorſus eſſe cum ſuperiori Bernardo, ſuſpicamur Ughellum in actis Conſiſtorialibus Eugenj IV., ubi Antonius Bernardo ſucceſſiſſe ſcribitur, reperiſſe loco Bernardi tantum litera B., qua motus Bartholomæum addendi licentiam ſibi fecit. At qui deceſſor Antonj dicitur in illis Actis Conſiſtorialibus, idem fuit noſtro judicio, ac Bernardus, qui potuit uſque ad annum 1440. vitam vivere.

XXXVII. *ANTONIVS TRANSLATVS AB EPISCOPATV SANCTÆ AGATHÆ* 1440.

DUm ſanctæ Agathæ audis, ne credas ab hunc *Artemiſio* pridem dicto oppido OEnotriæ in Calabria vulgo *ſanta Agata*: ſed ex Fano ſanctæ Agathæ Gothorum parva urbe ſub Metropoli Beneventana, vulgo *ſant' Agata de' Goti*, ad Archiepiſcopatum Surrentinum traductum fuiſſe 3. Idus Aprilis 1440., inde Auriacenſis evaſit Epiſcopus per obitum Bertrandi 1442., ut acta referunt Conſiſtorialia. *Not.*

XXXVIII.

Digitized by Google

XXXVIII. *DEMETRIVS EX ARCHIDIACONO SVRRENTINO* 1442.

Not. HUnc e Falangola gente Surrentina ſane nobiliſſima, quæ adhuc extat in plures diviſa familias, majorum ſplendore, ac vetuſtate præſtantiſſima, fuiſſe electum tradit Ughellus 16. kal. Novembris. Sed vix tres annos videtur in Epiſcopatu vixiſſe.

XXXIX. *MATTHÆVS BRANCIA SVRRENTINVS* 1445.

Not. PRæclariſſima eſt Branciorum familia, de qua plura Capacius, ut ſuperius diximus. Matthæum hunc una cum Roberto fratre Archiepiſcopo Amalphitano anno 1453. arbitros fuiſſe conſtitutos in diviſione bonorum, quæ Robertus Archiepiſcopus Galeatio, & ſororis ejus nepotibus donavit. In monimentis autem Eccleſiæ Surrentinæ Matthæi extat mentio anno 1445., qui primus ſui Archiepiſcopatus creditur.

XL. *DOMITIVS FALANGOLA SVRRENTINVS* 1449.

Not. HIc a Regibus Neapolitanis perennis aquæ facultatem deducendæ in atrium Surrentinæ Archiepiſcopalis Eccleſiæ impetravit, quæ ibi adhuc

Digitized by Google

huc effluit commodo ipſius Eccleſiæ, & Archiepiſcopalis Palatj.

Primus Archiepiſcopatus Domitj annus fuiſſe dicitur 1449. in ſerie ab Archiepiſcopo *de Petio* adornata, quam obſervandam, caſtigandamque ſuſcepimus. At ex iis, quæ diximus in deceſſore Matthæo, liquet Eccleſiam Surrentinam regendam accepiſſe Domitium poſt annum 1453. Obiit anno 1470., ut ſcriptum eſt in Epitaphio, quod in Metropolitana Eccleſia Surrentina ſervatur hujuſmodi:

Heic jacet corpus Reverendiſs. in Chriſto Patris, & Domini Domicii Archiepiſcopi Surrentini filii quondam Domini Franciſci Falangolæ de Surrento militis, qui obiit anno 1470. *die VIII. menſis Januarj II. Indictionis.*

Miles dicitur Franciſcus Falangola, hoc eſt, ex eo nobilium genere ortus, quod, ut præcipuum, Carolus I. Andicavenſis Rex Neapolis honoris gratia militari cingulo decoravit. Ex actis, quæ extant ſucceſſoris Domitj, liquet eum ineunte anno 1470. extremum diem clauſiſſe, ut mox patebit.

V. Camill. Tutin. Dell'Origine, e fondazione de' Seggi di Napoli cap. 12.

XLI. *SCIPIO CICINELLUS NEAPOLITANUS* 1470.

Not.

CIcinellorum familia Neapoli nobiliſſima quidem eſt, & Curiæ, ſive Sedili, ut dicunt vulgo, *Montagna* aſcripta, de qua lege Mazzellam, alioſque Neapolitanæ Nobilitatis ſcriptores.

Scipio ſummo ſtudio concupitus fuit Archiepiſcopus Surrentinus a Capitulo ejuſdem Eccleſiæ, legitime congregato in Choro ipſius Cathedralis in gratiam Ferdinandi Regis Siciliæ die 12. Januarj anni 1470. 3. Indictione, ipſius Ferdinandi anno 12., eodem prorſus die, quo idem Capitulum tres ſimul Vicarios Capitulares elegit ad adminiſtrandam Surrentinam Eccleſiam, ſede vacante; ac deinde impetratus fuit a Summo Pontifice Paulo II., & demum conſecratus eſt Surrenti in Eccleſia ſanctorum Renati, & Valerj die prima Aprilis ab Epiſcopo Stabienſe ſuffraganeo, aſſiſtentibus tribus aliis Epiſcopis Æquenſi ſcilicet, ac Lubrenſi pariter ſuffraganeis, & Epiſcopo Acerrano. Documenta tam hujuſce *implorationis*, quam conſecrationis typis edidit *Ughellus*; in quibus tamen non Scipio nuncupatur, ſed Sipius.

XLII. *JACOBUS* 1478.

Not. IN Archiepiſcoporum Catalogo Aulæ Surrentinæ affixo Jacobi Cognomen, quod fuit *De Sanctis*, præter morem reticetur, ſupplendum ex Ughello, & ex Surrentinis documentis. Inaugurationis tempus non recte annotatum; ſiquidem an. 1476. jam auſpicatus erat Archiepiſcopatum, quando Sibiliam Molignanam adminiſtratricem, vel *Abbatiſſam*, ut dicunt, ſanctimonialium mulierum in Cœnobio Benedictini ordinis S. Jo: *Oris Aurei* pridem dicto, modo

modo *S.Pauli* canonica electione Vannellæ Molignanæ ſuffectam, ex nobiliſſimo genere natam, confirmavit, conſecravit, & benedixit, ut docet diploma ab eodem Archiepiſcopo datum Surrenti die 20. menſis Maj 1476. 9. Indict. Pontificatus Siſti IV. anno V., in quo ſe *Jacobum de Sanctis* appellat. Hunc exceſſiſſe e vivis putat Ughellus anno 1479. Uſque ad annum 1478. vitam protraxiſſe certum quidem habemus. In Epiſtylio enim januæ minoris, quæ ad Caurum ſpectat, tria extant ſculta gentilitia ſtemmata, quæ ad dexteram ſita, Regis Aragoniæ ſunt, quæ media, Sixti IV., quæ autem ad ſiniſtram, ſunt Jacobi de Sanctis Archiepiſcopi Surrentini, hac addita Inſcriptione:

HOC OPUS FIERI FECIT
DOMINUS JACOBUS
ARCHIEPISCOPUS SURRENTINUS
SUB ANNO DOMINI 1479.
DIE III.
MENSIS AUGUSTI
UNDECIMÆ INDICTIONIS.

Itaque circa hunc Jacobum & Seriei, & Ughelli lapſus emendandus: in illa, quod non recte annum exhibeat; in hoc, quod de præteritione immerito queratur.

Digitized by Google

XLIII. *NARDVS MORMILE NEAPOLITANVS ANNO* 1480.

Not.

Marcheſ. & in hunc Borrell. in Vindic. Neapol. Nobilit.

Mazzell. Deſcrizione del Regno di Napoli, ove tratta delle famiglie nobili di Porta Nova.

Zazzar. Della Nobiltà d'Italia ſotto la Coſtanza, e Frangipani.

MOrmilium familia celeberrima, addicta Patriciorum Curiæ, ſive Sedili *Portæ Novæ*. De ea abunde Neapolitanæ Nobilitatis hiſtorici agunt, præſertim Ælius Marcheſius, Carolus Borrellus, Mazzella, qui eam natam Neapoli tradit, nullique ex antiquiſſimis poſtponendam. Hic natus Patre Jacobatio, & juris prudentiæ laurea donatus, die 12. Maj anni 1480. renuntiatus fuit Archiepiſcopus Surrentinus a Sixto IV. ex humili gente, & humillima ſancti Franciſci familia ad ſummum Pontificatum præ egregiis animi dotibus, ſcientiis, moralibus, diviniſque virtutibus evecto. Licet ejuſdem vitam in Papatu monſtroſam aliqui ſcriptores faciant; quod eximia geſta cum minus probandis operibus copularit. Contra vero Nardus Mormilis claro fatus ſanguine anguſtæ Eccleſiæ præficitur. Nihil enim omni ævo Eccleſiaſtica diſciplina antiquius habuit, quam ingenuas virtutes, vitæque integritatem ſanguinis nobilitati, ceteriſque omnibus anteponere; Surrentinam ſedem tenuit annos 13. obiitque anno 1493. Habuit fratres Aloyſium, & Bernardinum, & alterum Aloyſium; quod colligitur ex hiſce inſcriptionibus, quæ extant Neapoli in Eccleſia ſanctæ Mariæ in Coſmedin inſcultæ ſepulcro, quod eſt ibi in Sacello Mormilium familiæ, hujuſmodi:

JA-

JACOBATIO MORIMINO,
QUI VIXIT LXXIII.,
ET LOYSIO EJUS FILIO JUVENI
QUAM IMMATURE PRÆREPTO
BERNARDINUS PATRI,
ET FRATRI DULCISSIMO
ANNO DOMINI
MCCCCLXXXVIII.

BERNARDINO JACOBI
FILIO MORIMINO,
QUI HETRUSCO
HYDRUNTINOQUE BELLO
ALPHONSI
DUCIS CALABRIÆ DUCTU,
OB SPECTATAM VIRTVTEM
PRÆTORIANIS
EQVITIBVS PRÆFVIT.
MOX PATRI SOCIVS
IN LVCANIAM
AD EXSTRVENDAS OPPIDORVM
ARCES MISSVS,
DVM CVRA INTERIORI
FATIGAT ANIMVM,
PROPE METAPONTVM LANGVORE
CORREPTVS INTERIIT.
NARDUS ARCHIEP. SURRENTINUS
FRATRI B. M. RELATIS
IN PATRIAM OSSIBVS
P. ANNO SALVTIS
MDCCCCXCII.

Hu-

Digitized by Google

Hujuſce Nardi mentio eſt apud ſæpe laudatum Capacium, ſed mendum eſt in annis, quos illius vitæ tribuit. At id familiare nimis huic auctori, quem magnopere miramur diligentiſſimum appellari a Patre Nicolao Giannettaſio in Hiſtoria Neapolitana.

Ex inſcriptionibus vero patet potius ſcribendum Nardum Moriminium, vel Moriminum, quam Mormile.

XLIV. *MENELAVS DE GENNARO NEAPOLITANVS* 1493.

Not. POſt Nardum ſuffectus Menelaus de Januariis Neapolitanus Maſſotto, & *Johannella* de Alexandro nobilibus parentibus ortus; de Gennaria gente Neapoli præclariſſima, & longa ſeculorum ſerie commendata Curiæ, ſive mavis, ſedili *Portus* addicta multa apud ſcriptores, præſertim Scipionem Mazzellam, qui antiquas tres illius inſcriptiones profert. Hic ab Epiſcopatu Acernenſi, ad quem electus fuerat Idibus Februarj anni 1487., ad Surrentinam Eccleſiam tranſlatus fuit poſt obitum Nardi die 3. Auguſti 1493. ab Alexandro VI., quem, ut Eccleſiam Catholicam meritis quidem ſuppliciis afficeret, Spiritum Sanctum OEcumenicum Paſtorem dediſſe ajunt. Non enim pro dignitate ſe geſſiſſe videtur; atque ex ejus filio Duce Valentino ille Florentiæ a ſecretis iniquiſſimus, perditiſſimuſque homo deterrimam

Mazzell. loc. cit. del Seggio di Porto.

rimam ſcribendi materiam hauſit, qui genio ſuo indulgens ex ipſo Valentino crudelitatis, fideique turpiter frangendæ flagitioſiſſima Tyrannis exempla ſubminiſtravit. Alexander Valentiæ natus, paterno cognomine abjecto, illud Borgiæ ſibi aſcivit a matre, quæ Calliſti III. egregj Pontificis ſoror fuit.

V. Sermones in Livium, & Tract. de Principe, adverſus quem quum plures ſcripſiſſent, ſuperſunt etiam noſtræ lectiones Academicæ typis edendæ.

Etſi improbanda viſa ſit hujuſce Summi Sacerdotis vita; nemo tamen egregias ejus naturæ dotes potuerit inficiari. Præditus enim erat perſpicacitate ſingulari, ſumma in agendis negotiis dexteritate, tali memoriæ præſtantia, qualem in Themiſtocle tantopere laudat Tullius, impigerrima in rebus adeundis ſolertia, effuſo, mellifluoque eloquio, & admirabili comitate, qua omnium ſibi animos devinciebat. Fuit in vitæ conſuetudine ſuaviſſimus, ſobrius, ac temperans, ſomni, ac requiei parciſſimus, atque animi magnitudine, liberalitateque in primis ornatus. Complures creavit Eccleſiarum Præſules, ex quibus unus noſter Menelaus, qui deinde exceſſit anno 1499. Jacet ejus corpus Neapoli in Eccleſia ſancti Petri Martyris in majorum ſuorum ſepulcro, & ſacello, nulla appoſita inſcriptione.

V. Hiſtoire des Papes a Lyon. 1705.

XLV. *ALOYSIVS MORMILE GERMANVS QVONDAM NARDI* 1499.

ALoyſius ab eodem Alexandro VI. ad Archiepiſcopatum Surrentinum evectus anno 1499., vix biennio Eccleſiam Surrentinam tenuit, mor-

Not.

Google

mortemque obiit anno 1501. De eo Afflictus celebris Juriſconſultus Neapolitanus in Deciſionibus.

XLVI. *FRANCISCVS S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS REMOLINVS HISPANVS PROREX NEAPOLITANVS ANNO* 1501.

Not.

FRanciſcus de Eluenſe Remolinus Hiſpanus matre Carcaſſonenſi, fuit antea matrimonj vinculo adſtrictus, ſed ſuſcepta ab uxore religione, factaque moniali Eccleſiaſticis rebus operam dedit; unde quum jam Piſis jus utrumque didiciſſet, Archipreſbyter Caccabenſis, & Cantor Mazarienſis, ac Rotæ Ilardenſis auditor electus fuit. Regis Aragonum etiam orator ad Alexandrum VI. P. M. miſſus eſt. Romæ Cæſari Borgiæ Duci Valentino adhæſit, eique carus extitit, & ipſi Alexandro Summo Pontifici, a quo Florentiam miſſus fuit, ut Hieronymum Savonarolam inſignem id temporis concionatorem (de quo vide Petrum Delphinum) a clericali militia amoveret. Ab eodem Pontifice Urbis Præfectus renuntiatus, & poſtmodum Surrentinus Archiepiſcopus die 3. Maj anni 1501., in qua Eccleſia ſuffraganeum habuit quemdam Johannem de Falcone, ac deinde in illa undecim Cardinalium creatione, quæ nona fuit ex iis, quas fecit Alexander VI., in Purpuratorum Senatum aſcitus die 30., vel 31. Maj, vel ex Alphonſo Ciacconio die 30. Junj anni 1503. Pontifica-

Petr. Delph. epiſt. 19. & epiſt. 33. lib. 5. ad Petrum Baronium Epiſcopum Patavinum.

tificatus ipſius Alexandri anno XI. Titulo SS. Johannis, & Pauli, alias Pammachj, tum S. Marcelli, ſua adhuc vivente uxore monaſterium ingreſſa, ipſo conſentiente, & auctoritate Epiſcopi. Eccleſiam vero Surrentinam poſt undecim annos, ex quo illam obtinuerat, ceſſit Gisberto nepoti, aſſentiente Julio II. Summo Pontifice anno 1512. Unde in ſexta Seſſione Concilj Lateranenſis, quæ prima fuit ſub Leone X., anno ejus primo, Chriſti vero 1513., die Mercurj 27. Aprilis ſubſcriptus reperitur noſter Remolinus ſecundo loco inter Presbyteros Cardinales titulo tantum ſui Cardinalatus hoc modo: *R.emus D. Franciſcus tituli SS. Johannis, & Pauli*; licet deinde, quia titulus Eccleſiæ Surrentinæ illi remanſerat, in aliis Seſſionibus ejuſdem Concilj, ut Seſſione ſeptima habita anno 1513. die Veneris 17. Junj, Leonis Papæ anno I., & Seſſione octava anno 1513. die Lunæ 14. Decembris, & Seſſione nona 1514. die Veneris 5. Maj Leonis X. anno II., & Seſſione decima anno 1515. die Veneris 4. Maj Leonis anno III., & Seſſione undecima anno 1516. die 19. Decembris Leonis anno IV. ſubſcriptus legatur etiam titulo Eccleſiæ Surrentinæ ita: *R.emus D. Franciſcus tituli SS. Johannis, & Pauli Surrentin.* Epiſcopatu Albanenſi etiam auctus fuit a Leone X. anno 1517. menſe Martio. Et revera in Seſſione duodecima Concilj Lateranenſis an. 1517. die 16. Martj Leonis X. anno IX. ſubſcriptus eſt inter Epiſcopos Cardinales ſic: *Reverendiſſimus*

Rrr *D. Fran-*

Digitized by Google

D. Franciſcus Albanen. Peruſina etiam Eccleſia poſt Troili Ballionj abdicationem ei commendata fuit, ut etiam Firmana, & Ilardenſis, ac demum Panormitanus Archiepiſcopus electus, quo tempore quum Raymundus Cardona Prorex Regni Neapolitani in Galliam Ciſalpinam profectus fuiſſet, a Ferdinando Rege Franciſcus in illius munere Succeſſor conſtituitur; quare & hujus imago inter ceteras Icones Proregum Neapolitanorum in una ex Aulis Regalis Palatj juxta ſeriem locata eſt. Hinc Johannem Sanches Abbatem Porci Procuratorem ſuum conſtituit ad ineundam Eccleſiæ Panormitanæ poſſeſſionem, ac jure jurando ſpondendam fidem privilegiis Panormitanæ Eccleſiæ. Idem Panormi Cœnobium Monialium ſub ſanctæ Claræ diſciplina in antiquis Archiepiſcopalibus Ædibus erexit. Eo Archiepiſcopo in illa urbe ſacrum Fidei Quæſtorum Tribunal ad peſtem hæreſis arcendam, eliminandamque ſtatutum fuit. Is interfuit Comitiis Pontificiis, quibus creati fuerunt Papæ Pius III., Julius II., & Leo X. Sub Julio II., ut hujus iram declinaret, Neapolim divertit. A Leone X. judex conſtitutus fuit cum duobus aliis Cardinalibus in cauſſa quorumdam, qui vitæ Pontificis inſidias moliti eſſe dicebantur. Poſtremo anno 1518. ætatis ſuæ 56., ſive 55. menſ. 4., & dieb. 3. die Veneris 5. Februarj Romæ deceſſit, ſepultuſque eſt in Baſilica Liberiana, cujus Archipresbyterum eum facit Cabrera, ut etiam Rochus Pirrus.

Cabrer. in Leon. X. Vit.
Pirr. tom. 1. Sicil. Sacr. lib. 1.

rus. Verum Paulus de Angelis *in Deſcriptione, & Delineatione Baſilicæ ſanctæ Mariæ Majoris*, lib. 3. cap. 3. ubi de Cardinalibus ſanctæ Mariæ Majoris Archipresbyteris agit, ne verbum quidem de hoc Franciſco Cardinali Remolino; ſed, quod magis mirum eſt, ibidem libro 9. cap. 2. ubi de illuſtribus hominibus, qui in Liberiana Baſilica requieſcunt, quamvis plures Cardinales recenſeat: tamen nihil prorſus de Cardinali Remolino, quod contra omnes eſt, qui concordi voto in Baſilica Liberiana tumulatum eum tradunt. Forſitan Remolinus noſter ne de nomine quidem Paulo de Angelis notus. De hoc Remolino mentionem faciunt Hieronymus Garimbertus, Rochus Pirrus, Cabrera, Andreas Victorellus, Ughellus, Panvinius, Ciacconius, Capacius, Summontius, aliique. Non eſt heic prætermittendum, quod tradunt Ciacconius, & Ughellus, quod ſcilicet quum poſt multos annos reſeratum fuiſſet ſepulcrum Cardinalis Remolini, neſcimus qua occaſione, repertus ſit brachium capiti ſuppoſuiſſe, ex quo factus ſuſpicioni locus, deliquium animi tantum paſſum, non vero penitus mortuum fuiſſe ſepulturæ illatum. Hujuſce Franciſci hæc in Baſilica Surrentina extat memoria:

Garimbert. Nelle vite, e fatti de' Sommi Pontefici, e Cardinali lib. 1. pag. 408.

Roch. Pirr. loc. cit.

Cabrer. loc. cit.

Andr. Victorell. in Addit. ad Ciaccon.

Ughell. tom. 6. ubi de Archiep. Surrent., & tom. 1. ubi de Epiſcop. Albanen.

FRANCISCUS REMOLINUS
HISPANUS ÆDEM
SUB TITVLO SANCTORVM
PHILIPPI, ET JACOBI MINORIS
DICATAM AMPLIFICAVIT.

Egregia vero contignatione ampliatam Ædem operuit ſelectiſſimis tignis, & orthoſtatis undique perquiſitis, ingentibuſque trabibus, & laquearibus ſummo pretio comparatis. Multa præterea argentea ſupellectili Eccleſiam Cathedralem ditavit, quam in Turcarum direptione ſolers Ædituus in veterem ſepulturam abſcondit; ſed hic cum aliis Eccleſiaſticis in captivitatem ductus, data ad eos Eccleſiaſticos, qui hoſtium furorem evaſerant, epiſtola, rem omnem indicavit; qui factum omne argentum ad eos, qui in ſervitutem traducti fuerant, redimendos vendiderunt, ſolo Paſtorali Scipione relicto affabre nimis conſtructo, qui adhuc Surrenti extat.

XLVII. *GIBERTUS REMOLINUS RESIGNATA SIBI ECCLESIA A CARDINALE SUO GERMANO TRANSLATO AD ECCLESIAM PANORMITANAM* 1512.

Not. GIbertus, ſive Gisbertus non fuit Franciſci deceſſoris germanus, ſed potius ex fratre nepos; & a Julio II. dictus fuit Surrentinus Archiepiſcopus die 22. Octobris anni 1512. ex ceſſione patrui.

Capacius more conſueto rerum ordinem pervertens Gisbertum Cardinalem facit, & ita Synodo Lateranenſi V. ſubſcribentem, & alia, quæ Franciſci patrui fuerunt, huic Gisberto illius nepoti tribuit.

Gisbertus

Giſbertus Concilio Lateranenſi V. interfuit, ac ſuffragium tulit, ſubſcripſitque Seſſioni VI. quæ prima fuit ſub Leone X. habita anno 1513. die Mercurj 27. Aprilis Pontificatus Leonis anno 1. Atque eodem anno die 3. Junj unus inter alios Prælatos deſtinatus fuit, qui intereſſe deberet Congregationibus particularibus pro rebus pacis univerſalis componendæ inter Principes Chriſtianos, & pro extirpatione Schiſmatis; & Seſſioni IX. anno 1514. die Veneris 5. Maj Leonis X. anno II., & Seſſioni X. anno 1515. die Veneris 4. Maj Leonis X. anno III. in quibus inter Archiepiſcopos ita reperitur: *Reverendiſſimus Pater D. Giſbertus Surrentinus*.

XLVIII. *FRATER PHILIPPUS STROZZA FLORENTINUS ORDINIS PRÆDICATORUM* 1525.

PHilippus ex præclariſſima, ac nobiliſſima familia de Strozzis in lucem editus anno 1478. parentibus Laurentio, & Camilla Saſſetta Ordinem, ac Regulam ſancti Dominici profeſſus eſt ſub celebri illo Concionatore, de quo nuper meminimus obiter, Hieronymo Savonarola anno 1494. in Cœnobio Divi Marci. In eadem ſancti Dominici familia quinque germanos fratres ſocios habuit, ex quibus Thomas ſui totius Ordinis Procurator Generalis fuit. Ipſe vero Philippus, quum *Not.*

quum Vicarium Generalem ageret, a Clemente VII. ob vitæ integritatem, morumque commendationem ad Archiepiſcopatum Surrentinum electus fuit anno 1525. die 18. Auguſti. Quum Romæ immoraretur in illa Borboniana urbis depopulatione ter captus ſemel, & iterum ab avaris militibus ſua ſe pecunia redemit, tertio a Pompejo Columna liber factus eſt. Tædio humanarum viciſſitudinum victus, ut ſibi uni impenſius vacaret, Surrentina Eccleſia ſponte ſeſe abdicavit die 20. Junj 1530. Plures deinde annos vixit Romæ animi ſui tranquillitate contentus, ubi 30. Julj 1545. vitam cum morte commutavit; atque in Eccleſia ſanctæ Mariæ ſupra Minervam humatus fuit in ſepulcro, quod jam ſibi, ſuiſque extruxerat, ubi legitur:

PHIL. STROZ. ARCHIEP. SURRENT.
FIERI, AC SUIS P. MDXLI.

De Strozziorum vero genere, & ſplendore ſupervacaneum eſt quidquam attingere, quum de eo uberrime apud omnes Italos Hiſtoricos, & Nobilitatis ſcriptores; ſatis ſit commemoraſſe Laurentium S. R. E. Cardinalem, Petrum præclariſſimum Gallici exercitus Ducem, ac Leonem maritimæ claſſis Gallicæ Prætorem, de quibus præter hiſtoricos glorioſa mentio eſt apud Landinum.

Chriſt. Landin. Nella Eſpoſizione di Dante, nel Proenio, o Apologia di Dante, e de'Fiorentini. Tit. *Eccleſiaſtici, e Valenti nella Milizia.*

XLIX.

XLIX. *FLORENTINUS COQUEREL* 1530.

FLorentium hunc vocat Ughellus, qui natione Belga ex Decanatu Eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Lanto Atrebatenſis Diœceſis, Carolo V. Imperatore inſtante, aſſumtus fuit ad Surrentinam Eccleſiam a Clemente VII. die 20. Junj 1530. Romæ deinde conſecratus fuit die 27. Decembris ejuſdem anni in Sacrario Eccleſiæ ſanctæ Mariæ ſupra Minervam a Laurentio Epiſcopo Polignanenſi, aſſiſtentibus Epiſcopis Vigilienſi, & Juſtinopolitano; Mortuus fuit poſtquam eam ſedem qnindecim annos tenuiſſet, regnante Paulo III. anno 1545, *Not.*

L. *BERNARDINUS PICCOLOMINI NEAPOLITANUS* 1545.

BErnardinus Silyius, ſive Silverius Piccolomineus Aragonenſis; utroque enim modo vocatus reperitur apud Ughellum Antonj, & *Lau*demiæ Pii II. ſororis filj proximus affinis fuit ex Amalphitanis Ducibus, &, ut nobilitate ampliſſimus, ita morum commendatione ſpectatiſſimus; Primum ex ceſſione Cardinalis Cuidiccionj Aprutinus Epiſcopus creatus anno 1542. Deinde aſſentiente Philippo Strozzio anno 1645. die 13. Aprilis ad Surrentinam Eccleſiam tranſlatus fuit. Cor- *Not.*

Ughell. tom. 6. de Archiep. Surrent.

Idem tom. 1. de Epiſcop. Aprutin.

Corrigendus igitur Ughellus in Aprutinorum Epiſcoporum ſerie, ubi hunc Bernardinum ex Aprutina Cathedra ad Sueſſanam traductum refert; qui error ex Amanuenſis oſcitantia irrepſit; ut fatetur ipſemet Ughellus.

Idem tom. 6. de Archiep. Surrent.

Obiit Bernardinus ſub Julio III. anno 1552.

De Piccolominea gente ſcientiarum ſplendore, honorum amplitudine, & Pontificum Maximorum, quos Eccleſiæ dedit, gloria adaucta plura repeRiuntur apud Mazzellam, alioſque. E Senis olim, Neapolim advenit, ubi aſcripta eſt Curiæ *Nili*, ſeu *Nidi*. Eam decoravit præ ceteris Æneas Silvius, qui ad Summum Pontificatum aſcendens Pius II. dictus fuit; & quamvis brevi temporis ſpatio univerſam Eccleſiam rexerit annos ſcilicet quinque, menſes undecim, dies ſeptemdecim: tamen nunquam perituram gloriam aluit. Multa, quæ diſertiſſime ſcripſit, ſub Johannis Gobellini ſui a ſecretis nomine evulgavit. Concilio Baſileenſi adfuit, ſed quæ ibidem Schiſmatice peracta fuerunt, ſolertiſſime damnavit. Adeo admirandum exemplar imitatus eſt Bernardinus Piccolomineus in Surrentina adminiſtranda Eccleſia. Antonino Piccolomineo Pii II. Nepoti Ferdinandus Aragonius Neapolis Rex Filiam nuptui dedit, & dotis nomine Ducatum Amalphitanum, Celanique comitatum.

Mazzell. Deſcrizione del Regno di Napoli.

LI.

LI. *BARTHOLOMÆUS ALBANUS URBEVETANUS* 1552.

Bartholomæus Albanus Nicolai filius Urbevetanus ex Epiſcopatu Sueſſano ad Surrentinum Archiepiſcopatum aſſumtus fuit a Julio III. anno 1552. die 22. Octobris. Romæ fato ceſſit eo ipſo anno, quo Surrentum vaſtationem, excidium, & pene extrema quæque a Turcis paſſum eſt, anno ſcilicet 1558. Patria Bartholomæi fuit, quæ vulgo dicitur *Urbs vetus*; appellata olim a Plinio *Herbanum*, ab aliis *Oropitum*, & *Orbitum*, nobilis, & munitiſſima ſane Hetruriæ urbs ſub dominio Summi Pontificis. Hanc urbem præclariſſimam *Albanam* gentem ex Epiro, ſeu Albania in Italiam profectam principio aluiſſe putamus, quæ exinde Urbinum uſque digreſſa eſt; unde noſtra memoria prodiit Jo: Franciſcus Cardinalis Albanus, qui ſcientiis qua ſacris, qua humanis ornatiſſimus, plurium linguarum præſertim Latinæ, & Græcæ doctiſſimus, & prudentia, aliiſque omnigenis virtutibus cumulatus unus fuit, qui ad adminiſtrandam, tenendamque ſancti Petri Cathedram factus ad miraculum videretur; quamobrem ad eam demum aſſumtus ſub nomine Clementis XI. annos ferme viginti unum ſedit. Ejus facta, dicta, ſacræ Orationes, ceteraque admiranda facinora orbem univerſum fama, ac gloria compleverunt. Ipſius vita pluribus linguis conſcripta. *Not.*

Opera vero ſumma eloquentia conſperſa in quatuor Tomos collegit, ediditque eximius, digniſſimuſque ejuſdem Pontificis nepos, Eminentiſſimus Cardinalis Annibal Albanus S. R. E. Camerarius, qui ſcientiis, omnique doctrina apprime inſtructus Patrui virtutes, ac gloriam æmulatur, ut etiam hujus germanus, alter ejuſdem Pontificis nepos Eminentiſſimus Cardinalis Alexander Albanus.

LII. *FR. JULIVS PAVESIVS BRIXIENSIS ORDINIS PRÆDICATORUM NVNTIVS NEAPOLITANVS, ET IN BELGIO* 1558.

Not. JUlius Paveſius vir morum candore, doctrina, ac in rebus obeundis dexteritate ſpectatiſſimus, per omnes fere gradus ad *Commiſſariatum*, ut dicunt, ſancti Officj pervenit, inde Veſtanus Epiſcopus creatus fuit: anno vero 1558. die 20. Julj Surrentinus Archiepiſcopus a Paulo V. P. M. Apoſtolicæ Sedis Nuntius extitit Neapoli primum, deinde in Belgio; & Neapolitanæ Archiepiſcopalis Diœceſis Vicarius Generalis. Egregius ſane Præſul, & ut de Apoſtolica Sede, ita de Surrentina Eccleſia optime meritus. Afflictam enim Surrentinam urbem, Diœceſimque integram a Turcico impetu diram vaſtationem, depopulationemque paſſam ſub Piali Baſſano Præfecto claſſis Solimani Conſtantinopolitani Impera-

peratoris, quum in Africam tranaret adverſus Hiſpanos, qui Tunetum ſibi vectigale jam fecerant: conſilio, verbis, & larga, generoſaque manu ſolatus eſt, &, utut potuit, reficere non deſtitit, ut ex parte indicat ſequens inſcriptio ad primam januam Archiepiſcopalis Palatj appoſita:

JULIUS PAVESIUS BRIXIANUS
ARCHIEPISCOPUS SURRENTINUS
PAULO POST
MISERRIMAM DIREPTIONEM
HUIC PRÆCLARÆ URBI
CUM UNIVERSÆ CIVITATIS
VEL INTERNECIONE
VEL CAPTIVITATE
A TURCIS ILLATAM
HASCE ÆDES
EODEM EXITIO INCENSAS
ET SOLO ÆQUATAS
SUO ÆRE
SUAQUE SPONTE
AD PUBLICA COMMODA
PIE NON MINUS
QUAM BENIGNE
A FUNDAMENTIS INSTAURAVIT
ATQUE EXÆDIFICAVIT.
MDLIX.

Quum Turcarum furor in Surrentinos debaccharetur, non adhuc ad Surrentinam regendam

 Eccle-

Eccleſiam admotus fuerat Julius, ſed paucis poſt diebus; ea enim Turcarum incurſio vulgo fertur contigiſſe 13. Junj die Divo Antonio Patavino ſacra. Palatium vero refici curavit primo ſui Præſulatus anno, vel ſub ſecundi initium. Seſſionibus Concilj Tridentini, quæ habitæ fuerunt ſub Pio IV., adfuit. Hunc Cardinalis Seripandus ad Concilium Tridentinum Legatus omnium ſui ævi literatorum facile princeps, cum aliis ſelectiſſimis Epiſcopis ad præcipuorum negotiorum privatas conſultationes adhibuit.

V. Catal. eorum, qui ad Sacroſanct. OEcumen. Trident. Synod. convenerunt ſub Pio IV. tom. 4. Collect. Roman. pag. 298.

V. Card. Pallavic. Iſtoria del Conciſſo di Trento p. 2. lib. 16. c. 1.

Duo ingentia Æra Campana, quum antiqua a Turcis oneroſa præda ſublata fuiſſent, pro Eccleſia Cathedrali confici mandavit. Ædificavit quoque ſacram Ædem ſanctæ Mariæ Annuntiatæ ſub cura Patrum Auguſtinianorum, quam deinde hæredem reliquit, quum diem extremum clauſit non Idibus Februarj, ut tradit Ughellus, ſed tertio Idus Februarj anni 1571., ut teſtatur illud monimentum, quod extat Surrenti præ foribus Eccleſiæ ſanctiſſimæ Annuntiatæ hujuſmodi:

JVLIO

JULIO PAVESIO BRIXIANO
EX ORDINE PRÆDICATORUM
SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRO,
VESTINORUM EPISCOPO,
SURRENTINORUM ARCHIEPISCOPO,
GENERALI CONMISSARIO
SANCTI OFFICJ INQUISITIONIS,
ET NUNTIO APOSTOLICO
IN HOC REGNO, PII V.
FLANDRIÆ NUNTIO,
VITÆ INTEGRITATE,
ET OMNIUM VIRTUTUM
GENERE ORNATO
OECONOMI SAGRÆ
ÆDIS ANNVNTIATÆ
EX TESTAMENTO
HÆREDES PP.
MDLXXV.
OBIIT III.
IDVS FEBRVARJ
MDLXXI.

Ejus corpus jacet Neapoli in Eccleſia ſanctæ Catharinæ vulgo *a Formello*. Qui peculiariora de eo deſiderat, conſulat Octavium Rubeum libro De Viris illuſtribus Brixianis, & Michaëlem Pium De Viris illuſtribus Ordinis Prædicatorum.

LIII.

LIII. *LÆLIUS BRANCACIUS NEAPOLITANUS* 1571. *TRANSLATUS AD ARCHIEPISCOPATUM TARENTINUM.*

Not. AD regendam Surrentinam Eccleſiam aſſumtus Lælius anno 1571. die 20. Junj a ſancto Pio V. ſumma prudentia, conſtantia, vitæque integritate, ac ſanctimonia ſanctis Leoni, & Gregorio comparando. Hic ex Brancaciorum vetuſtiſſima, nobiliſſimaque Neapolitana familia ſanctorum, ſanctarumque, & virorum *præclariſſimorum* fœcundiſſima; quapropter ita a *ſcriptoribus* celebrata, ut ejus amplitudinem, honoreſque nulla unquam poterit antiquitas abolere.

Thronum Archiepiſcopalem marmoreum, magnificumque conſtruxit, Templum Cathedrale ampliavit, & in longius produxit, & præcipuam ejuſdem templi januam marmoreo opere, columniſque ſcitiſſimæ architecturæ, atque epiſtylio ornavit, hac addita inſcriptione:

LÆLIUS BRANCACIUS
ARCHIEPISCOPUS SURRENTINUS
TEMPLUM AUXIT,
ET FORES EREXIT.

Tres

Tres annos in Cathedra Surrentina ſedit; inde ad Eccleſiam Tarentinam a Gregorio XIII., qui anno 1572. 13. Maj Summum Pontificatum iniit, tranſlatus fuit.

LIV. *JOSEPH DONZELLVS PEDEMONTANVS ANNO* 1574.

JOſeph ex Monte Regalenſi civitate nobiliſſimo genere natus I. V. doctor fuit Cameræ Apoſtolicæ Fiſcalis Procurator. In Hetruria apud Sereniſſimum Franciſcum Magnum Ducem Sedis Apoſtolicæ Nuntius, deinde Vrbis Gubernator, & Archiepiſcopus Surrentinus creatus fuit die 14. Julj anni 1574. a Gregorio XIII. Bononienſi Hugone Buoncompagno pridem dicto; qui ſancti Gregorj Magni, cujus nomen accepit, virtutes mirifice imitari ſtuduit. *Not.*

Quanta ſolertia, conſtantia, integritateque Surrentinam Eccleſiam rexit Joſeph, haud facile quiſpiam exprimet. Poſt trucem illam, exitialemque Turcarum aggreſſionem, & Archiepiſcopalis Archivi conflagrationem omnes quoquot potuit, memorias diligentiſſime collegit, ſimulque digeſtas in novo Chartophylacio repoſuit. Ejus vero ſanctimonia, ac juſtitia obtrectatoribus non caruit; quidam enim refractarj eum vehementer, ſed incaſſum inſectati fuerunt. Poſtquam autem Surrentinam Diœceſim quatuor, & decem annos adminiſtraſſet, variiſque urbem illam adornaſſet ædificiis,

ciis, & ſtructis Capellis, & odeo Canonicorum, a poſteriori Epiſcopo Suardo refecto, aliiſque ornamentis ſacram Metropolitanam Ædem ſcitiſſime decoraſſet, mortalitatem explevit anno 1588.

LV. *MVTIVS BONJOANNES* 1585. *NVNTIVS LVSITANIÆ.*

Not. BUonjoannes Patritius Romanus ob ſuam integritatem, raramque indolem Sixto V. inprimis carus, a quo primum ad Surrentinum Archiepiſcopatum evectus fuit die 27. Aprilis 1588. non autem 1585., ut male annotatum *in ſerie*; deinde Apoſtolicæ ſedis Nuntius ab eodem miſſus in Luſitaniam, ibi duos annos eo munere ſumma dexteritate functus eſt; ſed ad Aulam reverſus immaturo fato ſublatus fuit anno 1591. ſepultuſque jacet in ſancti Auguſtini Romæ prope Sacellum ſanctæ Monicæ in Majorum ſepulcro, cui Horatius frater, & aliis hoc poſuit monimentum:

D. O. M.

Digitized by Google

D. O. M.
HORATIUS BONJOANNES
PATRITIUS ROMANUS
ANTIQUUM FAMILIÆ SUÆ
SACELLUM SANCTA SANCTORUM
VETERI NOMINE APPELLATUM,
QUO DECENTIUS
EXORNARI POSSET,
SUBLATIS DIVERSIS LOCULIS
EXTRA ORDINEM
SUBLIME POSITIS
OSSA MAJORUM,
SUORUMQUE GENTILIUM
EPISCOPORUM, ET MUTII
FRATRIS OPTIMI
ARCHIEPISCOPI SURRENTINI
IN HOC UNUM SARCOPHAGUM
COMMUNE SIBI,
POSTERISQUE SUIS
INFERENDA CURAVIT
MDCIIII.

LVI. *CAROLUS BALDINO* 1591 *INQUISITOR APOSTOLICUS NEAPOLI.*

BAldinus Neapolitanus Juriſperitiſſimus fuit, & in Neapolitana Academia diu Jus Canonicum interpretatus eſt; ſive ſacrorum Cano- *Not.*

num Anteceſſor fuit juxta Capacium ; ei a Gregorio XIV. die 18. Februarj 1591. Eccleſia Surrentina demandata eſt ; & quæcumque ad Religionem ſpectarent cognoſcendi in Regno Neapolitano data poteſtas a Summis Pontificibus. Obiit ſummi nominis Præſul anno 1598.

LVII. *HIERONYMUS PROVENZALE NEAPOLITANUS* 1598.

Not. IS medicinæ principio operam navavit, in qua quum plurimum profeciſſet, Romam ſe contulit, ubi in Aula Clementis VIII. ſapientiſſimi Pontificis, & literatorum Mæcenatis largiſſimi exceptus inter Pontificis familiares aſcriptus fuit, ejuſdemque medicus electus ; interea Tractatum *De Senſibus* elucubravit, quem edidit Romæ anno 1597., ipſique Clementi VIII. nuncupavit, in eoque meminit de alio Tractatu ſuo *De Inſtrumentis ſciendi*. Verum rebus phyſicis ad ſummum imbutus ad Eccleſiaſticas res, ſacraſque doctrinas animum convertit, & ut antea inſignis Philoſophus, ita deinde egregius Theologus evaſit. Quod quum expertus eſſet Clemens VIII., pluribus in rebus, negotiiſque ejus opera uſus fuit, ac demum poſt Ferrarienſem reditum, tota plaudente Aula, Surrentinum Archiepiſcopum creavit die 1. Julj anni 1598. Regulares Clericos Theatinos Surrentum accivit, tradita illis Divi Antonini urbis Tutelaris Eccleſia cum contiguis domibus,

V. Tract. De Senſ. p. 1. cap. 1. ſub initium.

bus, hortiſque anno 1606. In Cathedrali Sacrario Sacellum D. O. M. in honorem Beati Januarj Martyris a fundamentis extruxit, dotavit, ac ſacris reliquiis exornavit; ibique ſepulcrum vivens ſibi poſuit. Eccleſiam Surrentinam annos tredecim, menſes ſeptem tenuit, majoremque ſibi nominis famam peperit. Mortem obiit anno 1612. 11. Kalendas Aprilis anno ætatis ſuæ 78., quo tempore ad Poloniæ Regem a Paulo V. Pontifice Apoſtolicæ Sedis Nuntius deſignatus fuerat. Eum meritis laudibus extollunt Toppius, & Mandoſius. In Additionibus ad Ughellum novæ editionis traditur hunc Hieronymum typis edidiſſe epiſtolam *De ratione curandi ſebres*.

Topp. In Biblioth.Neap. pag. 159.
Mandoſ.In Theatr. Archiatror. Pontific. pag.89.

LVIII. *D. JOHANNES ANTONIUS ANGRISANUS NEAPOLITANUS CLERICORUM REGULARIUM PRÆPOSITUS GENERALIS ANNO* 1612.

Not.

E Surrentina Diœceſi oriundus fuiſſe fertur, & Hieronymi deceſſoris conſanguineus; præ ſuavitate, comitateque cum pari juſtitia, honeſtiſque moribus conjuncta S. Cajetani Thienæi familiæ acceptiſſimus, in qua regularia vota nuncupaverat in demandata ſibi illius Generali Præfectura ſummam laudem conſecutus eſt; inde a Paulo V. vigilantiſſimo, optimoque Romano Pontifice anno 1612. Eccleſiam Surrentinam regendam acce-

pit. Huic Antonius Caracciolus vitam ſancti Antonini Abbatis Surrentini nuncupavit anno 1628. Angriſani tempeſtate, anno ſcilicet 1631. Veſuvius vehementius, quam ſolebat, erumpens, Neapoli, viciniſque civitatibus ultimam calamitatem, excidiumque minitatus eſt; quod licet ſanctus Januarius præcipuus Regni Patronus averterit; tamen ignis hac illac diffluens Pompejanum, Herculanum, & innumera pene oppida miſere combuſſit. Vide Patrem Recupitum, qui de hoc, aliiſque variis Veſuvj incendiis ſcripſit. Sedit Angriſanus annos triginta, & valde ſenex fato functus eſt anno 1641. Parvam ſuam Bibliothecam reliquit Cœnobio S. Antonini Clericorum Regularium, ea tamen conditione, ut illa libere uti poſſent Archiepiſcopi Surrentini. Legendus de eo Silos, & Toppius.

Sil. Hiſtor. Cleric. Regul. p. 2. Topp. in Biblioth. Neap. pag. 116.

LIX. *D. ANTONIVS DE PEZZO NEAPOLITANVS ARCHIEPISCOPVS SVRRENTINVS ANNO 1642. TRANSLATVS AB EPISCOPATV POLINIANENSI.*

Not.

EX Polinianenſi Epiſcopatu ad Archiepiſcopatum Surrentinum traductus fuit Antonius die 27. Novembris 1642., non autem die 20. Novembris 1641., ut legitur apud Ughellum in antiqua editione. Polinianum oppidum vulgo *Polignano* ad oram maris Adriatici ſub Archiepiſco-

piſcopatu Barenſi ; a Bario autem urbe octo milliaria diſtat .

Antonius oriundus Salerno e nobiliſſima Petiorum familia , vir prudens , ſagax , & integritate morum ſpectatiſſimus ; quapropter demandata ei fuit viſitatio Barenſis Eccleſiæ .

Ad Archiepiſcopatum Surrentinum translatus fuit ab Urbano VIII. egregio Summo Pontifice, & Latinorum Poëtarum præſtantiſſimo , cujus ſuaviſſimas plures Odes in Horis Canonicis recitamus , inter quas nunquam ſatis pro dignitate laudata eſt illa pro templi conſecratione , cujus initium eſt : *Cœleſtis Urbs Jeruſalem* . Cardinalium Senatum nunc ornat ejus pronepos Franciſcus Barberinus , ſapientia , ſolertia , prudentiaque , & omnium virtutum ſplendore clariſſimus .

Antonius Archiepiſcopus quum familiarem haberet eruditionem , atque eſſet venerandæ antiquitatis ſtudioſus , Anteceſſorum ſuorum nomina , & acta ope paucorum monimentorum , quæ lacrymabili Surrentinæ civitati a Turcis illatæ vaſtationi ſupererant , ſolerti , atque operoſa diligentia perquiſivit , & ut ut potuit , ab oblivione vindicavit , ut hujuſce libri initio tradidimus ; atque ea ſuggeſit Ughello , quæ ſuſceptum ab hoc in Italia ſacra adornanda poſſent mirum in modum juvare laborem .

Synodum celebravit anno 1654. pro reſtauranda Eccleſiaſtica diſciplina in ſua Diœceſi , quam deinde ad augendam pietatem in lucem emiſit .

ſit. Primo ſui Pontificatus anno ſibi, & Succeſſoribus in pavimento Eccleſiæ Cathedralis ante Thronum Archiepiſcopalem ſepulcrum effodit, exquiſitoque marmore operuit, hac addita Inſcriptione:

ANTONIUS DE PETIO
ARCHIEPISCOPUS SURRENTINUS
PRIMO SUI PONTIFICATVS
ANNO POSTREMI MEMOR DIEI
SIBI, ET SVCCESSORIBVS
P. ANNO DOMINI
MDCXLII.

Sex argentea candelabra cum totidem vaſis ad maximam Aram ornandam extrui curavit, Crucemque, quæ Archiepiſcopo præfertur. Egregio marmore maximam Aram extruxit; quo quum ſiniſtram magni fornicis pilam decoraſſet, morte correptus imperfectum opus reliquit, ab Archiepiſcopo Petra poſtea abſolutum.

Mazzel. Nella Deſcrizzione del Regno di Napoli.

De Petiorum clariſſima gente plura abunde Mazzella, ac de Atavorum Antonj præſtantia in eximiis muniis, tum Eccleſiaſticis, tum Laicalibus obeundis.

Patruum habuit Antonius nomine Cæſarem Epiſcopum Sulmonenſem, fratremque patruelem Clementem Ordinis Clericorum Regularium ex Principibus *Sancti Pii Cajannelli, ac Civitæ Marchionibus* editum, qui quum legationem apud Impera-

peratorem gereret, ad Porphyrienſem titularem inſulam evectus fuit, tum ad Aquilanum Epiſcopatum, exinde ad Stabienſem, ubi obiit, teſte Ughello, die 27. Novembris 1651., indeque Neapolim ad Sanctæ Mariæ Victoriæ translatus, tumulatus in majorum ſepulcro extructo in Sacello ſancti Cajetani Pario, varioque marmore ornato, cui Archiepiſcopus noſter Antonius Inſcriptionem ſuperaddidit, & Clementem *Porphyridis*, non *Philadelphiæ* Epiſcopum appellat, ut fecit Ughellus in hoc emendandus. Diem extremum clauſit Antonius Surrenti A. D. MDCLIX. IV. Idus Martj, ejuſque corpus in ſepulcro a ſemet extructo humatum fuit.

V. Ughell. t. 6. De Epiſc. Stabien.

LX. *D. PAVLVS SVARDO NEAPOLITANVS ARCHIEPISCOPVS SVRRENTINVS ANNO DOMINI 1659.*

SUardorum gens præclariſſima e Germania in Italiam advenit; & Fridericus Ænobardus Imperator Alberico Suardo Bergomum celebrem Italiæ civitatem cum agro in dominium tradidit; quam inde ditionem non diu pacifice tenuerunt Suardi Reguli; ejecti enim vi aliquando fuerunt a potentibus magnatibus, & iterum poſtea admiſſi. Ex ea gente Johannes Baptiſta Suardus Neapolim ſe contulit, ubi ejus poſteri cum præcipuis Neapolitanis proceribus affinitatem iniverunt, & Feudis divites evaſerunt, præſer-

Not.

V. Scip. Amm. Nella Famiglia Suarda. Corio Nell'Iſtoria di Milano all'anno 1296. e Fra Giacomo Filippo Bergamaſco Agoſtiniano Supplemẽto alle Cronache.

præſertim Ducatu Caſtri Ariolæ. Ex his ortum traxit Paulus Suardus, qui e Neapolitana Congregatione ſancti Philippi Nerj ad Archiepiſcopatum Surrentinum aſſumtus fuit 15. Kal. Octobris ab Alexandro VII. Senenſi, pridem Fabio Chiſio nuncupato, cujus egregia opera, virtuteſque loquitur adhuc perennis fama, & 16. Kal. Decembris 1659. conſecratus fuit.

Erat valde humanus, atque in omnes officioſus. Ditiſſimis Pontificalibus ornamentis Eccleſiam Cathedralem locupletavit, & Altare maximum duobus prægrandibus vaſis argenteis. Palatium novis ædibus adauxit; ad pias cauſſas legata plurima fecit; ſexcentos aureos nummos, ut ultima manus Templo Cathedrali facilius accederet, moriens reliquit. Neapoli hydropiſi laborans, quum mortem jam jam imminere ſibi ſenſiſſet, ad Eccleſiam ſuam quam ocyſſime vehi voluit, ut in ſacræ Sponſæ ſuæ gremio ſpiritum emitteret. Ubi ad Surrentinum, quod dicitur parvum, litus appulit, æra Campana Archiepiſcopi ſui adventui conſuetis lætitiæ ſignis plauſere. Sed vix terram attigit Suardus, quum illa lætiſſimum ſonum in mœſtiſſimum commutarunt; ſtatim enim ac ex phaſelo deſcendit, morti occubuit 4. Kal. Auguſti 1679. Surrenti, ejuſque corpus in Archiepiſcoporum ſepulcrum a ſuo Anteceſſore Archiepiſcopo de Petio conſtructum illatum fuit.

LXI.

LXI. *DIDACVS PETRA NEAPOLITANVS ARCHIEPISCOPVS SVRRENTINVS ANNO DOMINI 1680. TRANSLATVS AB EPISCOPATV MARSORVM.*

E Petræ nobiliſſima ſane Neapolitana familia Curiæ *Portæ Novæ* aſcripta, viris inſignibus clariſſima, feudiſque Caſtri Sangri, Collis Alti, Vaſti Giraldi, aliiſque referta prodiit Didacus patre Vincentio, matre Septimia Philonardi patria Romana e Bauci Dominis, nepte Cardinalis Philippi Philonardi, & gradu propiori conjuncta ipſi Romano Hierarchæ Clementi X., cujus famam nulla ſeculorum longinquitas aboleverit. Vir fuit ſacrorum Canonum, rerumque præſertim Eccleſiaſticarum peritiſſimus, qui mira uſus prudentia, juſtitia integerrimus, ac morum probitate commendatus, ſummam ſibi laudem conſecutus eſt in regendo Epiſcopatu Marſorum, qui ſunt populi Latj ſub Samnitibus, ubi nunc pars Aprutj Ulterioris juxta Lacum Fucinum. Horum præclaræ antiquitates a recenti Scriptore collectæ Didaco Epiſcopo nuncupatæ fuerunt. Inde ad Eccleſiam Surrentinam eum tranſtulit Innocentius XI. ὁ μακαρίτης, cujus ſanctimonia nunquam pro dignitate celebrata. Hanc novam ſibi demandatam Eccleſiam non minori juſtitia, ac dexteritate adminiſtravit Didacus: qui, ut erat *Not.*

æquus, & gravis in decernendo, ita etiam extitit conſtans in tuendis decretis. Ingenioſiſſimum Nepotem apud ſe aluit Vincentium Petram, qui ut omnibus liberalibus artibus, ſcientiiſque imbueretur, maxime ſtuduit; quumque illum ad maxima quæque factum, & ſcientiis iis præſertim ſatis delibutum, quæ neceſſariæ erant, agnoviſſet, adoleſcentem adhuc ſuum conſtituit Vicarium. Quo in munere ita ſe geſſit, ut incorrupta æquitate; matura prudentia, ac ſenili gravitate jam ex illo tempore qualis futurus eſſet, apertiſſime patefecerit. Tot ingentia volumina ſanctæ Viſitationis Surrentinæ Diœceſis ſumma ſolertia, ſummaque rerum Eccleſiaſticarum peritia brevi temporis ſpatio complevit, totque juridicas cauſſas abſolvit, ut mirum profecto ſit, juvenem ab omnibus illecebrarum ſtudiis abſtractum tam ſedulo indefeſſam ſacris negotiis operam navaſſe. Et quoniam optimæ naturæ, raræ indolis, ſummæque expectationis ſpecimen dederat, a provido, ſagacique patruo Romam miſſus fuit; ubi quum Præſulatum iniviſſet, in plura abſolvenda Curiæ Romanæ munia curam, operamque feliciſſime impendit. Unde primum Sacræ Congregationis Concilj, & ſubinde Epiſcoporum, & Regularium a ſecretis creatus. Et quamvis nulla illi eſſet a cauſſis vacatio, nullus reſpirandi locus: nihilominus ingentia legalia volumina ſumma juris utriuſque cognitione referta edidit. Tanto meritorum cumulo adauctus a Bene-

a Benedicto XIII. Cardinalatus dignitate, & Congregationis de Propaganda Fide præfectura donatus fuit, & a Regnante CLEMENTE XII. P.O.M. ſeculorum omnium memoria digniſſimo, ſupremo Pœnitentiarj munere decoratus. Sed tot, tantiſque curis implicitus omnium admiratione nunquam laboribus fractus videtur, ſed tanta animi magnitudine, tanta ſapientia, tanta facilitate, felicitateque tam copioſa, ac tam varia negotia ipſe unus abſolvit, ut credi vix poſſit etiam ab iis, qui id in dies re experiuntur.

Sed ut ad Didacum redeamus, poſtquam Surrentino Archiepiſcopatu potitus eſt, curas ſuas intendit, ut in Clero cultus, virtuteſque Eccleſiaſticæ, ſcientiæque adoleſcerent, ideoque juventutis commodo Seminarium excitavit, ut indicat monimentum in ejuſdem frontiſpitio ſcultum hujuſmodi:

QUOD AD TENERÆ ÆTATIS
INSTITUTIONEM ERECTUM
SEMINARIUM VIDES,
ILLUSTRISS., AC REVERENDISS.
DOMINI DIDACI PETRA
EPISCOPI MARSICANI,
ARCHIEPISCOPI NUNC
SURRENTINI MUNIFICENTIÆ
OPUS EST,
QUI A FUNDAMENTIS
ILLUD AD CORONIDEM

 PER-

PERDUCENDUM CURAVIT,
UBI TOT PUERITIÆ
GERMINA AD PIETATEM,
ET LITERAS IRRIGANTUR.
MIRUM QUANTA LAUDUM
SEGES AUCTOREM ERUMPAT
ANNO DOMINI
MDCLXXXVII.

Nobili cruſta marmorea ornavit nudi cœmenti paraſtatam in cornu Evangelj Aræ maximæ; graduſque marmoreos excitavit, quibus ad illam ſcanditur, una cum affabre elaboratis marmoreis clathris, unde circumſepitur. In cruce ejuſdem templi nobile Sacellum extruxit ex parte Epiſtolæ ſub titulo ſancti Michaëlis Archangeli, in quo cenſu addicto ſacrum ſine cantu per hebdomadam faciendum, & quatuor alia ſacra ſolennia quotannis celebranda mandavit. Præbendam, quam vocant, Theologalem ſuo ære in Cathedrali inſtituit, ut commoditati proſpiceret ſuarum ovium; & ad fovendam pietatem, ac religionem pias quaſdam donationes fecit, quibus Parochialis Eccleſia, ſive OEconomia in loco, ubi vulgo dicitur: *Il Capo di Sorrento* fundaretur. Utraſque Crucis Eccleſiæ Cathedralis naves laterales inſtauravit, ut ſupra Januam maximam ejuſdem Eccleſiæ ex interiori loco in marmore ita impreſſum legitur:

DI-

DIDACUS PETRA DE BARONIBUS.
CASTRI SANGRI,
VASTI GIRARDI &c.
OLIM EPISCOPUS MARSICANUS,
NUNC ARCHIEPISCOPUS
SURRENTINUS,
CONCURRENTIBUS LEGATO
SEXCENTORUM SCUTORUM
ILLUSTRISSIMI DOMINI
PAULI SUARDI
SUI PRÆDECESSORIS,
ET ALIO MAJORI
HUJUS FIDELISSIMÆ CIVITATIS
SUBSIDIO TEMPLUM
HOC JAM JAM
RUITURUM EXCITAVIT
HINC INDE DUOBUS
LATERIBUS STABILIVIT
ANNO DOMINI
MDCLXXXVIII.

Mortalitatem tandem explevit Didacus Neapoli Kalendis Februarj *1699.* , & in ſancti Petri ad Majellam in majorum ſuorum Sacello honorificis exequiis fuit magnifice tumulatus.

LXII.

Digitized by Google

LXII. PHILIPPO ANASTASIO
V. J. D. S. T. M.
ORATORI EGREGIO,
POETÆ VENVSTISSIMO,
MATHESEOS, AC
PHILOSOPHIÆ PERITO,
OMNIGENÆQVE
ERVDITIONIS VIRO,
QVI DVM
ANNVM TERTIVM,
ET TRIGESIMVM AGERET,
IN VNIVERSITATE
NEAPOLITANA
PRIMÆ CATHEDRÆ
MATVTINÆ CIVILIS
FACVLTATIS PRÆFICITVR,
DEINDE SACRORVM CANONVM
ANTECESSOR IBIDEM CREATVR,
ET INTER CANONICOS
CATHEDRALIS ECCLESIÆ
NEAPOLITANÆ ADSCRIBITVR,
AC TANDEM AB INNOCENTIO XII.
AD ECCLESIÆ SURRENTINÆ
PRÆSVLATVM EVEHITVR
ANNO AB ÆRA CHRISTI
MDCLXXXXIX.
CUM IPSE ÆTATIS SVÆ XLIII.
EXPLEVISSET.

Cajetanus Criſconius ejuſdem Archiepiſcopi a ſecretis poſuit anno Domini 1704.

AN-

Digitized by Google

ANNO MDCCVII.
VI. KAL. DECEMBRIS
A CLEMENTE XI.
COOPTATVR COETVI
EPISCOPORVM ASSISTENTIVM
PONTIFICIO THRONO,
ET PRÆLATORVM DOMESTICORVM
SANCTISSIMI DOMINI,
DEINDE EIDEM OBLATVM
ARCHIEPISCOPATVM
SIPONTINVM,
COMPSANVM, ET ROSCIANENSEM,
ALIASQVE INSIGNES ECCLESIAS
CVM HVMILLIME RECVSASSET
AB EODEM SVMMO PONTIFICE
PINGVI PENSIONE DONATVR
SVPER ECCLESIA COMPSANA,
ANNO VERO MDCCXX.
ABBATIA SANCTI PETRI
AD CAPROLLAM.

Andreas Cappellus a Secretis Archiepiſcopi hæc non omittenda notavit 1724.

AN-

Digitized by Google

ANDREÆ AGELLJ
SACERDOTIS SURRENTINI
Additamentum, ac Notæ Surrentinis ſuis, ac Lectoribus.

Qum Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Dominus PHILIPPUS ANASTASIUS *Patriarcha Antiochenus, harum Surrentinarum Antiquitatum, qua Eccleſiaſticarum, qua Civilium rerum congnitione refertiſſimarum auctor (quibus non modo apud vos cives meos Surrentinos magnum ſane beneficium poſuit; ſed apud totam literariam Rempublicam, quam tot, tantiſque abſtruſis antea, additiſque notitiis locupletavit) ubi ad differendum de Archiepiſcopatu ſuo, ſuique Nepotis pervenit, vix eas inſcriptiones appoſuit, quæ ſunt in Aula Surrentina exaratæ, & deinde ſtylum continere, ac modum figere huic tertio Libro omnino voluit. Et licet meis, aliorumque precibus plurimum fatigatus: vinci tamen, atque adduci nullo modo potuit, ut de ſe, ſuoque Nepote quidquam, ut ut vellet, parce, continenter, ſobrieque adderet, cauſſatus ſe tantum illam antiquam ſeriem ab Archiepiſcopo de Petio concinnatam, quam Surrento ad ſe dederant, ſuſcepiſſe commentandam, caſtigandamque, idque unum principio hujuſce tertj Libri pollicitum, adeoque ſatis, ſuperque fidem ſuam liberaſſe, quædam de poſterioribus Archiepiſcopis addendo: cetera vero non deeſſe apud Ughellum. Id ego maxime omnium ægre ferens,*

ferens, quum nihil prorſus apud ipſum iteratis petitionibus profeciſſem, ne ſeries heic loci deficiens quodammodo videretur, ac ne fraudarentur poſteri tanti viri cognitione, & civitas mea Surrentina eo honore, quo illam Auctor ſua præſentia, inſulaque decoravit, ſuſpenſis jam typis, quidquam de ſuis, ſuique Nepotis geſtis, eo inſcio, raptim delibare, & congerere tacite mecum ipſe meditatus ſum. Ad quod eo magis inductus fui, quod Philippi Auctoris vitam non integram, uti olim a me, quum ex Ephebis vix exceſſeram, Surrenti condita fuerat, ac mancam, & quibuſdam in locis, neſcio, cujus manu reſecatam, erroribuſque ſcatentem, atque earum rerum annotatione expertem, quæ ipſi Auctori poſtea advenerunt, apud Ughellum legiſſem. Ad hæc accedit, quod tot, tantiſque nominibus utrique obſtrictus ſum, & præſertim Philippo, quo Auctore, Duce, ac Patrono conſecutus ſum quidquid in ſcientiis profeci, ut ingrati animi notam minime poſſem effugere, ſi, ubi occaſio fert, debita quidem officia non rependerem. Æqui igitur, bonique vos conſulturos ſpero, cives mei Surrentini, ac Surrentinarum Antiquitatum Studioſi, licentiam, libertatemque illam, qua uſus Auctoris, ejuſque Nepotis vitas, feſtinanter, ac præpropere elucubratas heic attexui.

PHILIPPI ANASTASIJ ARCHIEPISCOPI SURRENTINI VITA.

Not. PHilippus Anaſtaſius Neapolitanus e Ludovico patre, viro pietati, rerum divinarum contemplationi, ac miſericordiæ præſertim operibus ita addicto, ut inter humanas curas, hominumque ſtrepitum arctiorum monachorum vitam vivere viſus ſit: & Anna Maria Toloſa e nobiliſſimo Caſtellæ Veteris genere orta, femina pientiſſima, prudentiſſimaque natus eſt VIII. Kal. Februarj anno MDCLVI., eo videlicet ipſo, quo infanda lues urbem Neapolitanam infecit, & longe, lateque graſſata totum ferme Regnum depaſta eſt. Infans tunc Philippus Nutricis, cujus jam venas clam lethalis vis morbi interius infecerat, ubera exugere ſæpius renuit, ſive quod lac male ſaperet, ſive ita Divina decernente Providentia. Grandiuſculus jam factus ad pietatem, probitatemque morum diligenter inſtitutus fuit a parentibus optimis: ſcitiſque præceptoribus ad Latinam linguam erudiendus traditus, eam vix decennium egreſſus graphice didicerat, cui deinde & Græcam copulavit. Politioribus literis imbutus ad Philoſophiam animum appulit, cujus curriculum penes Patres Societatis Jeſu triennio abſolvit, ac publice quas mente imbiberat Theſes, non ſine magna adſtantium admiratione, ac plauſu tenera adhuc

adhuc ætate propugnavit. Subinde ad Legalia ſtudia divertens biennium Franciſcum Verde, poſtea Epiſcopum Vici Æquenſis, audivit; vehementerque his diſciplinis delectatus, mirum in modum in Juriſprudentia, & Canonum cognitione profecit. Quapropter, ubi tempus adventavit, utriuſque Juris lauream publice Neapoli adeptus fuit.

Interea quum ad Eccleſiaſticum vivendi genus magnam ſemper propenſionem præſetuliſſet, tandem prima Tonſura initiatus fuit, regente Eminentiſſimo Cardinali Innico Caracciolo Neapolitanum Archiepiſcopatum, qui, quum præclare de Philippo ſentiret, illum in proprio ipſe Sacello ad reliquos deinde ſacros ordines ad Sacerdotium uſque promovit.

Poſtquam Clericalem habitum induit, Theologiam ſe facultatem præ ceteris decere ſtatim deprehendit; quamobrem ad ejus ſtudia ſe contulit, & apud Jeſuitas optimis, primique Subſellj uſus magiſtris, Johanne ſcilicet Baptiſta Guarino, Antonio Palmerio, & diſertiſſimo Patre Ignatio Tellino, quibus potiſſimum fuit acceptiſſimus, tantum profecit, ut quidquid Theologicæ doctrinæ ab illis apprehenderat, in Theſes collectum publice inter multiplices a cuncto conſeſſu datos plauſus dilucide explicarit, acerrimeque tutatus ſit.

Theologicis vero ſtudiis alium laborem annectere placuit Philippo. Plures enim ſacras concio-

nes in laudes Sanctorum ſolida eloquentia, non pueribus illis, ac vaniloquis, nimiſque phaleratis floſculis ornatas elucubravit, recitavitque in præclarioribus Neapolitanis templis magna ſemper auditorum frequentia, atque approbatione, quæ cum aliis ab eodem pene innumeris contextis ſacris orationibus adhuc inter ſua ἀνέκδοτα quum ſint, a pluribus viris doctis maximopere deſiderantur. Neque a quadrageſimalibus laboribus, quos non ſemel in ampliſſimis Regni civitatibus, ſumma ſibi parta gloria, ad finem perduxit, animum avocavit. Immo quum curriculum octo dierum, ſeu, ut dicunt, *Octavarium* S. Januarj Neapoli de more celebraretur, in cujus *ſingulis* quibuſque diebus hujuſce ſancti geſta, laudeſque *panegyricis* orationibus complexa recitantur, unius ex ſacris oratoribus, qui inopinato in morbum inciderat, vices ex tempore, & imparatus ſubiit, egregieque explevit. Cum aliis quoque zelotypis Sacerdotibus, vulgo *Miſſionarj* appellatis prædicationis munus pro ſimplicium animarum ſalute comparanda, ex quo Clericus factus fuit, ſtrenue exercuit.

Verum tantis rebus pro vaſta animi ſui capacitate intentus, tantiſque defaticatus ſtudiis, applicationibus, ac vigiliis contumacem melancholiæ morbum contraxit, atque adeo ſtomacho laborare cœpit, ut vix cibum retinere poſſet, & longam inſomniam paſſus animi deliquiis ſæpenumero corripiebatur.

Re

Re ad Medicos deducta, ipſi, ut a conſuetis occupationibus abſtractus animum relaxaret, primo injunxerunt, & ad amœna diverteret. At juvenis otj, ac deſidiæ oſor acerrimus ad poëſim præcipue Italicam ſtudia convertit; quo tempore & candorem Hetruſcæ linguæ, & proprietatem, atque elegantiam ita didicit, ut antiquis illius linguæ parentibus videatur in ſcribendo comparandus; & principum poëtarum venuſtatem imitatus, ingentem carminum Lyricorum, Epicorumque molem partim typis vulgatorum, alia pleraque tantum amicis, doctiſque viris communicata, avideque ab iiſdem ſuſcepta cecinit.

Dum Medicorum ope, & conſilio uteretur, eorum diſputationes, diſſentienteſque ſententias audiens (alii enim Arabum medicinæ, alii Græcorum plaudebant, alii, utraque rejecta, recentiorum Medicorum, ac Philoſophorum excogitata probabant) rem Phyſicam ab ovo addiſcere, ſcrutarique ipſomet infirmæ valetudinis tempore aggreſſus eſt; innumera autem ea occaſione Neotericorum Philoſophorum, Medicorumque opera evolvens Petri Gaſſendi lectione in primis delectatus eſt. Quibus in rebus adeo verſatus evaſit, ac tantum ſibi nomen de iis docte, accurateque diſſerens comparavit, ut, quum duo peritiores Medici Neapolitani ſcriptis de Phyſicis rebus, Anatomiciſque contenderent, ea ad Philippum, me teſte, detulerunt, ut controverſiam ſuo judicio dirimeret.

Neque

Neque prætereundum arbitror, quod, dum hæc ſcribo, venit in mentem, a cariſſimo ſcilicet, amantiſſimoque patruo meo, viro quidem gravi, mihi non ſemel narratum, olim quum Surrentinæ Eccleſiæ clavo aſſideret Philippus, quoſdam Britannos nobiles ſane, eruditoſque viros Surrentum appuliſſe, qui poſtquam fuiſſent cum ipſo Philippo pluries collocuti, eidem cariſſimo patruo meo, qui cum illis aliquando ſermonem habuit, ingenue profeſſi fuerunt, ſe, etſi literatorum inviſendorum ſtudio allecti Europam pene totam exploraverant, nullibi alium offendiſſe, qui in promtu de ſcientiis omnibus, & de Philoſophicis præſertim rebus, doctius, acutius, perſpicaciuſque diſſereret Archiepiſcopo Surrentino.

Remiſſo deinde aliquantulum morbi vigore ad Legalia ſtudia reverſus multas requiſitus edidit juridicas conſultationes, quibus mirum quantum partam jam ſibi nominis famam auxerit. Hæc omnia quum ad aures Principis viri Honuphrj Columnæ (ex ea ampliſſima, nobiliſſimaque Columnæ familia, quæ præter tot honores, & feuda, quibus dives ſemper extitit, prima inter Neapolitanos Proceres Præfecti equitum, ſive Comitis Stabilis, vulgo *Conteſtabile*, dignitate jamdiu a Regibus aucta fuit) perveniſſent, dum ſumma prudentia, incredibili magnanimitate, atque optimis conſiliis, quibus inter primos Magnates ipſe maxime pollebat, Proregis in Neapolitano

litano Regno munere fungeretur, Cathedram Matutinam regendam in Neapolitana Academia id temporis vacantem Philippo, qui inſuper ejus Neapolim adventum, ac nomen verſibus celebraverat, lubentiſſime deſtinavit. Nec ſuæ munificentiæ, benevolentiæque erga Philippum modum fecit Princeps literatorum mirifice ſtudioſus. Numquam enim deſtitit, etiam quum Romam rediit, ſui amoris in illum argumenta, quum tempus tulit, patefacere. Id muneris nactus Philippus majorem ſibi in dies famam comparavit. Plures enim etſi non amplius, quam trigeſimum quartum ætatis ſuæ annum ageret, magna auditorum ſtipatus corona doctiſſimas lectiones habuit, quarum aliquæ tam avide expetitæ fuerunt, ut eas typis edere coactus ſit. Interea pluries per ſolidæ horæ ſpatium in frequenti Senatorum, atque adſtantium cœtu ſtatutum pridie ſibi textum interpretatus eſt ea eruditione, & facundia, ut, illis interpretationibus typis evulgatis, ſacrorum Canonum Anteceſſor in eadem Academia Neapolitana electus fuerit.

Duci Methymnæ Cetiæ vulgo *di Medina Celi* Neapolitano Proregi in primis carus fuit, qui quum Academiam celebriorum, doctiorumque virorum, qui de Hiſtoria Naturali, & Civili differerent, apud ſe coëgiſſet, Philippum Anaſtaſium illius inſtitutorem, ac Principem voluit. Hic enim ſcientiarum, & eruditionis ſtudioſus, quum nonnullas Anaſtasj lucubrationes vidiſſet, probaſ-

probaſſetque, ſummo eum loco habere cœpit. Et quum nova ſemper acris ingenj ſui, ſuæque raræ indolis admiranda daret ſpecimina, juvenis adhuc inter conſummatiſſimos literatos non ultimus prodiit, gratiamque iniit apud Neapolitanæ civitatis eruditiores, elegantiſſimum ſcilicet Thomam Cornelium, peritiſſimum Leonardum de Capua, doctiſſimum Thomam Donzellum, alioſque omnes id temporis literatorum facile principes, qui eum plurimi faciebant.

Sapientiæ vero, doctrinæque Philippi fama non intra Civitatis Neapolitanæ, aut Regni fines ſe continuit, ſed longius progreſſa eum exteris etiam commendavit. Propterea quum eruditionis ſtudio Italiam peragravit, a doctioribus viris ubique humaniſſime exceptus, ac liberaliſſime, honorificentiſſimeque habitus, & præſertim Florentiæ ab illo librorum, ut ita dicam, helluone, *Antonio Magliabechio*, Mediceæ Bibliothecæ præfecto, a *Franciſco Redi* acutiſſimo Philoſopho, optimoque Sereniſſimi Ducis Medico, cui propter tot inventa, & evulgata experimenta nonnihil omnes debemus, *a Vincentio Viviano Galilæi Galilæi* diſcipulo: Bononiæ *a Marcello Malpiphio*, qui deinde Pontificius Medicus Romæ electus fuit, & *Dominico Guilielmino* celebri ſane Mathematico, qui de *Natura* præſertim *aquarum fluentium* diſſerens immortalitatem ſibi comparavit: Patavj ab Equite *Patino*, *& a Geminiano Montanaro* ſatis noto: Venetiis *a Jacobo Grandio*, aliiſque,

que, quorum mihi in præſentia memoria non ſuppetit. Atque hi, aliique omnes ſua opera jam edita *Philippo* dono dederunt: inedita vero familiariter communicarunt, & ab eodem judicium, quod maximi ducebant, vehementer expetiverunt; quibuſcum deinde, poſtquam domum rediit, epiſtolarum commercio uſus eſt, & præ ceteris cum *Magliabechio*, qui literis, judicio, lucubrationibus, ac poëmatibus Italicis *Philippi* mirifice delectabatur: quorum pleraque latine reddi curavit, & amicis elargitus auctori ſcribebat:

Semino voſtre glorie, e mieto amori.

A ſcientiſſimo Cardinali Jacobo Cantelmo literatorum amantiſſimo ad primi Pœnitentiariatus munus evocatus, illud ſubire conſueta, qua ſemper, & præſertim in honoribus amplectendis uſus eſt, humilitate renuit, ſimplici tantum Canonicatu contentus. At, dum ipſum Canonicatum inire meditaretur *Philippus*, Roma tabellarius Neapolim advenit cum epiſtola ad Eminentiſſimum Cardinalem Cantelmum data, nuntiante *Philippum* ab Innocentio XII. Pontifice Maximo, ob vitæ innocentiam, ſanctimoniam, animi magnitudinem, juſtitiamque, & ob tot, tantaque præclara, quæ geſſit opera, nunquam ſatis pro dignitate commendato, ad Surrentinæ Archiepiſcopalis Eccleſiæ regimen electum; quapropter Eminentiſſimus Cardinalis, ut illi ampliſſimo Neapolitanorum Canonicorum Senatui inſi-

gnium ſemper, digniſſimorumque virorum collectione præclariſſimo etiam a *Philippo* ad Archiepiſcopatum Surrentinum evecto honor accederet, antequam is rumor per civitatem divulgaretur, injunxit, ut, nulla injecta mora, Canonicatum Neapolitanum publice, legitimeque adiret. Ubi juſſis Emi Domini paruit *Philippus*, eumdem convenit, ut meritas de more gratias ageret, quo tempore Eminentiſſimus Cantelmus gaudio exiliens *Anaſtaſio* ampliſſimam, qua jam fuerat adauctus, dignitatem aperuit. Ea de re is certior factus, atque Archiepiſcopus deſignatus Romam convolavit: quo poſtquam pervenit, poſtero die Veneris menſis Martj anno 1699. ad examen admiſſus, cui interfuerunt Cardinales examinatores Cappis induti, ut a Sacri Palatj Apoſtolici concione tunc egreſſi erant, quod ſummo honori ipſi *Philippo* fuiſſe dictitabant, tam promte, tam docte, tam erudite, appoſiteque interrogationibus reſpondit, ut non modo ab omnibus probationem, ac plauſus tulerit, ſed etiam doctiſſimus Cardinalis de Noris, operum, quæ evulgavit, varietate, & eruditione celeberrimus, ab eodem examine decedens palam eructaverit: *Nequidquam examini ſtitit, ſed potius examen ipſe exercuit Archiepiſcopus Surrentinus.*

Tantam autem in illo examine, ſuique probatione præ ceteris apud Summum Pontificem Innocentium XII. ſibi conciliavit gratiam, atque exiſtimationem *Philippus*, ut ipſi ad illius pedes de

de more ſe dejicienti dixerit, eidem maximopere gratificari cupiens Summus Pontifex, ut quidquid in optatis haberet, libere, ingenueque peteret; nullam enim paſſus fuiſſet repulſam. At vero *Philippus* ea, quæ propria illius eſt, temperantia, nihil prorſus ſibi, ſed, quoniam literas, ſcientiaſque fovere ſemper in animo habuerat, multum pro Seminario Surrentino petiit, pinguem ſcilicet Abbatiam *S. Petri ad magnum litus* in Surrentina civitate ſitam, quam ſtatim obtinuit; hinc eſt, quod grati animi monimentum ab eodem Seminario Archiepiſcopo ſuo tam de ſe benemerito poſitum legatur ſuper januam Sacelli ipſius Seminarj; a quo huc inſerendo, quia Libro ſecundo ſuarum Antiquitatum jam retulit *Philippus*, ubi de hac Abbatia verba fecit, lubens ſuperſedeo.

Poſtquam autem Archiepiſcopalem habitum induit, conſecratus fuit Romæ in Spiritus Sancti Neapolitanorum pridie Idus Aprilis ejuſdem anni 1699. ætatis ſuæ annum quadrageſimum quartum ingreſſus; poſtea ad ſponſam ſuam accedens omnibus lætitiæ ſignificationibus ab univerſo Clero, Magiſtratu, Equitibus, ac Populo exceptus eſt, totiſque ulnis tamquam de Cœlo delapſus amplexus fuit; & longa habita concione poſſeſſionem tandem inivit. Inde ad ovium ſibi commiſſarum ſalutem animum intendens plures ſacras orationes ad Populum habuit; quem morem ſolennioribus præſertim feſtis, & ubi opportunitas, vel neceſſitas tulit, & præcipue in

ſacri Chriſmatis collatione nunquam intermiſit, quod ea paterna caritate, tantoque ardore perficiebat, ut auditores, ex quibus unus ego aliquando fui, tanto in vitia odio, tanto in virtutes amore, tantaque animi teneritudine afficerentur, ut in lacrymas ſæpiſſime cogerentur prorumpere. Quum primum Archiepiſcopatus ſui regimini manum admovit, infirmos frequenter, & præ ceteris animam agentes ſumma ſollicitudine cœpit inviſere, quibus Apoſtolicæ benedictionis, & Indulgentiarum opem tulit, indigentibus autem eleemoſynam addidit; in pauperes miſericordem maxime ſe patefecit; proinde ex illo, Curiæ Archiepiſcopalis Cancellario interdixit, ne ab illis quidquam pro actis acciperet; erga claros, doctoſque viros officioſum, munificumque ſe geſſit, etſi non adeo divitem Eccleſiam ſortitus eſſet. Miniſtros integerrimos, vitæque innocentia probatiſſimos in regenda Diœceſi ſelegit, in quibus audiendis impiger ſemper fuit. Aliis vero ita faciles ad ſe conveniendum aditus præbuit, ut cunctis omnino patuerit; a quibus optimis initiis cetera ſui Archiepiſcopatus tempora numquam diſcrepuerunt.

Statutis autem, diſpoſitiſque iis, quæ pro tempore ad bene moderandam Eccleſiam ſuam neceſſaria videbantur, curas ſuas omnes ad excolendum Clerum convertit. Noverat enim ad hujus exemplar Laicos, omnemque populum ſolere animum, moreſque componere. Quapropter impetra-

petratis jam, ut innuimus, ab Innocentio XII. amplis illis reditibus, primum in ampliorem, commodioremque formam Seminarium, quod nimis anguſtum antea erat, redegit; deinde optimos in eo miniſtros inſtituit, qui juventutem primum omnium ad pietatem formarent; ſapientiſſimoſque magiſtros ampla mercede allectos conduxit, ac publica lege ſancivit, ut nequis ex Dioeceſi Surrentina ſtatui Eccleſiaſtico inſtaret addici, niſi prius ſaltem per biennium in Seminario fuiſſet inſtitutus. Sub initium fuere alumni variis ſcientiis eruditi a celeberrimo Nicolao Giannettaſio Societatis Jeſu Sacerdote ipſi *Philippo* cotidiana fere conſuetudine, & ſtudiorum communicatione conjunctiſſimo, ab illo ſcilicet Muſarum delicio, cui præ ceteris ego plurimi debeo. Non modo enim ſiquid in Rhetoricis præſertim, & Latina poëſi valeo, ab eo Magiſtro didici: verum etiam peculiari me ſemper benevolentia proſecutus eſt. Quæ ego memoria repetens juſta de cauſſa ejus morti illacrymari ſæpiſſime ſoleo. In hujus vita functi locum alios ſuffecit, qui ad res Mathematicas, & præſertim Computum Eccleſiaſticum, & Gregorianam Kalendarj emendationem, & linguas præcipue Latinam, Græcam, Hebraicam, Gallicamque, ad cultiorem literaturam, ad Juriſprudentiam, & ſacros Canones, ad Philoſophiam in primis Neotericam, ad Theologiam Scholaſticam, ac Moralem, & ad Controverſias (quas ipſemet *Philippus*, quouſque optimum,

mum, peritumque virum ad eas legendas inveniret, non dedignatus eſt explicare, quando ego inter alios ipſius auditor fui) omneſque alias bonas artes, liberaleſque diſciplinas adoleſcentes inſtituerent; quapropter in eam formam brevi evaſit, ut nulli prorſus ex celebrioribus aliis totius Regni Seminariis cederet. Quocirca ex eo poſt paucos annos doctiſſimi juvenes prodiere, & præſertim abſolutiſſimi Theologi, & eloquentiſſimi ſacri Oratores, qui per varias Regni civitates Evangelj verbum diſſeminantes tantam ſibi gloriam, tantamque Seminario exiſtimationem conciliarunt, ut ex pluribus ipſius Regni urbibus quantumvis longo itinerum intervallo diſſitis in illud recipi inflammato animo nimis multi poſtulaverint, pluresque alii ingredi valde averent, ſed locus non ita capax.

Quum autem nominis Eccleſiaſtici Tironibus proſpexiſſet, provectis jam Sacerdotibus conſulere ſategit; quamobrem ut unum in locum cuique commodiorem ſaltem ſemel in quibuſque hebdomadibus ii convenirent, edixit; ut ibi inde de *Theologia Morali*, & de *Caſibus*, ut dicunt, *Moralibus*, de methodo exponendæ, interpretandæque ſacræ Scripturæ, atque habendarum concionum ad populum, de Ritibus, ſacriſque Ceremoniis, de ratione aſſiſtendi iis, qui animam agunt, aliiſque rebus Eccleſiaſticis, quarum cognitio Sacerdotibus neceſſaria eſt, inter ſe differerent; quibus Congregationibus nedum intereſſe ſolebat,

ſed

Digitized by Google

ſed plurimas de illis ſtatis rebus doctiſſimas diſſertationes habuit. Maleſanam doctrinam circa uſurarios contractus ab inſcitia invectam ſcripto, lectionibus, atque edita epiſtola Paſtorali redarguit, vetuit, extirpavit.

Hiſce omnibus optime ſtatutis, cogitabat Diœceſim ſuam omnem diligenter viſere, poſtea Synodum Diœceſanam cogere, inde compellere Provincialem. Sed, quum primum ſanctam Viſitationem exorſus eſt, tot, tantæque turbæ excitatæ fuerunt, ut non modo ab incepto deſiſtere coactus ſit: verum etiam multa agere, & plura pati eidem neceſſe fuerit. Quocirca animadvertens non poſſe, quæ animo conceperat, ad majorem Dei gloriam abſolvere, pluries Romam ad dimittendam Eccleſiam ſe contulit. Quod nunquam per Clementem XI. P. M., ut doctorum virorum, ita Archiepiſcopi Surrentini maxime ſtudioſum ei licuit; ſed honoribus illum cumulare ſategit; eapropter VII. Kal. Januarj an. 1707. domeſticum ſuum, ac aſſiſtentem Pontificio Throno eum fecit; & Cardinali Vallemano juſſit, ut *Philippo* offerret Eccleſiam Sipontinam, deinde Compſanam, aliaſque Regni pinguiores, quas omnes promto animo rejecit, ſatis contentum ſe eſſe profitens (quandoquidem per Pontificem non liceret, ad ducendam vitam ab hominum ſtrepitu, & contubernio remotam in clauſtra ſe recipere) ſua prima ſponſa, quantumvis tanta incommoda, & calamitates afferret. Hiſce *Philip-*

pi

pi reſponſionibus acquieſcens Summus Pontifex Clemens XI., primum juſſit, ut *Philippo* penſionem ſolveret Compſana Eccleſia, ac deinde Abbatia vulgo *ſan Pietro a Caprolla* nuncupata, quæ Diœceſi Surrentinæ annexa eſt, eum donavit. His auctus reditibus *Philippus* in pauperes profuſior fuit, atque Eccleſiam Cathedralem, quam jam perpolire inceperat, alacriori animo decentius ornare aggreſſus eſt. Quamobrem interiores muros rudes antea, aſperos, atque inexcultos, quodam, etſi exiguo, a deceſſore ſuo relicto ſubſidio adjutus, tectorio opere venuſtius præliniri, ac marmorato obduci, ejuſdemque Eccleſiæ frontem exacta, nobilique Symmetria adornari pigmentis luminis, & umbræ curavit. Præterea nobili laqueari aureis fimbriis circumdato, ac picturis *Jacobi del Po*, & *Nicolai Malinconici* penicillo effictis diſtincto obtexit. Sacris Pontificalibus ornamentis, ac ſupellectili etiam auxit, & præſertim pretioſa gemma, cujus uſus eſt utraſque impluviæ partes ſupra pectus annectere. Plura quidem animus erat illius Eccleſiæ, totiuſque Diœceſis ſuæ beneficio efficere, ſed vires non ſuppetebant.

Ubi vero ad Pontificatum evectus fuit Innocentius XIII. apud hunc preces ſuas iteravit *Philippus*, ut ſibi liceret ad vitam privatam redire, quam degere meditabatur inter clauſtra. At Pontifex ſumma, qua pollebat prudentia, re longius audita, tandem ex voto doctiſſimorum Cardinalium, & Præſulum, ut Romæ conſiſteret,

ret, *Philippo* injunxit; nam prima Eccleſiaſtica munia, quæ in Urbe vacaſſent, ipſi procul dubio detuliſſet. Interim ne illius in Eccleſiam merita indonata omnino abirent, eum officiis omnibus, & Abbatia *ſancti Petri ad Cermennam* nuncupata pro tempore ornavit. Sed paulo poſt ſummo bonorum omnium dolore, ac luctu fato conceſſit Innocentius XIII., in cujus locum ſuffectus fuit Benedictus XIII., a quo facultatem dimittendæ Eccleſiæ Surrentinæ ad formam ſacrorum Canonum, impetrante optimo S. R. E. Cardinali Paulutio, tandem aliquando aſſecutus, ea ſe lubentiſſime abdicavit. Sed dici vix poteſt, quantum mœrorem, luctumque hujuſce rei nuntius Surrentinis attulerit, quibus hoc unum ſolaminis acceſſit, quod idem Benedictus XIII. ipſius *Philippi* nepotem Archiepiſcopum Surrentinum juſſerit. *Philippum* enim fere omnes uti patrem ſemper obſervarunt, colueruntque, ac tanta reverentia, atque amore proſecuti ſunt, etiam jam dimiſſa Eccleſia, atque adhuc proſequuntur, ut, me teſte, a quibuſcumque poſſunt, non deſinant de eo non ſine lacrymis avide repoſcere, anxieque interrogare; ac plerique aveant Romam adventare tantum, ut ipſis liceat illius aſpectu aliquantiſper frui. Tanta fuit comitas, tanta prudentia, tanta gratia, ac tam paterna caritas, qua *Philippus* in Eccleſiæ ſuæ adminiſtratione uſus omnium ſibi animos arctiſſime devinxit. Oblatam ab eodem Summo Pontifice ditiſ-

ſimam Conſentinam Eccleſiam ea, qua ſolet, humilitate, ac ſingulari modeſtia, quam virtutem præ ceteris ſemper excoluit, recuſavit. Quum Patriarchatu Antiocheno ab eodem Pontifice decoratus gratias acturus ad ejus ſe pedes provolvit, hæc illi Pontifex reſpondit: Age Deo gratias, ac Beatiſſimæ ejus Matri, quod mihi eam mentem dederunt, ut te meritis jamdiu præmiis, ac dignitatibus inceperim cumulare. Et ſane ad ſummos eum honores evexiſſet Benedictus XIII., ni perturbata tempora aliud tuliſſent; ſed tamen Epiſcoporum examinatorem creavit. Et quia *Philippum* plurimi faciebat, variis in rebus ejus opera, ac doctrina uſus eſt; & præcipue nonnullas conſultationes Canonicas, & ſuper Ritibus ab eo expetivit, ac ſententiam ſuper Kalendarj correctione, quæ omnia ſumma celeritate, ac pari obedientia ſemper præſtitit. Præterea ſacras plurium Eccleſiarum, & diſſidentium inter ſe Fratriarum Urbis, ut eas ſua prudentia componeret, atque ad mutuam caritatem revocaret, Viſitationes eidem commiſit, & Monaſterj inſuper *Oblatarum ſeptem Dolorum Beatiſſimæ Virginis* in Janiculi radicibus ſiti, atque Hoſpitj hæreticorum ad Catholicam Fidem venientium, quibus mirum, quantum & quoad pietatem, & quoad eorum reditus profuit. Hæreticos autem, qui quos lacte ſuxerant errores, ejurare parati videbantur, non modo paterna caritate amplexus eſt: ſed etiam eorum ſectarum impietatem, ac venenum

num manifeſto detegere, ſanaque illos doctrina ipſemet imbuere ſummo ſtudio curavit. Quamobrem nonnullis eruditioribus, qui ancipites primo, & quibuſdam difficultatibus obnoxii erant, ita Catholicam veritatem perſuaſit, ut, Sancto afflante Spiritu, omnem prorſus dubietatem, poſtquam cæcitatis tenebras ab eis *Philippus* diſcuſſerat, depoſuerint. Porro pro faciliori eorumdem inſtitutione orationem, & Dialogum concinnavit, quibus & hæreſes omnes dilucide, nervoſeque confutat, & Catholicæ, ſanæque doctrinæ rudimenta tradit, ſolideque confirmat. Modo Deo, ac ſibi vivens, extremoſque ducens dies hiſce Antiquitatibus ſcriptitandis animum applicuit, quas tot precibus exoratus tandem in lucem dari paſſus eſt. Multa quoque pro Eccleſia Dei elucubravit, ex quibus tantum typis evulgavit primum librum eorum, quos contra deſciſcentes Gallos molitus fuerat, inſcripſitque: *Summi Pontificis ſuprema poteſtas in Eccleſia vindicata*. Formis quoque expreſſit rerum ſuarum Apologiam, & librum plurium orationum, quas Neapoli olim recitavit, & diviſim eam, quam Innocentj XIII. juſſis obtemperans habuit in Beatificatione Andreæ de Comitibus. Sed innumera alia compoſuit, quæ in Bibliotheca ſua ſervat, præſertim quamplura Philoſophica, Lectiones Academicas, quædam Mathematica; Matheſi enim vehementer delectatus eſt, Diatribam de Patriarchatu Antiocheno, & ſexcenta alia, quæ, quia de ſe ita demiſſe ſentit, ut

nihili ſua ducere prorſus ſoleat, publicæ luci dare ſemper renuit. Utinam aliquis bonarum artium ſtudio incenſus ea poſſet ab illo tandem extorquere, ac in medium typorum beneficio proferre, mirum, quanta notitiarum acceſſione literariam Rempublicam ditaret. Et plura quidem ſcripſiſſet, ni tot, tantiſque ærumnis afflictatus mentem alio convertere ſæpiſſime coactus fuiſſet. Dum enim domi eſt, ſemper inter libros in ſua Bibliotheca immoratur; & licet cotidie per plures ſolidas horas adeo fixus in librorum lectione verſetur, ut ne ſentiat quidem, quid ſui circum ſe agant: tamen nunquam tam aſſiduo, improboque labore frangitur; quam conſuetudinem minime etiamnum, quamvis ætate gravis, intermittit. At vero quæ plura in ſua Diœceſi præclara quidem, & memoria digna peregit, conſulto præterivi, ne properantem ad alia Typographum nimis retardarem. Hoc unum tamen heic non prætermittam annectere, quod ſcilicet, quum ſui Pontificatus initio res Monialium Cœnobiorum deprehendiſſet ſatis afflictas, atque antiquos eorum reditus ita jacturis imminutos, exhauſtoſque, ut vix, aut ne vix quidem ad eam ſummam redacti eſſent, quæ neceſſarios ſumtus poſſet ſuppeditare, ſua opera, conſilio, vigilantia, atque œconomia, quam ſemper in rebus Eccleſiaſticis maxime excoluit, ſtudioſeque commendavit, illos ita refecit, ut eam nummorum copiam paulatim collegerit, quæ, additis iis pecu-

niis,

niiſs, quæ ex novis Monialibus Cœnobiis accedebant, ad emenda cuique Monaſterio tria magna prædia, atque alia minora ſatis fuerit. His ita comparatis, ſtatum victus valetudinarj auxit; & ſumtus, qui Monialium Eccleſiarum Sacrariis opus erant, liberalius erogavit. Quumque ipſa Monialium templa non modo non adeo culta, atque comta eſſent, ſed pene vaſtata, & collabentia, ea refici curavit, atque in elegantiorem formam redigi. Summæ enim illi ſemper curæ fuit ſplendor Domus Dei, ac decor; quamobrem, eo Præſule, cuncta fere Surrentinæ Diœceſis templa non ſolum decentius reparata fuerunt, ſed inſuper ea pulcritudine, elegantia, ac venuſtate adornata, ut nulli eorum, quæ celebrioribus civitatibus ornamento ſunt, primas concedant. Nonnulla fuere funditus inſtaurata, ut præſertim illud Fratrum Ordinis S. Franciſci, quo quum acceſſiſſet, ut primum fundamentorum lapidem de more jaceret, & fuiſſet a Rituum magiſtro nomine *Adſtantium* rogatus, ut ea ſuper re quidquam diceret, bene longam, atque adeo eruditam, piam, appoſitamque extemporalem orationem habuit, ut non ſolum magnam voluptatem, ſed ingentem admirationem iis etiam attulerit, qui ejus doctrinam, atque eruditionem perſpectam haberent. Hæc ſunt quæ pro tempore memini partim in conſuetudine cotidiana ab ejuſdem *Philippi* ore me quandoque, ut ſermo tulit, de induſtria expreſſiſſe: partim a ſuis audiviſſe, aliiſque

que: partim denique oculis meis per plurium annorum, quibus honorifico loco apud ipſum fui, curriculum hauſiſſe. Ceterum Deus illi Neſtoreos, quos optamus, annos largiatur.

LXIII. LUDOVICO AGNELLO
ANASTASIO U. J. D.
QUA THEOLOGICIS,
QUA MATHEMATICIS
FACULTATIBUS DELIBUTO,
POETÆ SUAVISSIMO,
ORATORI PERQUAM
DISERTO, OMNIBUS
IN SCIENTIIS VERSATISSIMO,
MECÆNATI LITERARUM
AMANTISSIMO,
QUI ÆTATE LICET
NONDUM MATURUS
TANTÆ ERAT SAGACITATIS,
ET CONSILJ, UT PATRUI SUI
ARCHIEPISCOPI HEIC SURRENTI
VICARIUM MUNUS
GRAVITATE SENILI,
VIRILI PRUDENTIA,
DEXTERITATEQUE SUSTINUERIT;
QUOAD PARTHENOPEJORUM
FUIT CANONICORUM
ALBO DESCRIPTUS;
QUA IN DIGNITATE
NON DIU SUA PASSA

SUNT

SUNT MERITA IMMORARI;
QUUM ENIM
ECCLESIÆ SURRENTINÆ
SPONTE SUA
LIBERE CESSISSET,
ALTERA ABBATIA S. PETRI
AD CERMENNAM,
AC PINGUI PENSIONE
SUPER ECCLESIA CONSENTINA
DONATUS,
ET PATRIARCHATU ANTIOCHENO
EXORNATUS IDEM
PATRUUS SUUS
PHILIPPUS ANASTASIUS,
ILLE INGENIORUM FLOS,
ERUDITORUM FACILE PRINCEPS,
SUMMUS PONTIFEX
BENEDICTUS XIII.
ORDINIS PRÆDICATORUM
TANTI VIRI INDOLE,
AC EXPECTATIONE PERMOTUS
SURRENTINÆ ECCLESIÆ
EUM PRÆFECIT;
QUUM VIX XXXIII.
ÆTATIS SUÆ
ANNUM ATTINGERET,
QUO NUNTIO
INCREDIBILI AFFECTI
GAUDIO, TANTO
POSTEA PLAUSU, LÆTITIAQVE
EUM

EUM IN URBEM
EXCEPERUNT SURRENTINI,
UT VOLUPTATE
VISI SINT DIFFLUERE.
QUOD REGIMEN
TAM EGREGIE AUSPICATUS,
UT NEMINEM DE SE
SPES FUERIT FRUSTRATA;
NAM VIX DUM ARREPTO
ECCLESIÆ SUÆ CLAVO
NIHIL ANTIQUIUS HABUIT,
QUAM EJUSDEM ECCLESIÆ
PERENNI SPLENDORI
CONSULERE;
IMPETRAVIT ENIM AB EODEM
BENEDICTO XIII.
GRATIS USUM CAPPARUM,
ET ROCCHETTI CAPITULO
SUÆ CATHEDRALIS,
IN QUA ETIAM CANONICUM
POENITENTIARIUM
EREXIT,
ET MAJORA IN DIES
PRO SUBDITORUM BONO,
AC FELICITATE MEDITATUR.

Andreas Cappellus Sacerdos ſui Antiſtitis Studioſus poſuit anno 1725. Pontificatus vero ejuſdem Primo.

LUDO-

Digitized by Google

LUDOVICI AGNELLI ANASTASJ ARCHIEPISCOPI SURRENTINI VITA.

Not.

ANtequam de Ludovico Agnello quidquam attingam, liceat mihi quidquid raptim colligere potui de clariſſima gente *Anaſtaſia*, in medium proferre: cujus nobilitate, opibus, potentia olim Ravennæ imprimis florentis originem multo quidem altius repetunt Scriptores. Credunt enim, poſtquam tumultuantes copiæ Alexandriam miſſæ, electo ſibi Imperatore, ac Duce Theodoſio etſi invito, Anaſtaſium II. pientiſſimum Orientis Imperatorem (qui Artemius appellatur in Hiſtoria Miſcella, quæ ſub nomine Pauli Diaconi Aquilegienſis circumfertur, quamvis a Landulpho uſque ad imperium Leonis IV. ſuppleta fuerit) profligarunt, ac regno, imperioque dejectum circa octavi ſeculi initium Theſſalonicam in exilium pepulerunt, Anaſtasj ipſius conſanguineos, ut victorum armis, furorique ſe ſubducerent, Ravennam nobiliſſimam æque, ac antiquiſſimam Italiæ civitatem a Theſſalis, auctore Strabone, vel a Sabinis, teſte Plinio, excitatam, & olim Exarchorum potentia celebrem aufugiſſe, ibique ab Imperatore ipſis ſanguine cunjuncto *Anaſtaſios* nuncupatos. Qua de re a veroſimilitudine quidem non aliena fides ſit penes Scriptores. Hoc unum de penu meo addam, probabi-

Apud Paul. Diac. Hiſtor. Miſcell. lib. 20.

Strab. Geograph. lib. 5.
Plin. lib. 3. c. 15.

babilius ſcilicet mihi videri, Anaſtasj II. Imperatoris propinquos non ſub Theodoſio ſolum vertiſſe, ſed potius ſub Leone, qui Theodoſio ſucceſſit, quando videlicet Anaſtaſius Imperj recuperandi ſpe allectus, Niceta Xylinite eum Theſſalonica evocante, atque exercitum, & ingentem auri, argentique vim ſuppeditante, in Leonem inſurrexit. Sed ad urbem, quæ ei favere renuit, accedens a Bulgaribus Leoni traditus eſt, qui illum una cum turbarum incentore Xylinite, aliiſque peremit, & amicos, propinquos, fautoreſque proſcripſit, ac mutilatis in contemtum naribus exulare coëgit. Id temporis, ut opinor, & hi, atque alii, qui promtiores Leonis furorem effugere ſategerant, Ravennam ſe receperunt. Ut ut tamen res ſe habeat, certum profecto eſt, & in confeſſo apud omnes *Anaſtaſiorum* familiam inter Ravennates antiquiſſimam, ac præclariſſimam fuiſſe; atque ea nominis fama, nobilitate, ac ſplendore præſtantem, ut ab egregio Florentino Homero, Dante ſcilicet Aligherio meruerit verſibus commendari, velut etiam ab iis, qui hunc ingenioſiſſimum poëtam commentati ſunt, Chriſtophoro nempe Landino, Alëxandro Vellutello, & Bernardino Daniello Lucenſi.

V. Hiſtor. Miſcel. lib. 21.

Dante preſſo M. Bernardino Daniello Purgat. cãt. 14. ver. 105.
Non ti maravigliar, s' io piango, Toſco;
Quando rimembro con Guido da Prata
Ugolin d' Azzo, che vivette voſco,
Federigo Tignoſo, e ſua brigata.
La Caſa Traverſara, e gli Anaſtagi

Land. ibi: *Traverſari, ed Anaſtagi furono due famiglie in Ravenna.*

Vellut. *Traverſari, ed Anaſtagi due nobiliſſime famiglie in Ravenna*

Daniell. *Gli Anaſtagi, e Traverſari nobiliſſime famiglie di Ravenna.*

Præterea adeo clara, ac tantæ celebritatis, dignitatiſque Ravennæ fuit gens *Anaſtaſiorum*, ut uni ex illius civitatis portis nomen ex ſe antiquitus fecerit; ſive quod eam ipſa conſtruxerit, ut opinatur Deſiderius Spretus *De Porta Anaſtaſia*,

ſtaſia, aliiſque differens : ſive quod, ut alii tradunt, eodem referente Spreto, ibi, prope illam ſcilicet Portam magnificas, nobileſque ſuas Ædes habuerit ; quæ utraque conjectura Seraphino Paſolino non improbatur. Ego vero utrumque in cauſſa hujuſce rei fuiſſe arbitror. Quæ enim præclariores, potentioreſque Ravennates familiæ domos ſuas prope muros urbis habebant, ut faciliores, commodioreſque ſibi extra eam egreſſus pararent, portas illas aperuerunt, quæ ab ipſiſmet nomen proinde acceperunt. Utcumque tamen eſt, apud omnes rerum Ravennatum Scriptores conſtat ibi *Portam Anaſtaſiam* fuiſſe ab *Anaſtaſia* gente ita cognominatam. Hieronymus Rubeus, quum de *Anaſtaſiorum* familia quidquam attigiſſet, hæc ſubnexuit: *Unde nomen inditum eſt Portæ Anaſtaſiæ, quæ nunc Clauſa, & Julia appellatur, quod Julius II. Pont. Max. aperiri clauſam juſſerit*. Hoc idem tradit Hieronymus Fabri de Baſilica ſancti Victoris verba faciens, & Seraphinus Paſolinus. Quæ quidem Porta antiquum deinde nomen depoſuit. Polenteſia enim familia, quæ Ravennam jamdiu occupaverat, Venetis per eam Portam ingredientibus, civitatem illam, ac dominium omne amiſit, ut prædictum jampridem fuerat. Quocirca Veneti ipſi, qui Polenteſiis in ditione ſucceſſerunt, eam Portam tamquam non adeo boni ominis obſtruxerunt, ut ſcribit Deſiderius Spretus. Sed quamvis ex quo eamdem aperiri juſſit Julius II. Pont.

Deſid. Spret. de Amplit. De Vaſtat., & De Reſtaurat. urbis Ravennæ lib. 1.
Idem ibidem.

Paſolin. De' Luſtri Ravennat. p. 1. lib. 5. pag. 252.

Rub. Hiſt. Raven. l. 5. pag. 234. edit. Venet. ann. 1589.

Hieron. Fabr. Nelle ſacre memorie di Ravenna p. 1. pag. 383. Paſolin. loc. ſupra laud.

Spret. loc. ſupra cit. lib. 3.
V. etiam Rub. lib. 7. ſub ann. 1441. pag. 628.

Max. Julia Porta vocari cœperit, ut etiam allata verba Rubei innuunt: tamen uſitatiori vocabulo etiam, poſtquam per Julium aperta fuit, Clauſa dicta eſt, auctore Hieronymo Fabri, & Seraphino Paſolino.

Fabr. loc. cit. pag. 132. ove parla della Chieſa di S. Bartolomeo, & Seraph. Paſolin. De' Luſtr. Raven. lib. 5. pag. 252.

Sed licet omnes conveniant ab *Anaſtaſia* gente hanc portam nomen ſuum accepiſſe: tamen quid aliud ſentire videtur unus Deſiderius Spretus. Quum enim diffesreret, unde partum nomen Portis Ravennæ, ſcriptum reliquit: *Anaſtaſiam vero Portam ab Anaſtaſio quodam de Honeſtis ſtirpe vetuſtiſſima, quæ, ſicut accepimus, nobiliſſima quidem, & generoſa olim fuit; ex qua clariſſimi olim viri, & omni laude, atque gloria digni prodiere, inter quos fuit beatus Romualdus Camaldulenſis Eremi Ordinis erector*. Omnibus igitur reclamat Spretus antiquior auctor. Verum poſteriores Scriptores, & qui præ ceteris ipſum Spretum in rebus Ravennatibus ſectati ſunt, Portam illam ab *Anaſtaſia* gente nomen mutuatam ferunt. Hinc ego, ſi quid ſentio, conjectura perſpicio, familiam *De Honeſtis* eamdem olim fuiſſe, ac *Anaſtaſiam*, tunc ſcilicet, quum, depoſita veterum Romanorum conſuetudine, nominibus, vulgo *Caſata*, fere nemo in Italia uteretur. At vero quum deinde peculiariora nomina ſibi aſciſcere cœperunt familiæ, quidam ex *Anaſtaſia* gente, quæ fortaſſe nimis frequens evaſerat, nomen, ſeu *Caſata de Honeſtis*, ſibi acceperunt. Atque id innuere quodammodo videtur Spretus, & ita fortaſſe acce-

Spret. loc. ſæpe laud. lib. 1.

ptus

ptus fuit a poſterioribus ſcriptoribus, & præcipue Hieronymo Fabri, qui præ ceteris eo auctore utitur in rebus Ravennatibus. Neque id mirum cuipiam videri debet, quum ſciamus olim non unam gentem in plures abiiſſe familias, quod ipſimet *De Honeſtis* etiam contigit. Quæ enim ex *Martino de Honeſtis* fluxit familia, alio ſibi arrepto nomine, *Ducum*, ſeu de *Ducibus* dicta eſt, poſtquam Pontifices illum de Romana Eccleſia benemeritum Flaminiæ ditione, & *Ducatus* titulo donarunt, ut auctor eſt Seraphinus Paſolinus; qui inſuper illam, quæ de *Saxis*, ſive, ut vulgo, *de' Saſſi* nuncupata eſt, ex ipſamet de *Honeſtis* emerſiſſe tradit: atque ex eadem manaſſe familiam Halidoſiam *Fori Cornelj*, ſive Imolæ Dominam, de qua ſatis Sanſovinus; quarum ego omnium familiarum gentem fuiſſe unam *Anaſtaſiam*, atque ex hac, quaſi tot ex una radice ſtolones illas enatas mihi perſuadeo. Et ſane ex his duæ vetuſtiores illæ *Anaſtaſia* ſcilicet, atque ipſa *de Honeſtis* familiæ quodammodo in gentilitio ſtemmate conveniunt. Familiæ enim *de Honeſtis* inſignia ſunt, ut videre eſt apud Ciacconium, *ruber Leo, qui ſtans, & erectus in area alba pineam nucem auream anterioribus pedibus, quaſi manibus ſuſtinet*; quod etiam animadvertit Paſolinus. Video quidem hoc argumentum non ſatis firmum eſſe, ſed veroſimilitudine ſaltem nequidquam caret: præcipuum enim utriuſque ſtemmatis idem omnino eſt; additiones deinde ſuperinductæ ab iis,

Paſolin. Degli Uomini illuſtri di Ravenna l. 5. c. 1.

Idem loc. cit. & cap. 14. lib. 1.

V. etiam Rub. lib. 5. ſub an. 1027. primæ edit. Venet. ann. 1572. & eumdem 2. edit. pag. 277. aliquantulum enim differunt hæ edit. ſed mihi prima potius probatur. Et Auguſt. Camal. p. 1. Hiſt. Camal. l. 1. cap. 22. & p. 2. l. 1. cap. 7.

Sanſov. Dell'Origine, e de' Fatti delle Caſe Illuſtri d'Italia pag. 252.

Apud Ciaccon. 2. edit. tom. 1. ſub Stephano IX. alias X. ubi de S. Petro Damiano.

Paſolin. De Luſtr. Ravenn. p. 1. lib. 5. pag. 276.

Digitized by Google

iis, qui aliud ſibi nomen aſcivere; quod facere quidem conſueverunt fere omnes illæ familiæ, quæ, alio ſibi parto nomine, a ſua prima origine aliquantulum diſceſſerunt. Itaque licet Spretus, Rubeus, Hieronymus Fabri, Paſolinus, Auguſtinus Camaldulenſis, aliique perhibeant, ſanctum Romualdum Ordinis Camaldulenſium inſtitutorem ex familia *de Honeſtis* ortum fuiſſe: tamen ex gente *Anaſtaſia*, ex familia vero *de Honeſtis*, in quam, & ſubinde in alias, ut dixi, diviſa eſt ipſa gens *Anaſtaſia*, eum fuiſſe ex allatis hucuſque rationibus probabiliter infero, ut etiam Petrum Archiepiſcopum Ravennatem, qui etiam e familia *de Honeſtis* ortus dicitur in Hiſtoriis Camaldulenſibus, & apud Ughellum.

Spretus loc. cit. Rub. lib. 5. Hiſt. Raven. ſub annum 975. pag. 266. Fabr. Nelle ſacre memorie di Ravenna p. 1. Paſolin. De' Luſtr. Ravenn. p. 1. lib. 5. pag. 276. Auguſt. Camaldul. Hiſt. Camaldul. loc. cit.

Hiſt. Camaldul. p. 2. pag. 7. Ughell. de Archiep. Ravenn.

At vero hæc *Anaſtaſiorum* gens ferme ex quo lares fixit Ravennæ, quum jam inde a ſuis initiis incepiſſet gratia, & auctoritate plurimum valere, æmulationi, atque invidiæ fuit potentiſſimæ, nobiliſſimæque Traverſariorum familiæ itidem Ravennati, quacum acerrimas primum ſuſcepit, exercuitque ſimultates, quæ in aperta deinde odia paulatim erumpentes adeo utriuſque animos exacerbarunt, ut ſeſe invicem funditus tollere, prorſuſque delere ſtuderent; quod tandem e ſententia quodammodo Traverſariis evenit; Paulus enim Traverſarius ad incitas *Anaſtaſios* redegit, ac fere evertit ſub initium octavi ſeculi, poſtquam Carolus Magnus Ravenna pertranſiens in

in Galliam contenderat, auctore Hieronymo Rubeo, ac Seraphino Paſolino. Sed quamvis iram ſuam contra *Anaſtaſios* fere ad ſatietatem expleſſent Traverſarj: tamen malevolum in illorum reliquias animum minime depoſuerunt. Quamobrem ſemper odiis majoribus ſecum ipſi certarunt, quæ vetuſtate corroborata ſub decimitertj ſeculi medium recruduerunt, quando Paulus alter.

Rub. Hiſt. Ravenn. lib. 5. ann. 801. pag. 234. edit. Venet. ann. 1589. Paſolin. p. 1. De' Luſtr. Ravenn. l. 5. pag. 352. & lib. 5. Degl' Uomini Illuſtr. di Rav. c. 1. pag. 112.

Traverſarius a Friderico II., ſub quo Imperatore multa armis præclara geſſerat, alienatus Ravennam patriam ſuam invaſit, perturbavitque, & alios primores cives ſuos inſectatus eſt, atque imprimis *Anaſtaſios*, præcipue vero *Anaſtaſium Anaſtaſj* fortiſſimum ſane virum, qui Friderici partes tuebatur. Quum enim ſub eo Imperatore & ſcientia rei militaris, & animi magnitudine magnam ſibi armis laudem peperiſſet, ab eodem cum nonnullis aliis Flaminiæ præfectus fuerat; quod Traverſarius ægerrime patiebatur. Dum autem odia ita exardeſcerent, ut illuſtriores Ravennates familiæ domo cogerentur exulare, (licet ceteræ in patriam aliquanto poſt revocatæ, atque invicem, & cum Traverſariis reconciliatæ fuerint opera Archiepiſcopi Ravennatis, accedente Petri Præfecti Portuenſis, & Legatorum Ariminenſium, aliorumque auctoritate, ac ſtudio) *Anaſtaſius Anaſtaſj*, ut a veteri, gravique hoſte ſe tandem aliquando liberaret, oneraria comparata navi, Neapolim profugit, qua in civitate poſtea conſtitit, uti certo certius conſtat

Idem l. 5. degli Uomini illuſtri di Ravenna cap. 2.

ex

ex firmis, authenticiſque ſcripturis Bartholomæi *Anaſtaſj* nepotis Marini *Anaſtaſj*, qui acceptiſſimus olim fuit Auguſtiſſimo Imperatori Carolo V. Auſtriaco. Ceterum ex quo in illam civitatem pedem intulit gens *Anaſtaſia*, quippe quæ ab adeo nobili, ac generoſo ſanguine originem traheret, ſemper ſplendoris ſui tenax magnifice, animoſeque vixit. *Anaſtaſius* autem *Anaſtaſj*, qui primus Neapolim, ut dixi, appulit, & *Anaſtaſiorum* Neapolitanorum caput fuit, *Evodium* procreavit, *Evodius Anaſtaſium* alterum, hic *Anaſtaſius Marinum*, *Marinus Evodium* alterum, hic *Evodius Marinum* alterum, qui *Marinus Decium*, ex *Decio* ortus *Bartholomæus*, ex *Bartholomæo Ludovicus*. Hic uxorem duxit Annam Mariam Toloſam Antonj filiam e nobiliſſimo, vetuſtiſſimoque Caſtellæ Veteris genere. Ab his in lucem editus *Philippus* modo Patriarcha Antiochenus, de quo nuper quædam delibavi, & *Januarius* fratres; ex *Januario* natus *Ludovicus Agnellus* Archiepiſcopus Surrentinus, de quo temporis anguſtiis brevis nunc ſermo inſtituendus: *Emmanuel*, qui regulam Prædicatorum ſancti Dominici amplexus tantam ſibi gloriam, atque exiſtimationem morum candore, & ſcientiarum fere omnium, quibus ornatus eſt, cumulo, ac profeſſione comparavit, ut Magiſterium in illo præclariſſimo Ordine etſi adhuc juvenis jam fuerit adeptus: & *Franciſcus* fratres, qui e Victoria Lioncorni conjuge nobili Literenſi,

Gra-

Granianenſi ,ac Stabienſi femina *Philippum* alterum , & *Anaſtaſium Anaſtasj* filios hactenus ſuſcepit .

Ludovicus Agnellus Anaſtaſius Neapoli ortus XVI. Kal. Martj anni 1692. , jam inde a teneris unguiculis non modo liberaliter , ſed ad omnem Chriſtianam virtutem a probis , piiſque parentibus educatus fuit ; & quum adhuc puer bonæ indolis , ac feracis , perſpicaciſque ingenj ſui majora ſemper in dies proderet argumenta , illius aciem ipſi minime paſſi fuerunt hebeſcere; quamobrem optimis magiſtris traditus fuit , a quibus brevi & Latinam , & Græcam linguam didicit. Ad humaniores deinde literas gradum faciens , mirum , quantum in utriſque illis profecit , præſertim in Latina , cujus puritati , ac munditiæ maxime ſtudens tantum aſſecutus eſt , ut nemini ex elegantioribus , cultioribuſque ſui ævi ſcriptoribus ſit poſtponendus . Ad Latinam poëſim , in quam propenſo ferebatur animo , incumbens , veterum poëtarum lectione mirifice delectatus eſt ; unde maximum fructum percepit ; non ſolum enim Latinæ elegantiæ perfectionem conſecutus eſt : ſed facilis nimium ad ſuaviſſima pangenda carmina evadens , tantam eorum copiam , ubi poſtulavit occaſio , atque a ſeriis vacare permiſſum fuit , concinuit , ut ubertatem illam ingenj ſui a natura datam , nobilitatemque patefaciens magnam de ſe in aliorum animis expectationem excitarit : quam ipſe pro-

 fecto

fecto minime decepit. In ſeverioribus enim diſciplinis mentem, atque operam ſuam locans Philoſophicas facultates, Mathematicas, ac Theologicas feliciſſime percucurrit; ſtudiiſque Legalibus egregie inſtructus utriuſque Juris Lauream in Neapolitano Collegio publice adeptus eſt. Quumque Scientias, quæ in ſcholis traduntur, jam ſatis hauſiſſet, illum patruus ejus *Philippus* Neapoli Surrentum evocavit, ut apud ſe quidquid eouſque didicerat, mature decoqueret, perficeretque. Illuc ubi pervenit *Ludovicus*, conſiliis eum ſapientiſſimis erudivit *Philippus*, & ſuo exemplo, ſuis optimis inſtitutis, ac factis ad laudem cotidie excitavit, exacuit, impulit, evexit. Et quoniam *Ludovici* ingenium ad omnia factum noverat, non modo perfectioris acquirendæ ſcientiarum fere omnium cognitionis methodum illi præſcripſit, faciliorem que ad earum abſolutam, quantum fieri poteſt, adeptionem ſtravit viam: ſed etiam voce, atque difficiliorum rerum explicatione ſummopere adjuvit. At quum Clericalis eum militiæ quam maxime ſtudioſum animadverteret, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Sacrorum Rituum, & Canonum, ac rerum Theologicarum ſtudium præ ceteris ante illius oculos propoſuit, animoque inculcavit; atque inter alia Bellarmini Controverſias evolvendas tradidit, & rationem earum, quum a *Ludovico* perciperentur, fere cotidie exegit. Et mirum quidem, quantum ſub tanto duce, ac doctore pro-

profecerit *Ludovicus*, qui non ſolum Eccleſiaſticas diſciplinas addidicit, ſed eas etiam, quarum cognitio & utilitati eſt, & ornamento Sapientis nomen profitenti. Et quoniam ſatis noverat, qua via ad gloriam contenderat Patruus ſuus, illius omnino itineribus ire quam maxime ſtuduit; quapropter ſub ejus diſciplina, atque ad ejuſdem exemplum politiores Italos ſcriptores evolvens elegantiam Italicæ linguæ apprehendit, Italicamque poëſim Latinæ conjungens plura carmina, ubiubi tempus tulit, ad venuſtiorum poëtarum, & patrui ſui ſtylum accedens, cecinit; compluresque Italicas orationes panegyricas, quibus variorum Sanctorum laudes complexus eſt, tota ſemper plaudente Auditorum corona, dixit. Verum, quod conſideratione quidem, atque admiratione dignum eſt, quamvis prima juventute floreret, quæ ætas levis eſſe ſolet, & lubrica, atque ad oblectamenta valde proclivis: tamen nulla eum voluptas a ſtudiis abſtraxit, nulla ſolaminum cupiditas a labore avocavit, nullæ demum deliciæ, ne ipſa quidem non ſatis firma valetudo, qua uſus eſt, curſum illius minimum retardarunt. Id animadvertens patruus ſuus *Philippus* eum adhuc juvenem Vicarium ſuum Surrenti conſtituit; quod ſane munus ea, quæ propria ſenum eſt, gravitate, maturoque judicio, & conſiliis, incorrupta juſtitia, ſumma integritate, atque incredibili prudentia uſque adeo explevit, donec in Neapolitanorum Canonicorum

Collegium cooptatus fuit: in quo quamdiu fuit; quum ſatis cognita eſſet ejus doctrina, ingenjque perſpicacia, & notum cunctis, exploratumque eſſet quam egregie Vicarium munus in Surrentina Diœceſi tot annos abſolviſſet, peculiaribus Congregationibus pro expendendis gravioribus Eccleſiæ Neapolitanæ cauſſis coactis pluries inter præcipuos, ſelectioreſque judices inſertus fuit, ejuſque ſententia, & conſilium expetitum, ac ſummo loco habitum. Sed in ea dignitate non diu permanſit. Quum enim *Philippus* Eccleſiam Surrentinam ſponte ſua libere dimiſiſſet, Benedictus XIII. P. M., cui ſatis notus erat etiam ante Pontificatum *Ludovicus*, hunc ſummæ expectationis juvenem trigeſimum tertium nondum egreſſum annum Archiepiſcopum Surrentinum dixit; qui nuntius tantum voluptatis, & gaudj Surrentinis attulit, quantum doloris, ac moleſtiæ iiſdem inopina illa *Philippi* abdicatio, qua nihil ipſis accidere potuerat acerbius, antea exhibuerat. Creatus jam Archiepiſcopus *Ludovicus*, atque in ſanctæ Mariæ ſupra Minervam a Patruo ſuo, duobus aliis de more aſſiſtentibus Epiſcopis, die ſancto Johanni Evangeliſtæ ſacra anni 1724. conſecratus tandem ad Eccleſiam ſuam ſe contulit, quo ubi pervenit, communi plauſu, effuſaque lætitia exceptus (ibi enim bona animi illius ſatis experta indoles, virtuteſque perſpectæ erant) regimini bona alite manum admovit. Siquidem uſque ab initio nihil, quod utilitati, atque ornamento eſſe poſſet

poſſet Sponſæ ſuæ, prætermittere ſtuduit. Quapropter, ut decorem Eccleſiæ præſertim Cathedrali adderet, uſum *Capparum*, & Præſularis Carbaſinæ, ſeu, ut vulgo, *Rocchetti*, illius Capitulo ab eodem Benedicto XIII., cui acceptiſſimus fuit, gratis obtinuit, eidemque Canonicum Pœnitentiarium, quem inſtituere jam meditabatur etiam Patruus ſuus, tandem ſuperaddidit. Et totius Diœceſis ſplendori conſulens Templum D. O. M. ſancti Michaëlis Archangeli nomine olim excitatum, & venuſtum ſane, atque elegans, *Philippo* Præſule, redditum ſolenni ritu conſecravit, atque in eodem, ipſo Benedicto XIII. annuente, Collegiatam erexit. Eccleſiam Cathedralem ſacris Pontificalibus ornamentis auxit; ac Patrui veſtigiis inſiſtens, ut Cleri Diœceſis commoditati litaret, Seminarium, ut amplius, & capacius fieret, prolatavit, in eoque commodius Sacellum extruxit. Gregem ſuum non ſolum exemplo, ſed etiam prædicationis verbo paſcere ſategit. Plures enim παραινέσεις, ſacraſque conciones, ubi tulit opportunitas, habuit ad populum; quam conſuetudinem hucuſque fere nunquam intermiſit. Sub ejus Pontificatu templum Monialium ſancti Pauli, quod elegantius quidem redditum fuerat, *Philippo* Archiepiſcopo, recentiori, nobiliorique graphide in ampliorem, venuſtioremque formam, ac pulcritudinem redactum eſt. At, ſi eidem longos, ut optamus, annos concedet, ac dignitatem fortunabit Deus, majora, (non enim deſinit

ſinit ad ovium ſuarum utilitatem , ac profectum animum ſemper intendere) ſine ulla , ut in ſpe ſumus , dubitatione efficiet .

FINIS PRIMÆ PARTIS.

Digitized by Google

ELENCHUS

Titulorum Primæ Partis.

AD SANCTISSIMUM PATREM, AC D. N.

CLEMENTEM XII. P. M.

EPISTOLA NUNCUPATORIA.

PARS PRIMA.

De Chriſtianis Surrentinorum Antiquitatibus. Proluſio. pag. 1.

LIBER PRIMUS.

De Eccleſiæ Surrentinæ origine, & progreſſu. 4.

CAPUT I.

Quando Fidem Chriſtianam amplexa fuerit Eccleſia Surrentina. ibidem.

CAPUT II.

De Sanctis Martyribus Surrentinis. 13.

CAPUT III.

Differitur utrum Eccleſia Surrentina in ipſa fundatione Archiepiſcopalem Poteſtatem, an vero tractu temporis aſſecuta ſit. 26.

LIBER II.

In Sanctorum Epiſcoporum, qui Eccleſiam Surrentinam rexerunt, nec non ſancti Antonini Abbatis ejus præcipui Patroni Lectiones Commentarii, Præfatio. 119.
Lectiones S. Antonini Abbatis, cujus feſtum Surrenti celebratnr die XIV. Februarj, ſecundi nocturni Lectio I. 121.
Lectio II. ibid.
Lectio III. 122.

DISSERTATIO I.

In Lectiones S. Antonini Abbatis præcipui Surrentinæ Diœceſeos Patroni. 123.

CAPUT I.

De Scriptoribus Vitæ S. Antonini Abbatis. ibid.

CAPUT II.

Quid de ſancto Antonino in Martyrologio inveniatur. 132.

CAPUT III.

Qua ætate S. Antoninus vixerit. 139.

CAPUT IV.

Occurritur ſecundæ Caraccioli objectioni petitæ ex Elogio V. B. Laurentj Stabienſis Epiſcopi marmori inciſo. 159.

CAPUT V.

Tertiæ Caraccioli objectioni occurritur. 162.

Digitized by Google

CAPUT VI.
Dacheryus notatur. 164.
CAPUT VII.
De S. Antonini Patria, & Cognatione. 167.
CAPUT VIII.
De S. Antonini in Montem Aureum ſeceſſu. 169.
CAPUT IX.
Annotationes in ſecundam Lectionem, ubi primo plura de Agrippinenſi Cœnobio, aliiſque Abbatiis Surrentinis prælibantur. 173.
CAPUT X.
De Monaſtica ſancti Antonini vita in Cœnobio ſancti Agrippini nonnihil indicatur, & num Sacerdotio initiatus fuerit, inquiritur. 185.
CAPUT XI.
De S. Martini a S. Antonino Abbate extructo, cœlatoque ſacello. 196.
CAPUT XII.
De Obitu, & Sepultura S. Antonini. 207.
CAPUT XIII.
De aliquibus miraculis poſt mortem a ſancto Antonino patratis. 232.
CAPUT XIV.
De ſancti Antonini apparitione, qua Agarenos deterruit. 246.
CAPUT XV.
Quando S. Antoninus Chriſtiana Apotheoſi in Sanctorum album relatus. 254.

DIS-

DISSERTATIO II.

In Lectiones ſancti Catelli Stabienſis Epiſcopi, & Patroni. 272.
Secundi Nocturni Lectio I. ibid.
Lectio II. 273.
Lectio III. 274.

CAPUT I.

De Scriptoribus vitæ S. Catelli. ibid.

CAPUT II.

De tempore, quo vixerit S. Catellus. 275.

CAPUT III.

Circa tempus, quo vixit S. Catellus, enodantur Ratiocinia ex Cenotaphio Æquis invento. 277.

CAPUT IV.

Diluitur a Ferrario excitata difficultas. 284.

CAPUT V.

Antevertitur difficultas ex antiquo Ordine Epiſcopalium judiciorum. 286.

DISSERTATIO III.

In Lectiones ſancti Baculi Surrentini Epiſcopi, & Patroni. 296.
Secundi Nocturni Lectio I. ibid.
Lectio II. 297.
Lectio III. ibid.

CAPUT I.

De Scriptoribus vitæ ſancti Baculi. 298.

CAPUT II.

De tempore, quo S. Baculus in vivis fuerit. 299.

CAPUT III.

De Nomine, Patria, Familia, ac die obitus S. Baculi. 303.

CAPUT IV.

De repurgato vetuſto Idolorum Templo, quò S. Baculi cadaver translatum fuit, nonnulla. 306.

CAPUT V.

Curioſius inquiritur, cuinam ex S. Felicibus Nolanis Surrentinum Idolorum templum poſt expiationem devotum fuerit. 317.

CAPUT. VI.

Quæ reliqua ſunt in tertia Lectione explanantur. 328.

DISSERTATIO IV.

In Lectiones S. Renati Andicavorum pridem, poſtea Surrentinorum Epiſcopi. 337.
Secundi Nocturni Lectio I. 338.
Lectio II. ibid.
Lectio III. 339.

CAPUT I.

De Scriptoribus vitæ S. Renati. 340.

CAPUT II.

De tempore, quo in vitam ingreſſus fuit ſanctus Renatus. 341.

CAPUT III.

De ſancti Renati diſceſſu a ſua Andicavenſi Eccleſia, & adventu Surrentum. 346.

CA-

CAPUT IV.

De tempore, quo S. Renatus Romam, & ſubinde Surrentum petierit, ibique Epiſcopatum geſſerit, ac mortem obierit. 362.

CAPUT V.

De S. Renati Lipſanis, & miraculis. 367.

DISSERTATIO V.

In Lectiones ſancti Valerj Epiſcopi, & Patroni Surrentini. 379.

Secundi Nocturni Lectio I. ibid.

Lectio II. 380.

Lectio III. 381.

CAPUT I.

De Scriptoribus vitæ ſancti Valerj. 382.

CAPUT II.

De tempore, quo S. Valerius floruit. 383.

CAPUT III.

De Nomine, Patria, & Familia S. Valerj. 387.

CAPUT IV.

De Reliquis, quæ in prima Lectione ſunt annotanda. 397.

CAPUT V.

Paraphraſis circa ſecundam, & tertiam Lectionem. 401.

ARTICULUS I.

De Religione, ac moribus Rodoaldi Beneventani Ducis, ac Surrenti invaſoris. 408.

ARTICULUS II.

Breviter aliqua notantur circa alterum miraculum i ſecunda, & tertia Lectione deſcriptum. 415

DISSERTATIO VI.

In unicam ſancti Athanaſj Lectionem. 41

Secundi Nocturni Lectio I. ibi

CAPUT I.

De Scriptoribus vitæ ſancti Athanaſj. 41

CAPUT II.

De tempore, quo in vivis fuerit ſanctus At naſius. 4

CAPUT III.

S. Athanaſium Surrentinum alium prorſus fuiſſe Neapolitano evincitur. 4

CAPUT IV.

Circa Lectionem ſancti Athanaſj nonnulla preſſ notantur.

LIBER III.

Exhibens ſeriem Surrentinorum Præſulum deſcri in Aula Surrentini Palatj cum recentibus & caſtigationibus.

I. Renatus Cheothedrus Endegavenſis Anno mini 425.

II. S. Valerius de Apreda Surrentinus 450.

III. Roſarius 487. Interfuit Conc. Romæ 499.

IV. Johannes 580. Adfuit Syn. Rom. 595.

V. An

V. Amandus Neapolitanus 596. 444.
VI. S. Athanaſius 614. 447.
VII. Agapitus 645. Hic Surrentum a Barbarorum rabie oratione, & jejunio illæſum custodivit. ibid.
VIII. S. Baculus Neapolitanus 660. 448.
IX. Hyacinthus anno 678. ibid.
X. Stephanus filius Sergj Ducis, & Conſulis Neapolitani, & germanus S. Athanasj Epiſcopi Neapolitani Anno Domini 870. 451.
XI. Leopardus, qui primo Archiepiſcopus Surrentinus fuit declaratus anno 913. 454.
XII. Sergius anno 918. 456.
XIII. Philippus Hiſpanus Tarraconenſis anno 619. Hoc tempore S. Antoninus Abbas præcipuus Patronus Surrentum advenit. 459.
XIV. Jacobus Cotiz Bononienſis anno 628. quo tempore S. Antoninus obdormivit in Domino. 460.
XV. Joannes anno 1050. Sedit in Synodo Romana anno Domini 1059. ibid.
XVI. Barbatus anno 1110. 463.
XVII. Orſus 1142. 466.
XVIII. Alſerius 1200. 467.
XIX. Petrus Archiepiſcopus Surrentinus anno Domini 1230. 470.
XX. Petrus translatus ab Epiſcopatu Carinen. anno 1252. 472.
XXI. Ludovicus de Alexandro Neapolitanus Archiepiſcopus Surrentinus 1266. 473.
XXII. Johannes Maſtrogiodice Surrentinus anno Domini 1279. 474.

XXIII

Digitized by Google

XXIII. *Mirabellus tranſlatus ab Epiſcopatu ſancti Marci anno* 1286. 475.

XXIV. *Marcus* 1298. 476.

XXV. *Franciſcus* 1305. 477.

XXVI. *Riccardus* 1313. ibid.

XXVII. *Frater Matthæus de Capua Neapolitanus Ordinis minorum* 1320. ibid.

XXVIII. *Petrus Archiep. Surrentinus* 1333. 479.

XXIX. *Andreas Serſale Surrentinus ex Canonico electus in Archiepiſcopum anno* 1340. ibid.

XXX. *Petrus* 1347. 480.

XXXI. *Gulielmus* 1366. 482.

XXXII. *Franciſcus* 1390. 483.

XXXIII. *Robertus Brancia Surrentinus* 1390. ibid.

XXXIV. *Angelus* 1410. *tranſlatus ad Archiepiſcopatum S. Severinæ* 1413. 484.

XXXV. *Bartholomæus de Miſerata* 1413. ibid.

XXXVI. *Bernardus Caracciolus germanus Sergianni Magni Siniſcalchi Neapolitani* 1425. 485.

XXXVII. *Antonius tranſlatus ab Epiſcopatu ſanctæ Agathæ* 1440. 487.

XXXVIII. *Demetrius ex Archidiacono Surrentino* 1442. 488.

XXXIX. *Matthæus Brancia Surrentinus* 1445. ib.

XL. *Domitius Falangola Surrentinus* 1449. ibid.

XLI. *Scipio Cicinellus Neapolitanus* 1470. 489.

XLII. *Jacobus* 1478. 490.

XLIII. *Nardus Mormile Neapolitanus* 1480. 492.

XLIV. *Menelaus de Gennaro Neapolitanus anno* 1493. 494.

XLV.

Digitized by Google

XLV. *Aloyſius Mormile germanus quondam Nardi* 1499. 495.
XLVI. *Franciſcus S. R. E. Presbyter Cardinalis Remolinus Hiſpanus Prorex Neapolitanus anno* 1501. 496.
XLVII. *Gibertus Remolinus reſignata ſibi Eccleſia a Cardinale ſuo germano translato ad Eccleſiam Panormitanam* 1512. 500.
XLVIII. *Frater Philippus Strozza Florentinus Ordinis Prædicatorum* 1525. 501.
XLIX. *Florentinus Coquerel* 1530. 503.
L. *Bernardinus Piccolomini Neapolitanus* 1545. ibid.
LI. *Bartholomæus Albanus Urbevetanus* 1552. 505.
LII. *Frater Julius Paveſius Brixienſis Ord. Prædicatorum Nuntius Neapolitanus, & in Belgio* 1558. 506.
LIII. *Lælius Brancacius Neapolitanus* 1571. *tranſlatus ad Archiepiſcopatum Tarentinum.* 510.
LIV. *Joſeph Donzellus Pedemontanus* 1574. 511.
LV. *Mutius Bonjoannes* 1585. *Nuntius Luſitaniæ.* 512.
LVI. *Carolus Baldino* 1591. *Inquiſitor Apoſtolicus Neapoli.* 513.
LVII. *Hieronymus Provenzale Neapolitanus anno* 1598. 514.
LVIII. *D. Johannes Antonius Angriſanus Neapolitanus Clericorum Regularium Præpoſitus Generalis* 1612. 515.
LIX. *Antonius de Pezzo Neapolitanus Archiepiſcopus Surrentinus* 1642. *translatus ab Epiſcopatu Polinianenſi.* 516.

LX.

518

LX. D. Paulus Suardo Neapolitanus Archiepiſcopus Surrentinus 1659. 519.

LXI. Didacus Petra Neapolitanus Archiepiſcopus Surrentinus anno Domini 1680. translatus ab Epiſcopatu Marſorum. 521.

LXII. Philippus Anaſtaſius Neapolitanus 1699. translatus ad Patriarchatum Antiochenum anno Domini 1724. 526.

Andreæ Agellj Sacerdotis Surrentini Additamentum, ac Notæ Surrentinis ſuis, & Lectoribus. 528.

Philippi Anaſtaſj Archiepiſcopi Surrentini vita. 530.

LXIII. Ludovicus Agnellus Anaſtaſius Neapolitanus Archiepiſcopus Surrentinus 1724. 550.

Ludoviei Agnelli Anaſtaſj Archiepiſcopi Surrentini vita. 553.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZIONALE NAPOLI

523786

Digitized by Google

Digitized by Google

f 25/76

Digitized by Google

5

Digitized by Google